

5594

45
424



DIVINI

PLATONIS

OPERVM OMNIVM QVÆ EXTANT,

Ex Latina MARSILII FICINI versione, nunc multò accuratius quàm antea cum Græco co[dice] exa[cte] collata, & quàm plurimis locis emendata,

Tomus Secundus.

Cum Argumentis, Notis, & Indice.

LVGDVNI.
APVD IACOBVM ST[OER]

M. D. X[LI]

CATALOGVS LIBRORVM QVI HOC TOMO SECVNDO continentur.

1 Cratylus, de recta nominum ratione pag. 1
2 Gorgias, de Rhetorica 86
3 Conuiuium Platonis de amore 208
4 Phædrus, de pulchro 414
5 Apologia Socratis 489
6 Crito, de eo quod est agendum 533
7 Phædo, de anima 552
8 Menexenus, funebris oratio 651
9 Epistolæ Platonis XIII. 693
10 Axiochus 765
11 Dialogi Platonis qui pro nothis habentur 776
12 de Iusto 777
13 de Virtute an doceri possit 783
14 Demodocus, de consultando 789
15 Sisyphus, de deliberando 799
16 Eryxias, de diuitiis 806
Definitiones 827

CRA-

CRATYLVS PLATONIS, VEL DE RECTA nominum ratione.

MARSILII FICINI ARGVMENTVM.

HErmogenes Parmenidu discipulus & sectator, atque Cratylus sectator Heracliti, de rectitudine nominum dissidentes, dum ille quidem nomina solum arbitrio, hic verò naturali quadam ratione habere vim putat, denique Socratis se iudicio subiiciunt. Principio quàm bellè tres hic Platonis conueniunt præceptores. Hic enim a Socrate moralia, a Cratylo physica, ab Hermogene potissimum metaphysica, præter illa quæ ipse inuenit, dicitur accepisse. Cratylus quidem sectator est Heraclitu, cæterorúmque priscorum, qui multis ante Heraclitum seculis philosophati sunt, putauerúntque nihil vsquam stabile, sed omnia in perpetuo motu versari. vnde & nomina rebus ab ipso motu plurimum posuerunt. Hermogenes verò Parmenidis Pytagoreorúmque cultor, contrà putantium omnia permanere. Eiusmodi controuersiam inter Hermogenem & Cratylum Socrates & Plato ita componunt, vt Heraclitu quidem sententia in Physicis, Parmenidu verò in metaphysicis sit probanda: si quis autem vel Platum rerum ad naturalia, vel motum transferat in diuina, sit penitus improbandus. Sed hic omissis, quantum ad nomina pertinet, Socrates in Cratyli sententiam magis declinare

videtur, eam hoc pacto cõfirmans. Orationum alia vera est alia falsa: & orationũ vera partes vera sunt: orationu falsa partes quoq; sunt falsa: Partes autẽ orationis sunt nomina: quò fit vt nominum alia vera sint, alia falsa. Oratio quidẽ vera est quae res ipsas vt sũt ita dicit: falsa verò quae cõtrà. Quapropter & nomina vera sunt illa quae res ita vt sunt potius, quàm vt placet arbitrio pferũt. Quoniã verò Protagoras putat qualia cuiq; videntur quaq;, talia esse, adeò vt res nulla essentiam habeant propriam, sed humana opinio omniũ sit mensura: ideo Socrates contra Protagoram infert, alios quidem homines esse optimos scilicet prudentissimos, alios verò pessimos, scilicet à prudentia remotissimos. At si, vt putat Protagoras vnicuiq; vera illa sint quae quilibet opinatur, nullũ certè erit inter prudentem imprudẽtémq; discrimen. Sed Protagoras subtilissimè in libro de sciẽtia confutatur: oportuit tamẽ & hic breuiter cõfutari, vt facilius Hermogenis opinio de nominibus illius quodãmodo similis refelli posset. Profectò Hermogenes haudquaquã Protagoræ de rebus disserẽti credit: sed dũ nomina rerum veritatẽ ex hominum arbitrio habere fatetur, clam in Protagoricã de rebus declinat sententiã. Latenter quoq; in opinionem Euthydemi, dicentis omnia omnibus similiter semper adesse, q ex eo breuiter reprobatur, quòd nõ alij quidẽ boni essent, alij verò mali, si aquè omnibus adesset & virtus & vitium. Tum verò inter hac nota tristissimã Platonis nostri sententiam, totã virtutis vim in ipsa prudentia, totam vitij in imprudentia collocari. Postquã cõfutata est Protagoræ & Euthydemi sentẽtia, concluditur res ipsas non pro opinione nostra sed pro ipsa natura sua in ipso ordine rerũ tales, aut tales existere. Quòd si naturaliter sese habẽt essentiæ, naturales quoque sunt actiones atque passiones. Itaq; si dimidere vel cõburere rẽ quãpiã studeam, non

non tam pro arbitrio nostro quàm pro natura rei id faciemus, vt eo modo & instrumento quo diuidi possit aptiùs, diuidamus, similitérque comburamus. At dicere & nominare actio quædam esse videtur, ideóque propriam debet habere naturam, vt non ita sicut placet nobis, sed vt rei modus exigit nominemus. Est enim nomen instrumentum quoddam, quo rem nominatam ab aliis discernimus atque diuidimus. Eiusmodi verò instrumentum vt patet in cæteris, ad proprium id officium non casu, non pro libidine, sed arte accõmodari ita debet, vt ea sit forma dispositum per ipsam artu ideam, quæ velut ad finẽ ad discernẽdũ aptissimè diuidẽdum q̃ cõducat: instrumentum verò huiusmodi, i. nomen tum ad res discernẽdas, tũ ad docẽdos audiẽtes accõmodatũ, non cuiuslibet est fabricare, sed artificis cuiusdã nominũ cõditoris, qui omnium est rarissimus. Hic aũt ea ratione nomina fabricat, qua artifex vsurus neminib. exigit atq̃ instruit. Talẽ verò esse Plato vult dialecticũ. At ille qui fabricat, ad ipsãrei ideã mẽte cõceptã, in qua vera cõsistit ratio nominis, cõponit nomẽ certa quadã significatione præditũ. Atq̃ hæc ipsa idealis ratio significatióq̃ verũ est nomẽ, manẽ q̃ idẽ circa rẽ eandẽ in quacũq̃ literarũ materia fiat, apud quascũque gẽtes, modo quid re ipsa sit doceat discernẽdo Cãclude nomina, si modò vera futura sint, rectéq̃ ponẽda, cõstitui debere à sapiẽte nominũ cõditore, atq̃ id quidẽ dialectico admonẽte, vt ea forma cõstentur qua rerũ ꝓprietates pro viribus imitẽtur & explicent. Post hæc diligẽter inquirens à quib. discẽda sit nominum rectitudo, i. propria qua constituta sint, ratio, sophistas deridet, traducí q̃ vos potiùs ad poetas nõ quoslibet sed diuinos, quasi qui vera rerũ nomina à diis acceperint, apud quos vera sint nomina. Inter hæc ostẽdit Homeri possim allegoricã esse, etiam vbi historiã narrare videtur, vt in nominib.

allegoricè fictis apparet. Refert autem multa apud Homerũ heroũ nomina certa allegoriæ ratione cõpo sita, deinde ad deorum asciendit nomina, quorum ra tionis ab augustioribus theologis accepit. Quoniam verò de diuinis tractare non est eius qui semper di cat se nihil scire, conuenienter Socrates vbi de di uinis altius agit, dicit eam sapientiam nuper vnde nesciat, illuxisse, significans inspiratione opus esse ad veram diuinorum perceptionem. Quod & in Ti mæo, Conuiuióque & Phædro confirmat, probat idẽ & in epistolis. Quòd autem diuinorum contempla tionem ab Euthyphrone accepisse se dicit, ironicum est, deridétque illum & similes diuini iuris profesio res ambitiosos. Quò fit vt non immerito, quæ ab illo se fingit audiuisse, asserat fore paulo post dimitten da, admonens considendum non esse doctrinis ambi tiosorum, præsertim vbi iudicant de diuinis, de qui bus etiam probatissimus homo, nunquam vt homo loqui possit: sed aliquando potius vt tuba dei. Huic illud quodammodo simile, quod Plutarchus ait, legẽ extare apud Græcos, per quam iuberetur libros sce lestorum hominum etiam bonos è medio tolli, vt au torum memoria deleretur. Significat præterea anti quos consueuisse eum qui inter sacra corripiebatur à dæmone, ne diutius ab eo fatigaretur, paulo post quibusdam precibus sacrificiisque à dæmone solue re. Docet etiam non esse longum tempus in nomini bus conterendum. Proinde reprehendit illos qui so las mundi spheras stellasque putent esse diuinas: quippe cum ab his tanquam aspectui nostro natura propinquioribus atque mobilibus ad altiora numi na ob maiorem excellentiam sensibus nostris ignota stabiliáque sit ascendendum. Narrat præterea deo rum nomina non casu, sed partim humana ratione, partim inspiratione diuina inuenta fuisse: Nomina verò heroica & humana sæpe vel ex maiorum cog

nomen-

nomentu, vel ex voto fuisse posita, ideóque certam nominum rationē in diuinis nominibus potius quàm in aliis esse quærendam. Descendit post hæc ad dæmones, asseritque Hesiodi priscorúmque sententia probatissimorum virorum animas in aëreos dæmones ascendere, qui & rerum sapientia polleant, & generi humano prosideant. Tu verò hic animaduerte, omnem bonum esse sapientem, atque vicissim bonum quidem ideo sapientem euadere, quia purgatam serenámque boni hominis mentem deus sapientiæ suæ lumine implet. Sapientem quoque idcirco bonum esse, quia neque aberrat à fine, neque in his quæ ad finem conferunt, fallitur eligendis. Animaduerte heroes semideósque eosdem existimari, atque ex mutuo inter deū hominémq; amore nasci. Hinc illud, Sed ex deo nati sunt. Quia in re ostenditur inter genus humanum diuinúmq; cognatio. Attende mox officium hominis esse non sentire, sed ea quæ sensit considerare. Deinde statum animæ in corpore esse, non contineri, sed naturam corporis continere: Corpus tamen apud Orpheum carcerem animæ dici atque sepulchrum, vtpote quæ in corpore tanquam mortua iudicetur. Memento & Anaxagoram putauisse mundi machinæ vnam ante alias esse animam, vnam quæq; præesse mentem. Hinc illud, Spiritus intus alit, totámque infusa per artus Mens agitat molem. Deinde considera piam Platonis modestiam dicentis: Quicunque sapit, agnoscit se deos deorúmq; inter se nomina ignorare. Addit orandum esse deum, vt nobis nomen sui proprium patefaciat: existimandū quoque esse nomina quæ nos deo tribuimus, non ipsum dei naturam, sed notionem affectionemq; circa deum nostrā significare. Ideireo obsecrādum esse deū, ne ipsi in eo nominando displiceamus. Ita in Philebo. & Parmenide & Cratylo, atq; Timæo. Interpretatur deinde deorum nomina, narrans

primò illorum opinionem qui fluere omnia putauerunt, quam denique improbabit. Sed in hu reuera memento deam Vestam significare essentiam formarum separatarum, diuinorúmque stabile fundamentum, ideóque Vestæ ante alios deos sacrificare priscos consueuisse. Item nomina quæ in diuinu statum significant, ad illorum referri substantiam: quæ verò motum, ad actionem: impropriè quidem ad actionem intellectualem, propriè verò ad animalem. Rursus nomina deorum masculina significare in diuinis actum efficientem, fœmina verò potentiam capientem. Præterea quòd cœlum suo motu generet tempus consumens, continuéque consumat, imago quædam est referens deum Cœlum, & Rheam, atq; Saturnum filios deuorantem. In hu autem Cœlius est essentia ipsa diuina, Rhea eiusdem vita: Saturnus mens eiusdem. Saturni filij ideæ sunt rerum, intelligentia diuina intra se genitæ, quæ sicut producuntur à mente, ita & reducuntur in mentem, eam in se, vt ita dixerim, absorbentem. Multitudo verò deorum circa diuersas mundi partes distributorum, & in ipsis earundem partium continetur ideis, & in angelicis mentibus ideas multifariam contemplantibus, & in animabus sphæras mundi stellásque regentibus. Inter hæc Socrates ait se in exponendis deorum nominibus iocari, videlicet cognoscens se diuinam substantiam his nominibus non attingere, sed vel affectus illorum narrare, vel affectus nostros circa illos pro viribus explicare. Addit & deos interdum iocari ac ludere: Iocamur quidem nos circa diuina, iocantur & dij circa nostra: quatenus videlicet nostra hæc & illu collata quàm minima sunt, & illi hæc nullo labore, sed inæstimabili facilitate gubernant. Mitto in præsentia Platonicum illud, Homo io us est ludúsque deorum. Id enim vbi res exiget exponemus. Post hæc tertiò iam apprimè religiosus

ligiosus homo dicit se vereri de iis vlteriùs disputare. Nempe & in ipso disputationis initio timendũ est, ne sorte de Deo loquamur sine Deo: & in media disputatione rursus ne temerè metiamur immẽsos: & circa finem rursus, ne vlteriùs sermonem de numinibus producamus, quam eorundem voluntas nobis aspiret. Proinde vbi deridet antiquorũ multos, quòd dum ipsi paterentur vertiginem, putabant omnia verti, admonet ne pro natura præsertim temporali, metiamur æterna. Item vbi dicit temperantiam esse salutem conseruationémq; prudentiæ, ostẽdit animã corporis perturbationibus ebriã non posse rerũ ipsarũ præsertim incorporaliũ percipere veritatẽ. Mox vbi boni nomẽ interpretatur, ostẽdit tria ad ipsum bonum pertinere: scilicet vt admirandum sit, vt amandũ, vt suaue. Admirandum est, quando nos excitat, diuertit ab aliis, ad se cõuertit. Amãdũ, cùm accedimus ad ipsum atq; hæremus: Suaue, cùm eo implemur. Paulò pòst exponens iustitiæ nomen, docet diuinũ iudicium omnia penetrare. Quod & cecinit Orpheus. Deinde significat iustitiam esse apud Anaxagoricos diuinam mentẽ omnium ordinatricem. Quod quidẽ Socrates neque affirmare audet, neque negare. Non negat quidem, quoniam ad Deum iustitia pertinet. Non affirmat, quoniã accõmodatius diceretur iustitiã esse diuinã voluntatem, singula pro meritis vel naturæ, vel volũtatis distribuentem. Aluerte rationẽ boni ad naturã quandã pertinere sese per omnia diffundentem. Rationem verò pulchri ad sapientiam ordinémque manantem ab ipsa, & ad se reliqua prouocantẽ. Denique vim amoris ad influxum quendã spectare ab oculis per oculos penetrantem. Post hæc multa de nominibus affert, quæ per superiora satis intelligantur. Tangit opinionem de nominum origine triplicem, vel quòd à diis quondam accepta fuerint, vel quòd à

barbaris, vel quod à longitudine temporis adeò à prima origine permutata, vt prima nominum positiones minimè discernantur. Mox deridet illos qui sequentium scientiam profitentur, cum antecedentia nesciant. Tu vero in sequentibus auream animaduerte sententiam. Grauissimam omnium deceptionem esse illam, qua homo seipsum decipit. In ea enim decepior à decepto abest nunquam. Quoniam vero Cratylus ad sectam Euthydemi declinat, quæ putat nullum dicere falsa quia quisquis dicit, quod est dicat, itaque dicat & verum: Socrates id hoc pacto redarguit. Sæpe dicimus adesse alicui quædã quæ procul absunt, atq; vicissim abesse quæ adsunt, quod nihil aliud est quam falsa dicere. Similiter q; cõuenienter propriumue nominare exprimentes per nomen literarumq; sonos quodãmodo naturam actionemq; rei vel passionem, atque contrà incongruè nominare. Post hæc vbi de numero & qualitatib⁹ mẽtionem facit, dicit in ordine numerorũ semper vnitate vel addita vel subtracta numeri speciẽ permutari, quod in qualitate non accidat. Id autẽ hac ratione arbitror euenire, quia tota numeri ratio in vnitate eiusq; replicatione cõsistit. In qualitate verò cum præter vnitatem eiusq; replicationẽ, alia quædã sit natura, merito vno gradu addito vel subtracto, aut etiam pluribus, qualitatis species nõ mutatur. Similiter in imagine, eatenus.n imago est, qua tenus repræsentat: potest autẽ magis minusue referre. Idem fermè nominibus accidit. Nam quædã rerum ipsarũ sunt imagines. Præterea cum nominis finis sit rem ipsam referre, præstat, ipsum similitudine quadam rei, quàm hominũ conuentione referre. Rursum cùm nomen constet ex literis, rem apte non potest exprimere, nisi ex syllabis literisq; apriè ipsã exprimẽtibus componatur. Et quoniam operosa res est literas, syllabas, nomina rebus singulis prorsus accommo-

accommodare: imo etiam fieri nequit innumeris, id circo miscenda est consuetudo naturæ, vt quatenus fieri potest, natura rerum authoritatē habeat nominum. Vbi verò vel nullo modo, vel difficillime p naturæ proprietatem id fieri potest, fiat per cōsuetudinem conuentionémq; humanam, siue solam, siue naturæ coniunctam. Animaduerte post hæc maximā diligentiam principijs adhibendam, in eisq; constituendis plurimum disputādum. Rursus fallaciosa quadam ad scientiam ire via, quisquis vt monet Cratylus per nominum proprietates rerum proprietas aucupatur, quandoquidē author nominum non talia nomina quales ipsæ res sunt, instituit, sed quales ipse putauit, quis decipi ponit. Adde quod nomina eadem alij aliter possint interpretari, & ad opposita significanda pari probabilitate traducere. Profectò multa sunt nomina ita posita quasi res fluant, multa quoq; ita quasi maneant. Est igitur fallacissimū, p nominares iudicare. Paulo post considera: primum qui res nominauit, cognouisse prius eas quàm nominaret. Item priscam opinionem, qua asseritur diuinam quandā virtutem ab initio hominē instruxisse, rerumq; nomina docuisse. Quòd iis quæ in Protagora & Politico dicuntur, est consentaneum. Fieri enim non potest, vt humanum genus, vel ab initio mundi, vel post ingentes illuuiones aliter quàm diuinitus sit instructū. Quod autem Socrates dicit circa ideas se sommare, declarat tum de hoc ipso Socratē & vulgo, & à comicis solitum irrideri, tum idearum cognitionem p separationem mentis haberi sōnij vaticinio similem. Mox probat ideas esse, quia super imperfectas formas oporteat esse perfectas. Itē immutabiles ideas esse, siquidem speciales rerum rationes atq; definitiones semper eodē modo se habeāt. Addit, si status a rebus omnis auferatur, sequi vt res nulla verè sit aut hoc aliquid, aut tale aliquid

neque cognoscatur eũ quolibet momento deceptura sit iudicantẽ. necessariò mentientẽ. Subdit neque fori cognitionẽ, ipsam videlicet specialẽ cognitionis ideã, quæ semper eodẽ modo se habet. Cõcludit rerũ scientiã non à nominibus sed ab ideis esse quærẽdã, quarũ notiones insitæ nobis prima veráque sunt nomina rerũ. Denique iuuenes admonet, ne de rebus grauibus facile sententiam ferant: imò discant diu, expecténtque ætatem maturiorem antequam iudicent.

HERMOGENES, CRATYLVS, SOCRATES.

a Cratyli sententia de recta nominum impositione.

VIs igitur sermonem nostrum & cũ hoc Socrate [cõmunicemus?] CRAT. Volo equidem, si tibi videtur. HER. [a] Cratylus hic, ò Socrates, rebus singulis ait natura inesse rectam nominis rationem, neque id esse nomen, quod quidam ex constitutione vocant, dum vocis suæ particulam quandam pronuntiant, sed rectam rationem aliquam nominum & Græcis & Barbaris eandem omnibus innatam. Percontor itaque ipsum, num reuera Cratylus sit eius nomen. Ipse fatetur. Socrati verò quod nomen, inquam? Socrates ait. Nónne cæteris omnibus inquam, id est nomen, quo quemque vocamus? Ille, non tibi tamen ait, Hermogenes nomen est, neque etiam si omnes homines te ita vocarint. Dúmque obsecro, vt sciscitanti mihi quídnam dicat aperiat, nihil prorsus declarat, sed me ludens, simulat sese aliquid versate animo, quasi nónihil hac de re intelligat, quod si vellet exprimere, cogeret me idiotam fateri,

fateri: eadémq; dicere quæ ipse dicit. Quamob ré libenter ex te auditem, si qua ratione Cratyle vaticinium potes coniicere, libentius tamen sententiam tuam de nominum rectitudine, siquidē tibi placet, audirem. SOC. O Hipponici fili Hermogenes, veteri prouerbio fertur, Pulchra esse cognitu difficilia. Atqui illa nominū notitia haud parua res est. Equidem si ex [a] Prodico illā quinquaginta drachmarum demonstrationem iam olim audissem, in cuius traditione etiam hæc inerant, vt ipse testatur, nihil prohiberet quin tu statim veritatem de nominū rectitudine intelligeres? eā porrò nunquā audiui, sed illā drachmæ vnius duntaxat. Quare quid in his verum sit, nescio, inuestigare autem tecū simul & cum Cratylo paratus sum. Quod autem dicit tibi non esse reuera nomen Hermogenes, quod à lucro dicitur, mordet te puto, quasi pecuniarum auidus sis, & impos voti. Verùm, vt modò dicebā, difficilia hæc cognitu sunt. Oportet autem rationes vtrinq; in medium adducendo perquirere, vtrum ita sit, vt dicis ipse, an potius, vt Cratylus ait. HER. [b] Enimuerò, ô Socrates, licet frequēter cū hoc cæteríque permultis iā disputauerim, nondum tamen persuaderi mihi potest aliā esse nominis rectitudinem, quàm conuentionē ipsam cōsensionémq;. Mihi quidem videtur quodcunq; nomē quis cuiq; imponet, id esse rectum. Ac si rursus commutat, aliúdq; imponit, nihilominus quàm primum, quod illi succedit nomē, rectū existere, quemadmodū seruis nomina commutare solemus: nulli quippe rei natura nomen inesse, sed lege & vsu illotum qui sic vocare consueuerunt. Quod quidem si aliter se habet, paratus sum non

Prouer.

[a] *Prodici 50. drachmarum demonstratio.*

[b] *Hermogenis sententia: nomina rebus imposita esse ex pacto & instituto hominum.*

à Cratylo tãtùm, verumetiã à quouis alio discere atque audire. SOC. Fortè aliquid dicis a Hermogenes. Cõsideremus itaque, quodcũq; imponit quis cuique nomẽ vocatque, id illi nomen esse asserís? HER. Mihi sanè ita videtur. SOCR. Et siue priuatus vocet siue ciuitas. HER. Assero. SOC. Quid verò si ipse rem aliquã vocẽ, veluti si quem nunc hominem vocamus, ego equum nominem, quémve equum, hominem? publicè quidem erit eidem homo nomen, priuatim equus, & priuatim rursus homo, publicè equus. Ita loqueris? HER. Ita videtur. SOC. Dic iterum num aliquid nuncupes vera loqui, aliquid loqui falsa? HER. Equidem. SOC. Nónne illa quidem vera erit oratio, hæc autem oratio falsa? HER. Ita prorsus. SOC. Illa b verò oratio quæ existẽtia dicit, vt existunt, vera est, quæ vt non existũt, falsa? HER. Certè. SOC. Est autem hoc, orationem, ea quæ sunt & quæ non sunt, dicere? HER. Idipsum. SOC. Oratio quæ vera est, vtrũ tota quidem est vera, partes non veræ? HER. Imò & partes veræ. SOC. Vtrum partes magnæ veræ, exiguæ verò particulæ falsæ, an veræ sunt omnes? HER. Omnes arbitror. SOC. Habes orationis partem aliquam minorem nomine? HER. Nequaquam. hæc enim c pars minima. SOC. Est nomẽ quidem hoc pars orationis veræ. HER. Proculdubio. SOC. Pars vtique vera, vt ais ipse. HER. Vera. SOC. Et falsæ orationis pars nónne falsa? HER. Aio. SOC. Licet ergo nomen verum, & nomen falsum dicere, si quidem & orationẽ. HER. Quid prohibet? SOC. Quod quisq; cuiq; nomen esse ait, id & cuique nomẽ est. HER. Idipsum. SOC. An etiã quotcunque quis nomina cuique tribuit, totidẽ erunt? ac etiam quandocunque tribuit?

a *Hermogenis sententia excutitur & refutatur cũ Protagoræ sententia ex qua illa pendet.*

b *Quæ oratio vera quæ falsa.*

c *Orationis pars minima est nomen.*

HER.

HER. Haud equidem habeo Socrates, aliquam præter hanc nominis rectitudinem, vt videlicet liceat mihi quidē alio rem vocare quod ipse imposui nomine, tibi autem alio quod tu imposuisti. Ita equidem in ciuitatibus video eorūdē propria quædā haberi nomina, & Græcis ad alios Græcos, & Græcis ad barbaros. SOC. Animaduertamus Hermogenes, vtrum res ipsæ ita se habere tibi videantur, vt propria rerum apud vnumquēque essentia sit, quemadmodum Protagoras tradidit, rerum omnium dicens hominem esse mensuram, ita vt qualia mihi quæque videntur, talia & mihi sint: item qualia tibi, & tibi talia. An potius quædam esse putes, quæ essentiæ suæ quandam habeant firmitatem. HER. Quandoque, ô Socrates, dubitans ad hæc deductus sum, quæ tradit Protagoras. Ita tamen esse haud satis mihi persuadeo. SOC. Nonquid & ad hoc aliquando es deductus, vt tibi nequaquam videatur aliquem esse hominē omnino malū. HER. Non per Iouem, imò sæpenumerò ita sum affectus, vt existimarē homines nōnullos omnino malos esse, & quidem plurimos. SOC. Prorsus autē boni nulli adhuc tibi visi sunt? HER. Admodum pauci. SOC. Visi ergo sunt aliqui? HER. Aliqui. SOC. Qua ratione hoc iudicas? hácne? alios quidē omnino bonos esse, omnino prudentes: alios verò prorsus prauos, imprudēte: omnino? HER. Mihi sanè ita videtur. SOC. Si Protagoras vera dixit, éstque hæc ipsa veritas, vt qualia quæq; cuiq; vidētur, talia sint, fieríne potest vt alij hominū prudētes sint imprudentes alij? HER. Nequaquā. SOC. Atq; hæc, vt arbitror, tibi omnino videntur, cùm videlicet prudētia quædā & imprudētia sit, Protago-

a *Si Protagoræ sententia vera est, non est inter homines prudētior alius alio.*

rã haud omnino vera loqui posse. Neq; enim alter altero reuera prudẽtior erit, si quæ cuiq; videntur cuiq; vera erunt. HER. Ita est. SOC. Ac neque Euthydemo assentiris, vt arbitror, dicenti omnia omnibus esse similiter ac semper. Neq; enim alij boni, alij mali essent, si semper & æquè omnibus & virtus inesset & prauitas. HER. Vera loqueris. SOC. Ergo si neq; omnia omnibus insunt semper atq; similiter neque vnicuique priuatim vnũ quodque entium adest [constat] res ipsas essentiã quandã firmã in se habere, neq; quo ad nos, neq; à nobis per imaginationẽ sursum deorsúmq. distractas, sed secundũ seipsas quo ad ipsarũ essentiã, vt natura institutæ sunt, permanentes]. HER. Idẽ mihi quoq; videtur, ó Socrates. SOC. Vtrũ res ipsæ ita natura consistunt, actiones autem illarũ non ita, sed aliter? an & actiones ipsæ similiter quædã rerũ species sunt? HER. Et ipsæ omnino. SOC. Ergo actiones ipsæ secundũ naturã suam, non secundũ opinionem nostrã fiũt. Quemadmodum si nos rem quampiam diuidere statuamus, vtrum sic diuidenda res quæque est, vt nos volumus, & quo volumus? an potius si vnumquodque diuidamus secundum naturam qua diuidere & diuidi oportet, itémque eo quo secundum naturam diuisio fieri debet, diuidemus vtique rectè, & aliquid proficiemus, ac rectè istud agemus? Sin autem præter naturam, abetrabimus, nihilque proficiemus? HER. Mihi quidem ita videtur. SOC. Atque etiam si comburere aliquid aggrediamur, non secundum omnem opinionem comburere oportet, sed secundum opinionem rectã, hæc autem est qua ratione naturaliter quodque comburi debet atque comburere, & quo

deben.

[a] *Sententia Euthydemi omnia omnibus esse similiter, ac semper.*

[b] *Res & essentiam quãdam firmã & actiones, à natura, non ab opinione nostra habent.*

debet. HER. Vera hæc sunt. SOC. Nónne eadem de cæteris ratio? HER. Eadem. SOC. An non & dicere vna quædam operationum est? HER. Est planè. SOC. Vtrùm rectè, dicet, qui vt sibi dicendum videtur, ita dicit? an potius qui ita dicit, vt ipsa rerum natura dicere dicíque requirit? & si quo natura exigit, eo & dicat, aliquid dicendo proficiet: sin aliter, abertabit, nihílque efficiet. HER. Ita equidem vt ais, existimo. SOC. An non dicendi pars quædam est nomen? & qui nominant, loquuntur quodammodo? HER. Omnino. SOC. Et nominare actio quædam est? quandoquidem & dicere actio quædam circa res est. HER. Prorsus. SOC. Actiones autem nobis apparuerunt haud ad nos respicere, sed propriá quandam sui habere naturam. HER. Est ita. SOC. Nominandum itaque ea ratione qua rerum ipsarum natura nominare ac nominari postulat, & quo postulat, non autem pro nostræ voluntatis arbitrio, si standum est his quæ dicta sunt. Atque ita aliquid peragemus, nominabimúsque, aliter verò nequaquam. HER. Mihi sic videtur. SOC. Quod incidendum est, aliquo incidédum? HER. Aliquo. SOC. Et quod texendum, aliquo certè texendum, quódve perforandum, aliquo perforandum. HER. Planè. SOC. Item quod nominandum, aliquo nominandum. HER. Sic oportet. SOC. Quid illud, quo aliquid perforare oportet? HER. Terebrum. SOC. Quid quo texere? HER. Radius pecténque. SOC. Quid quo nominare? HER. Nomen. SOC. Bene loqueris, idcóque instrumentum aliquod nomen est. HER. Est. SOC. Si quærerem quod instrumentũ est radius pectéq;, respóderes quo teximus? HER.

Non aliud. SOC. Texentes verò quid facimus? an nõ ſubtegmen & ſtamina cõfuſa, radio diſcernimus? HER. Iſthuc ipſum. SOC. Idẽ de terebro ac cæteris reſpõdebis? HER. Idẽ. SOC. Potes & circa nomen ſimiliter declarare, quid facimus dũ nomine ipſo quod inſtrumentum eſt, aliquid nominamus? HER. Nequeo. SOC. Nunquid docemus inuicem aliquid, ac res vt ſunt, diſcernimus? HER. Nẽpe. SOC. [a] Nomen itaque rerum ſubſtantias docendi diſcernendíque inſtrumẽtum eſt, ſic vt pecten & radius ipſe telæ. HER. Sic eſt dicendum. SOC. Radius porrò textoriũ eſt inſtrumẽtum. HER. Quídni? SOC. Textor itaque radio ac pectine rectè vtetur, rectè, inquam, ſecundum texendi rationem: ille verò qui docet, nomine vtetur, & rectè, rectè videlicet ſecundum docendi propriam rationem? HER. Certè. SOC. Cuius attificis opere bene vtetur textor, quando radio pectinéque vtetur? HER. Fabri lignarij. SOC. Quiſquéne lignarius faber, an potius qui artem habet? HER. Qui habet artem. SOC. Cuius item opere rectè perforator vtetur, quando terebro vtetur? HER. Ærarij fabri. SOC. Num quiſque eſt faber ærarius? an potius qui habet artem? HER. Qui artem. SOC. Age ergo, dic cuius opere ipſe doctor vtatur, quoties nomine vtitur. HER. Neſcio. SOC. Aſſignare & hoc neſcis? quis nobis tradit nomina quibus vtimur? HER. Ignoro & hoc. SOC. Nónne lex tibi videtur nobis nomina ſtatuiſſe? HER. Videtur. SOC. Ergo legiſlatoris vtetur opere doctor, quando nomine ipſo vtetur. HER. Opinor. SOC. Conditor legis quilibet tibi æquè videtur, an qui arte eſt præditus? HER. Arte præditus. SOC. [b] Quare non cuiuſcunque viri eſt Hermoge-

[a] *Nomen, rerum ſubſtantias docendi diſcernendique inſtrumentum.*

[b] *Nomina imponere rebus, non eſt cuiuſuis ſed Legiſlatoris.*

nes no-

nes nomen imponere, verùm cuiusdam nominũ autoris: hic autem est, vt videtur, Legislator, qui rarior omni artifice inter homines reperitur. HER. Apparet. SOC. Animaduerte te obsecro, quò respiciens legislator, nomina rebus imponit: imò superiorum exemplar diiudica, quò respiciens faber radium pecténque conficit, nónne ad tale aliquid, quod ad texendum natura sit aptum? HER. Prorsus. SOC. Si in ipso opere radius hic frangatur, vtrum alium iterum fabricabit ad fracti illius imaginem? a an potius ad speciem ipsam respiciet, ad cuius exemplar radium, qui fractus est, fecerat? HER. Ad ipsam, vt arbitror, speciem. SOC. Nónne speciem ipsam meritò ipsius radij rationem, ipsúmque radium maximè nominabimus? HER. Opinor. SOC. Siquando oportet conficiendæ vesti tenui, vel crassiori lineæ, siue lanæ, siue cuiuslibet alterius rei radium apparare, radios singulos oportet speciem radij ipsius habere qualis verò cuique naturaliter est accommodatissimus, talem ad opus peragendum, vt natura postulat, adhibere HER. Oportet sanè. SOC. Eadem de cæteris instrumentis est ratio. Nam quod natura cuique congruit, instrumentum adinuenien- b dum est, atque id illi attribuendũ, ex quo efficit non qualecunque vult qui fabricat, sed quale natura ipsa exigit. Terebrũ nanq; cuiq; accommodatũ scire oportet in ferro perfice re. HER. Patet. SOC. Radium quinetiã singulis cõpetentẽ in ligno. HER. Vera hæc sunt. SOC. Quippe ipsa ratione naturæ alius radius telæ alteri cõpetit, & in aliis eodem modo. HER. Sanè. SOC. b Oportet quoque vir optime, vt ille legislator nomen natura rebus singulis aptum:

a *Ad ideã respicientes artifices sua opera fabricant.*

b *Rerum naturã debet inspicere Legislator, vt ex aptũ ad exprimẽdam rei naturam literis & syllabis vocabula conficiat.*

in vocibus & syllabis exprimat, ad idque respiciens quod ipsum nomen est, singula nomina fingat, atque attribuat, si reuera nominũ autor est futurus. Quòd si non iisdem syllabis quisque legislator nomẽ exprimit, animaduertendũ est, quod neque fabri omnes ærarij eodẽ in ferro id faciunt, quoties eiusdem gratia idẽ fabricant instrumentum. Verùm quatenus eandẽ ideam attribuunt, licet in alio & alio ferro, eatenus rectè se habet instrumentum, siue hîc, siue apud Barbaros fabricent. Nónne? HER. Maximè. SOC. Nónne eodem modo censebis, donec legislator qui apud nos est, & qui apud Barbaros, nominis speciem cuique competentem tribuunt, in quibuslibet syllabis nihilo deteriorem esse vnum altero in nominibus imponendis? HER. Equidem. SOC. Quis cogniturus est, vtrum conueniens radij species cuicunque ligno sit impressa? num faber qui efficit? an textor vsurus? HER. Probabile est, ô Socrates, magis eum qui est vsurus, cognoscere. SOC. Quis lyræ fabricatoris opere vtitur? nónne ille qui fabricantem instruere potest, & opus recténe an contra factum sit, iudicare? HER. Omnino. SOC. Quis ergo? HER. Citharista. SOC. Quis autem opere structoris nauium? HER. Gubernator. SOC. Quis item legislatoris operi optimè præsidebit, & expletum diiudicabit & apud Græcos & apud Barbaros? Nónne & qui vtetur? HER. Is certè. SOC. An non is est qui interrogare scit? HER. Iste. SOC. Idem quoque respondere? HER. Népe. SOC. [a] Eũ verò qui interrogare scit atq; respondere, aliũ vocas quàm dialecticum? HER. Dialecticum profectò. SOC. Fabri itaque opus est temonem facere gubernatore præcipiente,

[a] *Dialecticus is est qui scit interrogare & respondere.*

præcipiente, si bonus futurus est temo. HER. Apparet. SOC. Nominum quoque autoris opus est, nomen, monête[a] dialectico viro, si modò rectè ponenda sunt nomina. HER. Vera hæc sunt. SOC. Apparet ergo Hermogenes haud leue quiddã, vt ipse cẽses, nominis impositionem esse, neque id esse imperitorum & quorumuis hominum opus. Nempe Cratylus vera loquitur, cùm nomina dicit natura rebus competere, neque vnum quemuis esse nominũ autorẽ, sed illũ duntaxat, qui ad nomen respicit, quod natura cuique cõuenit, posteáque speciem eam literis syllabísque inserit. HER. Nescio Socrates, qua ratione his quæ dixisti, sit repugnandum: fortè verò non facile est subitò sic persuaderi. Videor autem mihi hũc in modũ tibi potius assensurus, si ostenderis, quam dicas esse natura rectam nominis rationem.

[a] *Dialecticus, quia ad rerum naturam declarandam vtitur vocabulis, optimus est iudex, an rectè vel secus rebus imposita sint nomina.*

SOC. Equidẽ, ô beate Hermogenes, adhuc nullam dico, fermè nãque è memoria excidit quod dixeram suprà, me videlicet hoc ignorare, verùm vnà tecũ perquirere. Nunc autẽ mihi & tibi simul inuestigãtibus hoc dũtaxat præter superiora cõpertũ est, rectitudinem aliquã natura nomen habere, nec quemlibet posse nomen rebus accommodare. Nónne? HER. Valdè. SOC. Considerandum restat, si nosse desideras, quænam ipsius sit nominis rectitudo, id est ratio recta. HER. Desidero equidem. SOC. Animaduerte igitur. HER. Qua via inuestigandum mones? SOC. Rectissima est, ô amice, cõsideratio ab his qui sciunt, hæc perquirere, oblatis pecuniis, & gratiis insuper actis: hi verò sophistæ sunt, quibus frater tuus Callias multis erogatis pecuniis, sapiens euasisse videtur. Postquàm verò in res

paternis ius non habes; reliquum est fratrem supplex ores, te doceat nominũ rectitudinem quã à Protagora didicit. HER. Quàm absurda hæc esset petitio Socrates, si cùm illã[a] Protago ræ veritatẽ nullo modo recipiã, ea quæ ex veritate illa dicuntur, alicuius pretij æstimarem. SOC. At verò si tibi hæc non placent, ab Homero cæterísque poetis est discendum. HER. Quid de nominibus, & vbi Homerus, ô Socrates, tradit? SOC. Passim multa, maxima verò & pulcherrima sunt illa, in quibus distinguit circa eadem quæ nomina homines, & quæ dij ipsi inducunt. An non censes ipsum in his magnificum aliquid, & mirandũ de recta ratione nominum tradere? Constat enim deos nominibus illis ad rectitudinem ipsam vti, quæ naturaconsistunt. An non putas? HER. Certè equidem scio, si aliqua dij vocant, rectè eos admodum nominare. Verùm quænam ista? SOC. An ignoras quod de Troiano flumine, quod singulari certamine cum Vulcano pugnauit, inquit? Quod Xanthum dij vocant, viri Scamandrum. HER. Scio. SOC. An non censes magnificum quiddam cognitu esse hoc, qua ratione rectius sit flumen illud Xãthum, quàm Scamandrum nominare? Item si vis animaduerte & istud, quòd auem eandem dicit Chalcidem quidem à diis, Cymindin verò ab hominibus nominari. Leuem cognitionem hanc putas, vt sciatur quanto rectius sit eandem auem Chalcidem, quàm Cymindin, nuncupare, vel Baticam atque Myrinen, aliáque permulta, & apud hunc poetam, & apud alios talia? Verùm istarum rerum inuentio acutius ingenium, quàm nostrum exigit. Scamandrius autem & Astyanax humano ingenio, vt mihi videtur, comprehendi, &

[a] *Protagoræ veritas.*

Iliad. v.

Iliad. ζ.

Iliad. 6.

hendi, & facilè percipi potest (quæ dicit Hectoris filij esse nomina) quam rectitudinem esse Homerus velit in his nominibus. Scis ea carmina quibus insunt, quæ dico? HER. Omnino SOC. Vtrum istorum nominum putas Homerum existimasse conuenire magis puero, Astranactáne, an Scamandrium? HER. Ignoro. SOC. Sic autem considera: si quis te interrogaret, vtrum putes sapientiores rectius nomina rebus imponere, an minus sapientes? HER. Responderem vtique sapientiores. SOC. Vtrum mulieres in vrbibus sapientiores esse tibi videntur, an viri? quantum ad genus attinet. HER. Viri. SOC. Nescis quod inquit Homerus, Hectoris filium à Troianis Astyanacta, à mulieribus Scamandrium nuncupatum? quandoquidem viri illum[a] Astyanacta vocare consueuerunt. HER. Videtur. SOC. Nónne Homerus Troianos viros sapientiores quàm mulieres eorum existimauit? HER. Arbitror equidē. SOC. Astyanacta igitur rectius, quàm Scamandrium nominatum esse censuit. HER. Apparet. SOC. Animaduertamus, quam ipse denominationis huius causam affert. Solus enim, inquit, ciuitatem ipsis tutatus est amplāque mœnia. Quapropter decet, vt videtur, Conseruatoris filium nominare ἀτυάναχτα, id est regem vrbis, vrbis, inquam, eius, quam pater ipsius seruauit, vt inquit Homerus. HER. Idem mihi quoque videtur. SOC. Quid ita tandem? etenim ipse nondum satis intelligo, ô Hermogenes: Tu verò percipis? HER. Non per iouem. SOC. Atqui & Hectori, ô bone vir, nomē ipse Homerus imposuit. HER. Quodnam? SOC. Mihi quidem videtur id nomen Astyanacti esse quamproximum: ferme enim

[a] *Astyanax cur à Troia nis appellatus fuerit filius Hectoris.*

idem significant, putántque Græci vtraque hæc nomina regia esse. Cuiuscunque enim
Hector. quis ἄναξ, id est rex extitit, eiusdē est & ἕκτωρ id est, possessor. Constat enim dominari illi, possidetéque, & habere. An fortè nihil tibi dicere videor? méque fallit opinio, qua Homeri scientiam circa nominum rectitudinem, eu per vestigia quædam attingere confidebam? HER. Nullo modo, vt arbitror, fortè enim nonnihil attingis. SOC. Decet, vt mihi videtur leonis filium leonem similiter nominare, equi filium equum, haud certè dico, si quid tanquam monstrum ex equo nascatur, aliud quid dam quàm equus: sed cuius generis secundum naturam est, quod nascitur, hoc dico. Si enim bouis secundum naturam filius equum gignit, non vitulus qui nascitur, sed pullus equinus est nuncupandus. Et si equus præter naturam gignit vitulum, non pullus equinus dicendus est hic, sed vitulus. Neque etiam si ex homine alia proles quàm humana producitur, quod nascitur homo vocari debet. Idémque est de arbotibus, déque cæteris omnibus iudicandum. Probas hæc? HER. Probo equidem. SOC. Obserua me nequid defraudem. Eadem quippe ratione, si quis ex rege nascitur, rex est nominādus: in aliis verò & aliis syllabis idem significari, nihil interest, neque refert, siue addatur litera aliqua, siue etiam subtrahatur, donec essentia rei significatæ in ipso nomine elucens dominatur. HER. Quî istuc ais? SOC. Nihil mirum nouúmve dico, verum ita, vt in elementis fieri cernis, scis enim quòd elementorum nomina dicimus, ipsa verò elementa nequaquam, quatuor duntaxat exceptis, dicimus enim, ε & υ ψιλὸν ο μικρὸν & ω μέγα. Cæteris an-

ris autem tam vocalibus, quàm non vocalibus, alias addentes literas, vt ζῆτα ν.τ α. nomina constituimus, atque ita proferimus. Verùm quandiu elementi ipsius vim quæ declaratur inferimus, conuenit nomen illud vocare ipsum quod nobis significet elementum, vt in Βῆτα apparet, vbi additis ν.τ.α. nihil obstitit quin integro nomine natura elementi illius ostenderetur, cuius nominum autor voluit: vsque adeò scitè literis nomina dedit. HER. Vera mihi loqui videris. SOC. Nónne eadem de rege ratio erit? Erit vtique ex rege rex, ex bono bonus, ex pulchro pulcher, & in cæteris omnibus, similiter ex quolibet genere alterum quiddam tale, nisi monstrum fiat, eadémque dicenda nomina. Variare autem licet per syllabas, vt videantur homini rudi, quæ sunt eadem, esse diuersa, quemadmodum pharmaca medicorum coloribus & odoribus variata sæpe, cùm eadem sint, nobis diuersa videntur: Medico autem vim pharmacorum consideranti eadem iudicantur, neque eum additamenta perturbant.[a] Similiter fortèqui est in nominibus eruditus, vim illorum considerat, neque eius turbatur iudicium siqua litera addita est, vel transmutata, vel dempta, vel in aliis literis ac multis eadem vis nominis reperitur. Vt ea nomina quæ suprà diximus, Astyanax & Hector, literas omnino diuersas, præter, τ, solùm habent, idem tamen significant. Item qui ἀρχίπολις, id est, princeps ciuitatis dicitur, quam literarum communionem cum duobus superioribus habet? Idem nihilominus significat. Multáque sunt alia, quæ nihil aliud quàm regem significant. Multa præterea sunt, quæ exercitus ducem significant, vt

[a] *Non omnis literarum vel syllabarum diuersitas nominũ vim immutat.*

ἄγις, πολίμαρχος, ἀπόλεμος. Alia item quæ medicinæ professorem declarant, vt ἰάλεργος, ἀκέσιμβροτος. Aliáque permulta reperiri possunt, syllabis & literis discordãtia, vi autẽ significationis penitus consonantia. Sicne & ipse putas an aliter? HER. Sic certè. SOC. His profectò, quæ secundum naturam fiunt, eadẽ tribuenda sunt nomina. HER. Omnino. SOC. Quoties verò præter naturam homines aliqui fiunt in quadam specie mõstri, velut quũ ex bono pióq; viro impius generatur, qui genitus est, non genitoris nomen sortiri debet, sed eius in quo ipse est generis: quemadmodũ suprà diximus, si equus bouis prolem generet, non equum eius filium, sed bouem denominandũ. HER. Sic est. SOC. Homini igitur impio ex pio genito, non parentis, sed generis nomen attribuendũ. HER. Vera hæc sũt. SOC. Neq; igitur θεόφιλον, .i. Dei amicũ, neque μνησίθεον, id est Dei memorem, vel talẽ aliquem huiusmodi vocare filium talem decet, sed contraria significantibus nominibus appellare, si modò rectè nomina instituta esse debent. HER. Sic prorsus agẽdum, ô Socrates. SOC. Profectò [a] Oresti nomẽ rectè, ô Hermogenes, videtur impositum, siue aliqua fors illi nomen dedit, siue poeta quidã, ferinam eius naturam agrestémque & montanam nomine eo significans. HER. Sic apparet, Socrates. SOC. Videtur & patri eius secũdum naturam nomen esse. HER. Apparet. SOC. Apparet vtique talis esse [b] Agamemnon, vt sibi laborandum censeat, tolerandúmque, & in iis quæ decreuit, per virtutem perseuerandum. Argumentum verò tolerãtiæ suæ apud Troiã tanto cum exercitu perdurationem præbuit. Quòd igitur mirabilis perseuerantia vir hic fuerit, nomen

[a] *Orestes re ctè nomen impositum est, quod habuit.*

[b] *Agamemnon.*

nomen significat Agamemnon, quasi ἀγαστὸς ἐν Τοῖς ἀμφιλοῖς. Fortè verò & [a] Atreus rectè est nominatus. Nec enim Chrysippi, & crudelitas quam exercuit aduersus Thyestem, omnia hæc damnosa & noxia, id est ἀτηρὰ ad virtutē sunt. Cognominatio igitur patumper declinat, & clàm innoit, vt non quibuslibet naturam huius viri declaret: his autem qui nominum periti sunt, satis Atrei significatio patet. Dicitur enim secundum ἀτηρὸς, ἄτρεστον, ἀτηρὸν, quasi indomitus, inexorabilis, noxius contumeliosúsque fuerit. Videtur & [b] Pelopi nomē haud abre tributū. Hominem quippe, quæ propè sunt videntem, nomē istud congruè significat eum hac appellatione esse dignum. HER. Cui illi id cōuenit? SOC. Quoniam in Myrtili cæde, vt fertur, prouidere nihil potuit, neque eminus prospicere quanta toti generi ex hoc calamitas immineret. Quæ enim ante pedes erant, & ad præsentia tantū respiciebat, hoc autē est propè aspicere: quod & fecit, cum Hippodamiæ coniugium omni conatu inire contendit. Vnde Pelopi nomē à πέλας, id est, propè, &, ὄψις, quod ad visionem pertinet. [c] Tantalo quinetiā nomen rectè & secundum naturā videtur impositum, si vera sunt, quæ circunferuntur. HER. Quænā ista? SOC. quòd viuēti adhuc illi aduersa plurima & grauia cōtigerunt, tādém que patria eius omnis subuersa est. Defuncto præterea saxi in caput ταλαντεία, hoc est suspēsio, ac idem ipsi impendens, mirum quàm consonè & manifestè nomini ipsius similis est: perinde ac si quis nominare ταλαίπατον, id est, infelicissimum voluisset, sed paulò locutus obscurius, pro Talātato Tantalum posuisset. Tale vtiq; nomē fortuna eius aduersa ipso rumore

[a] *Atreus.*

[b] *Pelops.*

[c] *Tantalus.*

gentiũ præbuisse videtur. Quinetiã patri eius cui nomẽ est, [a] Ioui, rectè nomẽ est inditũ, neque tamẽ facilè cognitu. Est enim velut oratio quædã Iouis nomẽ, quod quidẽ bifariã patientes, partim vna, partim altera parte vtimur. Quidnã ζῆνα, quidã δία, vocant. Quæ partes in vnũ cõpositæ, naturam Dei ipsius ostendunt, quod maximè debet nomen efficere posse. Nulla enim nobis cæterisq; omnibus viuendi magis causa est, quàm princeps, rexque omniũ. Quaptopter decens nomen est hic sortitus, eo quòd Deus sit, per quẽ vita semper viuentibus omnibus ineſt. Sectũ autẽ in duo est vnũ, vt dicebã, nomen in δία videlicet atq; ζῆνα. Hunc Saturni filiũ cùm quis audiat: fortè insolẽtem cõtumelioſúmq; putarit. Verùm probabile est magnæ cuiusdã intelligentiæ prolẽ Iouẽ esse. Quod enim Saturni κόρος dicitur, non puerum significat, sed puritatẽ mẽtis ipsius, & sinceram integritatẽ. Est autẽ is ἀκήρατος, id est, cœli filius, vt fertur. Quippe aspectus adsupera meritò ἀκρόπια vocatur, quasi ὁρᾶσα τὰ ἄνω. i. vidẽs superna. Vnde affirmãt, ô Hermogenes, ij qui de rebus sublimibus agunt, purã mentẽ adesse, & ἀκρατῆ, iure nomẽ impositũ. Si autẽ genealogiam deorũ ab Hesiodo traditã mẽte teneres, & quos horum progenitores inducit, recordarer, haudquaquam cessarem ostẽdere tibi rectè illis nomina inscripta fuisse, quoad huius sapientiæ periculum facerem, siquid ipsa proficiat peragátque, & an deficiat necne, quæ mihi tam subitò (ignoto equidẽ vnde) nuper illuxit. HER. Profectò mihi videris, ô Socrates, instar eorũ qui numine rapiuntur, protinus oracula fundere. SOC. Recte quidem, ô Hermogenes, hanc in me sapientiam ab [b] Eutyphrone Pantij filio

[a] *Iupiter.*

[b] *Eutyphron Pantij filius.*

tij filio emanasse. Illi siquidē adstiti à matutino assiduus, aurésque porrexi. Videtur ergo numine afflatus, non modò iures meas beata sapientia impleuisse, verumetiā animū occupasse. Sic vtique agendum arbitror, vt hodie quidē vtamur ipsa, & reliqua quæ ad nomina pertinent, indagemus. Cras verò, si in hoc cōsenserimus, expiabimus eam, eáque nos abdicabimus, si modò hominem nacti erimus, siue sacerdoté, seu sophistam hatū expiationū peritum. HER. Probo hæc maximè Socrates: libē tissimè nāque quæ de nominibus restant, audirē. SOC. Ita prorsus agendū. Vnde igitur potissimùm exordiendum iudicas, postquā formulam quandā præscripsimus, vt pernoscamus an etiam nomina nobis ipsa testentur non casu quodam facta fuisse, verùm rectitudinem aliquam continere? Nomina quidem heroum atque hominum nos fortè deciperent: horum namque multa, secundū cognomenta maiorū posita sunt, & sæpe nequaquam conueniunt, quemadmodum in principio diximus. Multa verò quasi optantes homines nomina tribuūt, vt εὐτυχίδην, τιμοκράτην, Θεόφιλον, aliáq; permulta. Talia itaque prætermittenda censeo, decens enim consentaneúmq; maximè reperire nos, quæ in rebus sempiternis, & naturæ ordine constitutis rectè sunt posita. Nam circa ista in condendis nominibus studuisse maximè decet Fortè verò ipsorū nōnulla diuiniore quadā potētia, quàm humana sunt instituta. HER. Præclarè mihi loqui videris, ô Socrates. SOC. Nónne par est ab ipsis diis incipere, rationémque inuestigare qua θεοὶ vocati sunt? HER. Nempe. SOC. Equidem ita coniicio. [a] Vidētur vtique mihi Græcorum prisci [b] deos solos pu-

[a] θεοὶ vnde dicti.

[b] Qui primi Dij habiti apud Græcos.

tasse eos, quos etiam his temporibus Barbarorum plurimi arbitrantur, solē, lunam, terrā, stellas, cœlum. Cùm ergo hæc omnia perpetuo in cursu esse conspicerent, ab hac natura θεοὺς, θέειν nominasse videntur, deinde & alios animaduertentes omnes eodem nomine nuncupasse. Habet quod dico verisimile aliquid, nécne? HER. Habet certe. SOC. Quid posthac inuestigandum? HER. Constat de dæmonibus heroibúsque, & hominibus quærendum esse, SOC. De dæmonibus? & certè sic se res habet, ô Hermogenes, quid igitur sibi vult dæmonũ nomen? animaduertemus aliquid dicã HER. Die modò. SOC. Scisne quos Hesiodus δαίμονας esse inquit? HER. Non. SOC. Neque etiam, quòd aureũ genus hominũ ait in principio extitisse? HER. Hoc quidem noui. SOC. Ait enim ex hoc genere post præsentis vitæ fata fieri dæmones sanctos, terrestres, optimos, malorum expulsores, & custodes hominum. HER. Quid tum? SOC. Nempe arbitror vocare illum aureum genus, non ex auro constitutum, sed bonum atque præclarum, quod inde coniicio, genus nostrum ferreum esse dicit. HER. Vera narras. SOC. An non putas siquis nunc ex nostris bonus fit, aurei hunc generis ab Hesiodo æstimari? HER. Consentaneum est. SOC. Boni autem sũtne aliud quiddam, quàm prudentes. HER. Prudentes. SOC. Idcirco, vt arbitror, eos dæmones præcipuè nuncupat, quia sapiẽtes δαήμονές que erant. Et ex nostra istud prisca lingua nomen existit. Quamobrem & is, & cæteri poetæ permulti præclarè loquuntur, quicunque aiunt videlicet, postquàm bonus aliquis vita functus est, maximam dignitatem præmiúmque sortitur, fitque dæmon secundũ sapientiæ

a Dæmones, qui, & vnde appellati.

sapientiæ cognomentum. Ita & ipse asserto δαίμονα, id est sapientẽ omnẽ esse hominem, quicunque sit bonus, cúmque dæmonicum esse, id est felicem, viuentem atque defunctum, rectéque dæmonem nuncupari. HER. Videor mihi, ô Socrates, in hoc tecum maximè consentire, [a] ἥρωας autem quid significat? SOC. Id nequaquã inuentu difficile, paulò enim heroũ nomen ab origine distat, indicans generationem illorum ἀπὸ τοῦ ἔρωτος manasse. HER. Qua ratione id ais? SOC. An ignorans semideos heroas esse? HER. Quid tum? SOC. Omnes vtique heroes, vel ex amore deorum erga mulieres humanas, vel amore virorum erga deas sunt geniti. Præterea si hoc secundũ priscam Atticorum linguam consideraueris, magis intelliges: reperies enim quòd paulisper mutatum est nominis gratia ex ἔρωτος, vnde sunt heroes geniti: quóduc aut hinc heroũ nomen est duẽtũ, aut ex eo quòd sapientes, rhetoréque fuerunt, facũdi videlicet, & ad interrogandum differendúmque prõptissimi, εἰρεῖν nãque dicere est. Quare, vt modò dicebamus, Attica voce heroes rhetores quidã, & disputatores, & amatorij videntur. Vnde rhetorũ sophistarúmq; genus heroica proles existit. Verùm nõ istud qdẽ difficile cognitu, imò illud magis obscurũ, quã ob causam homines [b] ἀνθρώπους nominantur, habes ipse quid asseras? HER. Vnde id habeã bone vir? Quin si reperire quoquo modo possim, nõ conarer tamẽ, propterea quòd te melius faciliúsq; quàm me reperturũ spero. SOC. In Euthyphronis inspiratione cõfidere mihi videris. HER. Absque dubio. SOC. Et meritò quidẽ cõfidis. Nã bellè nimiũ mihi nunc videor cogitasse, ac periculum

[a] *Heroes vnde dicti.*

[b] *Vox ἄνθρωπος vnde.*

est, nisi caueam, ne hodie sapientior, quàm decet, videar euasisse. Attende ad ea quæ dicam. Hoc in primis circa nomina animaduertere decet, q̃ sæpe literas addimus, sæpe etiã demimus, dũ pro arbitrio nominamus, & acuta sæpenumero transmutamus, vt cùm dicimus φίλος: hoc vt pro oratione nomen nobis foret, alterũ ι̃ῶ fustulimus, & pro acuta syllaba media, grauẽ pronunciamus. In aliis quibusdam literas interserimus, alia verò grauiora proferimus. HER. Vera refers. SOC. Hoc & in ἄνθρωπος contingit, vt mihi quidẽ videtur. Nam ex oratione nomen constitutum est, vno α ex empto, grauioriq; sine effecto. HER. Quomodo istud ais? SOC. Ita hominis nomen illud significat, quòd cætera quidẽ animalia quæ vidẽt, nõ considerant, neque animaduertũt, neq; contẽplãtur: homo autẽ & videt simul, & contẽplatur, animaduertítq; quod videt. Hinc meritò solus ex omnibus animantibus homo ἄνθρωπος est nũcupatus, quasi ἀναθρῶν cõtẽplans, quæ ὄπωπε, id est, vidit. Quid post hæc quærã? An videlicet quod libenter perciperem? HER. Maximè. SOC. Succedere statim superioribus mihi videtur de anima, & corpore consideratio. Nã anima & corp° hominẽ vocam⁹. HER. Sine controuersia. SOC. Conemur hæc quemadmodum superiora distinguere. Quærendum primò de anima putas, vt rectè[a] ψυχὴ nomina ta fuerit, deinde de corpore? HER. Equidem. SOC. Vt igitur subitò exprimã quod primùm mihi nũc se offert, arbitror illos qui sic animã vocitarunt, hoc potissimũ cogitasse, quòd hæc quoties adest corpori, causa est illi viuendi, respirandi, & refrigerandi vim exhibens: & cùm primum desierit quod refrigerat, dissoluitur corpus,

δίφιλος.

[a] ψυχὴ, anima, vnde nomen hoc habuerit.

corpus, & interit. Vnde ψυχὴν nominasse videntur, quasi ἀναψύχειν, respirando refrigerij. At verò, si placet, sistè parùper. Videor mihi aliquid inspicere probabilius apud eos, qui Euthyphronē sequuntur, nā istud quidē aspernarentur, vt arbitror, & durum quiddā esse censerent, sed vide an hoc tibi sit placiturū. HER. Dic modò. SOC. Quid aliud, quàm anima tibi videtur corpus continere, vehere, & vt viuat & gradiatur efficere? HER. Nil aliud. SO. [a] An non Anaxagoræ credis, rerum naturam omnium mēte quadam, & anima exornari simul, & contineri? HER. Credo equidē. SO. Pat est igitur eam potentiam nominare σωσέχειν, quæ σύσιν, naturā, ὀχεῖ & ἔχει, id est vehit & continet, concinnius autē ψυχὴ profertur. HER. Sic est omnino. SO. Videturque mihi istud artificiosius esse. HER. Est profectò. SO. Ridiculū autem appareret, si ita vt positū fuit, nominaretur. HER. Quod verò post hoc sequitur, cuiusmodi esse dicimus? SO. σῶμα (id est corpus) dicis? HER. Certè. SOC. Multifariā se hoc habet, vt mihi videtur, siue paululum quis declinet, siue etiam valdè multum. Etenim quidam corpus hoc animæ σῆμα, sepulchrum esse tradunt: quasi ipsa præsenti in tempore sit sepulta: atque etiam quia anima per corpus σημαίνει, significat, quæcunque σημαίνει significare potest, idcirca & σῶμα iure vocari. Videntur mihi tamē Orphei sectatores nomē hoc ob id potissimum posuisse, quòd anima in corpore hoc delictorum det pœnas, & hoc circumsepto vallóque claudatur, & velut in carcere quodam, σωζήται, seruetur. Esse itaque volunt hoc ita, vt nominatur, animæ σῶμα seruandi gratia claustrū, quo ad debita quæq; ex-

[a] *Anaxagoræ opinio de Mente vniuersi.*

pendat, neque literam aliquã adiiciendam putant. HER. De his satis dictum, ô Socrates, arbitror. Verùm de nominibus aliquorũ deorũ possumúsne ita, vt de Ioue actum est, considerare, secundum quã rectitudinem nomina sint impositа? SO. [a] Per Iouem nos quidem si mẽtem haberemus Hermogenes, præcipuũ rectitudinis modum arbitraremur, fateri nihil nos de diis cognoscere, neque de ipsis inquã, neq; de ipsorum nominibus quibus ipsi se vocant. Constat enim illos quidẽ veris se nominibus nuncupare. Secundũ verò rectæ denominationis modũ existimo, vt quẽadmodũ lex in votis statuit precari deos, quomodocunque nominari his placet, & ita nos ipsos vocemus, tanquã nihil aliud cognoscentes. Rectè nanq;, vt mihi videtur, est decretũ. Quare, si vis, ad hanc inuestigationem pergamus, primò quidẽ diis præfati, nos nihil de ipsis consideraturos, neque enim posse confidimus: sed de hominibus potius, qua potissimum opinione circa deos affecti nomina ipsis imposuerunt. Hoc enim à diuina indignatione procul. HER. Modestè loqui videris, ô Socrates, atque ita prorsus agendum. SO. Nónne à Vesta secundũ legem incipiendũ? HER. Sic vtique decet. SOC. Qua ratione [b] ἑστίαν hãc nominatam dicemus? HER. Per Iouẽ haud facilè istud inuentu. SO. Videntur sanè, ô bone Hermogenes, primi nominũ autores nõ hebetes quidã fuisse, verũ acuti rerũ sublimiũ inuestigatores. HER. Quãobrem? SOC. Talium quorundam hominum inuentione nomina apparent imposita. ac si quis peregrina consideret nomina, nihilominus quod sibi vult, vnumquodque reperiet. quemadmodum hoc quod nos οὐσίαν, essentiam

[a] *De Dei natura nihil potest homo cognoscere.*

[b] *ἑστίας i. Vesta nomẽ vnde.*

tiam nominamus, quidã οὐσίαν nuncupant, alii ὠσίαν. Primò quidẽ secundũ alterũ nomen istorũ, haud procul à ratione videtur rerum essentia οὐσία vocari & quia nos quod est essentiæ particeps οὐσίαν vocamus, ex hoc rectè οὐσία posset denominari. Superiores nostri quondã ὀυσίαν, ἐσίαν vocabant. Quinetiam si quis sacrorũ ritus animaduerterit, existimabit sic eos putasse qui hæc posuerunt. Etenim ante deos omnes Vestæ sacra facere decet eos qui essentiam omnium Vestam cognominarunt. Qui item ὠσίαν nominarunt, hi fermè secundum Heraclitum censuerunt fluere omnia semper, nihilque consistere. Causam igitur & ipsorum originem ducem ipsum ὦσὰν, quod impellit. quapropter meritò ipsum ὠσίαν, impellentem causam nominari. De his hactenus ita sit dictum, velut ab iis qui nihil intelligunt. Post Vestã autem, de Rea atque Saturno considerare conuenit, quanquã de Saturni nomine in superiorib. diximus. Fortè verò nihil dico. HE. Cúrnam, ô Socrates? SO. O bone vir, sapientiæ quoddam examen animaduerti. HER. Quale istud? SO. Ridiculum dictu: habe tamẽ nonnihil probabile. HER. Quod probabile? SO. Inspicere mihi Heraclitum videor, iampridem sapienter nonnulla de Saturno Rheáque tradentem, quæ & Homerus dixerat. HE. Quid istud ais? SO. [a] Ait enim Heraclitus fluere omnia, nihilque manere, rerúmq; ipsarum progressum omnis fluxui comparans. haud fieri posse inquit, vt bis eandem in aquã te mergas. HER. Vera hæc sunt. SO. An videtur tibi ille ab Heraclito dissentire, qui aliorum deorum progenitoribus inseruit Rheam atque Saturnum? Nunquid putas temerè illum vtriusque

[a] *Heraclitiopinio de perpetuo fluxu & motu rerum omniũ.*

profluentiũ nomina imposuisse? Quin & Homerus Oceanum deorum originem instituit, & Thetyn genitricẽ. Idémque voluit, vt arbitror, & Hesiodus. Ait præterea Orpheus, Oceanum primũ pulchrifluum coniugiũ inchoasse, qui cũ [a]Thety germana se sua cõmiscuit. Vide quàm maximè hæc inuicé consonant, omniáq; in opinionẽ Heracliti redeunt. HER. Videris mihi aliquid dicere Socrates. Thetyos autem nomen haud satis quid sibi velit, intelligo. SOC. Hoc vtique idem fermè significat: quoniam fontis nomen est reconditum. Nam διαττόμενον, & ἀθέμελτον, id est scaturiẽs [seu prosiliens, & quod colatur] fontis imaginem præ se ferunt, ex vtrisque verò hisce nominib. nomen θεσὺς est compositũ. HER. Hoc quidem belliſſimum est, ô Socrates. SO. Quidni? Verũ quid deinceps? De Ioue profectò diximus. HE. Sic est. SO. Fratres autem eius dicamus Neptunum atque Plutonem, noménque aliud quo ipsum vocant. HER. Prorsus. SOCR. Videtur [b] Neptunus ab eo qui primum nominauit, idcirco ποσειδῶν vocatus fuisse, quia euntem ipsũ maris natura detinuit, neq; progredi vltrà permisit, sed quasi vincula pedibus ipsius iniecit. Maris itaque principẽ ποσειδέσμα vocauit, quasi ποσίδεσμον ὄντα, id est pedum vinculum habentem. ε verò decoris gratia fortè adiectum fuit. Forsitan non hoc sibi vult, sed pro σ, λ primò fuit positũ, quasi dicatur πολλὰ εἰδώς, id est multa noscens Deus. Fortassis ab eo quod dicitur σείειν, id est quatere, σείων, id est quatiens est nominatus, cui ω & ο & δ fuit adiectum. Plutonem autem quasi πλοῦτον id est diuitiarum datorem dicimus, quoniam diuitiæ ex terræ visceribus eruuntur. ᾅδης verò multitudo

[a] Thethys vnde.

[b] ποσειδῶν, i. Neptunus vnde sic appellatus.

tudo interpretatur, quasi δειδής, triste tenebrosúmve. Atque hoc nomen horrentes Plutonẽ vocitant. HER. Tu verò quid sentis Socrates? SO. [a] Videntur mihi homines circa potentiã Dei istius multifariã errauisse, eúmque exhorruisse semper, cùm minimè deceat. Porrò quisque ex hoc pertimescit, quòd nemo postquam defunctus est, huc redit, quódve anima nudata corpore, illuc abit. Cæterũ hæc oĩa & regnũ & nomen huius dei, eodem tẽdere mihi vidẽtur. HE. Quo pacto? SO. Dicã quod sentio. mihi enim respondε. Vtrũ horũ validius vinculum est ad quoduis animal alicubi detinendũ, necessitásne an cupiditas? HE. Lõgè, ô Socrates, præstat cupiditas. SOC. An nõ plurimi ἅιδου quotidiè subterfugerent, nisi fortissimo vinculo eos qui illuc descendunt, vinciret? HE. Videlicet. SOC. Quare cupiditate quadã eos, vt videtur, potius quàm necessitate deuincit, si modò vinculo nectit fortissimo. HER. Apparet. SO. Nónne rursus multæ cupiditates sunt? HER. Multæ. SOC. Ergo vehementissima omnium cupiditate nectit eos, si modò debet insolubili nodo cõnectere. HER. Certè. SOC. Estne vehementior vlla cupiditas, quàm ea qua quisque afficitur, dum alicuius consuetudine meliorem se virum sperat euadere? HER. Nulla mehercle Socrates. SOC. Hac de causa dicendũ Hermogenes, neminem huc illinc velle reuerti, neque etiam Syrenes ipsas, imò & eas & cæteros omnes suauissimis Plutonis orationibus demulceri quasiq; deuinciri. Estque, vt ratio hæc testatur, deus is sophista proculdubio disertissimus, & ingentia confert his qui penes ipsum habitant beneficia, qui vsqueadeò diuitiis affatim abundat, vt tanta nobis bo-

[a] *De Plutonis nomine eius vi ad detinendas animas ne in corpora velint reuerti.*

na suppeditet, vnde & Pluto est nuncupatus. An non philosophi tibi videtur officium, virique summa prudentia & consilio præditi, quòd nolit hominibus corpora habentibus adhærere, sed tunc demum admittat eos, cum animus illorum est corporeis omnibus malis cupidinibúsque purgatus. Excogitauit nempe hic deus hac ratione se animos maximè detenturũ, si virtutis eos auiditate vinciret. Eos autem qui stupore & insania corporis sunt infecti, ne pater quidem Plutonis Saturnus ipse suis illis vinculis coercere valet, secúmque tenere. HER. Nonnihil loqui videris, ô Socrates. SOC. Longè abest Hermogenes, vt nomẽ ἀΐδης, quasi ἀειδὴς, id est triste tenebrosúmve sit dictum, imò multò magis ab eo trahitur, quod est εἰδέναι, id est nosse omnia pulchra. Ex hoc itaq; deus iste à nominũ cõditore ἀΐδης est nũcupatus. HER. Esto. Quid præterea dicimus de Cereris nomine, Iunonísque, Apollinis & Mineruæ, Vulcanique & Martis, cæterorúmq; deorũ? SOC. Ceres quidem [a] δημήτηρ nuncupatur ab ipsa alimẽtorũ largitione, quasi διδοῦσα μήτηρ, hoc est exhibens mater, [b] ἥρα verò id est Iuno, quasi ἐρατή, id est, amabilis, propter amorem quo Iupiter in eam afficitur. Fortè etiã sublime spectãs qui hoc nomen instituit, aerẽ ἀέρα denominauit, & obscurè locutus est, ponens in fine principium quod quidem patebit tibi, si nomen illud frequenter pronunciaueris. [c] φερρέφαττα, id est Proserpinam & ἀπάτορα nonnulli nominare verentur, propterea quòd illis ignota est nominũ rectitudo. Enimuerò permutãtes φερσεφόνην ipsã cõsiderãt, grauéq; id illis apparet. Hoc aũt deæ ipsius sapiẽtia iudicat. Saprentia vtiq; est quæ res

a δημήτηρ, i. Ceres, vnde sic dicta.

b ἥρα vnde.

c φερρέφαττα i. Proserpina vnde.

res fluentes attingit,& assequi potest. Quãobrẽ σοφία meritò dea hęc nominaretur,propter sapientiã,& ἁπτήν, id est contactũ, ῥοφητήν, id est eius quod fertur, vel tale aliquid. Quocirca adhæret illi sapiẽs ipse ἀδύς: quia ipsa talis est. Nunc aũt nomẽ hoc declinãt,plutis facientes prolationi gratiã quàm veritatẽ, vt σωφρέστατην ipsã nominẽt. Idẽ quoq; circa[a] Apollinis nomẽ accidit. nã pletiq; id nomẽ exhorrẽt,quasi terribile aliquid præ se ferat. An non nosti? HER. Noui equidẽ,& vera loqueris. SO. Hoc autẽ, vt arbitror, huius dei potentiæ maximè conuenit. HER. Qua ratione? SOC. Conabor sententiã meã exprimere Nullũ profectò nomẽ aliud vnũ quatuor huius dei potẽtiis reperiri conuenientius potuisset, quod & cõpræhenderet omnes, & ipsius quodãmodo declararet musicã vaticiniũ,medicinã,& sagittandi peritiam HER. Aperias iã. Mirum quiddã nomen id esse ais. SO. Congruè quidem compositum est, consonátq;, vtpote quòd ad deum pertinet musicũ Principio purgatio purificationésque & secundum medicinam, & secundũ vaticiniũ, item quæ medicorũ phatmacis peraguntur,ac vatũ incantationes expiationésq;,lauacra,& aspersiones: vnum hoc intendunt,purũ hominem & corpore & anima reddere. HER. Sic omnino. SO. Nónne deus qui purgat, ipse erit ἀποτρόπαιος & ἀπολύων, id est abluens à malis, soluénsq;,quod Apollo ipse significat HER. Absq; dubio. SO. Quatenus itaq; diluit atq; soluit, vt talium medicus, ἀποτρόπαιος meritò nuncupatur. Secundum verò diuinationem,verúmque & ἁπλοῦν,id est, simplex, quod idem est, recte more Thessalicorum nominare hunc possumus hi nẽpe omnes

[a] *Apollinis nomẽ vnde.*

deum hunc ἁπλοῦν vocant. Quatenus autē ἀεὶ βαλῶν ἡκεστής ἐστι, id est coniectiones telorū, quū arcū intendit, semper in sua potestate habet, ἀεὶ βάλλων dici potest, hoc est, perpetuò collineans, & dirigens. Secundū verò musicā, de hoc est cogitandū quemadmodū de eo quod dicitur ἀκόλουθος & ἄκολπος, id est pedissequus, comes, & νκον, in quibus α vt in aliis multis, idem quod simul significat. Hic quoque α & πόλησις significant versionem quæ simul & vnà peragitur in cœlis, quæ per eos fit quos πόλους vocamus: in cantu verò ἁρμονία, quam dicimus συμφωνίαν. Quia in his, vt tradunt musicæ & astronomiæ periti, harmonia quadā simul omnia conuertuntur. Hîc autē deus harmoniæ præsidet ὁμοπολῶν, id est simul vertens hæc omnia, & apud deos & apud homines. Quemadmodum igitur ὁμοπόλευσον & ὁμόκοιτον, id est simul euntem & simul iacentē, vocauimus ἀκόλουθον & ἄκοιτον, ο in α permutantes, ita Apollinem nominauimus eum qui erat ὁμοπολῶν, altero λ interiecto, quia æquiuocum fuisset duro cum nomine, quod & his tēporibus suspicati plerique, ex eo quòd non rectè vim nominis huius animaduertunt, perinde hoc metuunt, ac si pernicie quandā significaret. Sed reuera nomen hoc omnes huius dei vires cōplectitur, quēadmodū suprà diximus. Significat enim simplicē, perpetuū iaculatorē, expiatorē, & conuertentē, [a] Musarum verò & musicæ nomen, ab eo quod dicitur μώσθαι, id est inquirere, indagationéque & studio sapientiæ tractū est, [b] λητὼ, id est Latona, à mansuetudine dicitur, quia sit ἕτοιμον, id est prōpta & exposita & libens ad id quod petit quisque exhibendum. Fortè verò, vt peregrini vocant:

[a] *Musarum nomē unde.*

[b] *Latona unde.*

multi

multi nanque ληθὼ nominant, quod nomen tribuisse videntur, quia non rigida illi mens, sed mitis, ideo ληθὼ, quasi λεῖον ἦθος, id est mos lenis & mitis, ab illo cognominatur. ἄρτεμις, id est Diana, ex eo quòd[a] ἀρτεμὲς. quasi integra modestáque sit propter virginitatis electionē. Forsitan etiā quasi ἀρετῆς ἴσορρ., id est virtutis conscià, vocauit nominis institutor. Fortassis etiā dicta est Artemis, quasi ἄρρητον μισησάσης, id est quasi illa congressum oderit viri cum muliere. Vel enim propter horū aliquid, vel propter omnia huiusmodi nomen est institutū. HER. Quid verò[b] διόνυσος & ἀφροδίτη? SO. Magna petis Hipponici fili. Atqui est nominū ratio his diis impositorū gemina, seria videlicet & iocosa. Seriā quidem ab aliis quære, iocosam autē nihil prohibet recensere. Iocosi sanè & dij sunt: Dionysiusque est διδοὺς τὸν οἶνον, id est vini dator, quasi διδόνυσος, ioco quodā cognominatus. Vinū autē meritò vocari potest διόνυσος, quòd efficiat, vt bibentes plerique mēte alienati, οἴεσθαι νοῦν ἔχειν, id est mentē habere se putent. De Venere Hesiodo repugnare nō decet, sed cōcedere propter ipsam ex ἀφροῦ, hoc est ex spuma generationē, ἀφροδίτην vocari. HER. At verò[c] ἀθηνᾶ, id est Mineruā, ô Socrates, cùm sis Atheniēsis, Vulcanúmque & Martē, silentio non præteribis. SOC. Haud quaquā decet. HER. Non certè SOCR. Alterū quidem eius nomen quāobrem sit positū, haud difficile dictu. HER. Quod? SOC. Palladem eam vocamus. HER. Planè. SO. Nomen hoc censendū est à saltatione in armis ductū fuisse, porrò vel sese, vel aliud à terra attollere, seu manibus aliquid efferre, dicimus πάλλειν, & πάλλεσθαι, id est vibrare, agitaréque & agitari, & sal-

[a] Ἄρτεμις i. Diana, vnde.

[b] Διόνυσος & ἀφροδίτη vnde.

[c] Ἀθηνᾶς i. Mineruæ appellatio vnde.

tare,& saltationem perpeti. HER. Absque controuersia SOC. Palladem igitur hac ratione vocamus. HER. Ac meritò: sed alterũ eius nomen quo pacto interpretaris? SOC. ἀπονόν quæris? HER. Id ipsum. SOCR. Granius hoc amice: videntur prisci ἀπονόν existimare, quẽadmodũ hi qui his temporibus in Homeri interpretationibus sunt eruditi. Nam istorũ plurimi Homerum exponunt, ἀπονόν tanquam mentem cogitationémque finxisse. Et qui nomina inuenit, tale aliquid de illa sensisse videtur, imò etiã altius eam extollens, vt Dei mentẽ induxit, perinde ac si diceret ὁ θεῖον, hoc est vtens α pro ν externo quodã ritu, ι verò & σ detrahẽs. fortè verò nõ ita, sed θεϊανόησε. id est, vtpote quæ diuina cognoscat, præ cæteris omnibus θεονόων, id est diuina cognoscentẽ, vocauit. Neque ab re erit, si dixerimus voluisse illũ appellare eã ἀνόησιν, quasi ipsa in moribus intelligentia sit. Ipse postmodum, vel etiã posteriores in pulchrios, vt videbatur, aliquid producendo, Athenã denominarunt. HER. Quid? de Vulcano quẽ [a] ἥφαιστον nominant quid ais? SO. Nũ generosum ipsum φαέθοντα ἴσχοντα, id est luminis prẽsidem quæris? HER. Hunc quæsisse videor. SO. Hîc vt cuique patere potest ἐφαπτὸς est, & ν sibi vẽdicat. Vnde ἥφαιστος. id est luminis præses est dictus. HER. Fortassè nisi tibi quoquo modo adhuc aliter videatur. SOCRA. At ne videatur aliter, de Marte interroga. HERM. Interrogo. SOC. Si placet, [b] ἄρης, id est Mars, dicitur secundum ἄρσεν, id est masculum, & διάῤῥησιν, id est forte. Quinetiã si volueris ob naturã quandam asperam, durã atque inuictam, immutabilémque, quod totum ἀῤῥητον appellatur, ἄρη vocatũ fuisse, hoc quoq; Deo penitus bellicoso conue-

[a] ἥφαιστε i. Vulcanus vnde,

[b] ἄρης i. Mars vnd.

conueniet. HER. Prorsus. SOC. Deos iam mittamus, per deos obsecro. Nam de his differere vereor. Ad alia verò quæcunque vis me prouoca, vt quales Euthyphronis equi sunt, noueris. HER. Faciam vt petis, si vnũ de *Mercurio quæsiuero. me siquidẽ Cratylus Hermogenem esse negat. Inuestigemus itaq; quid ἑρμῆς, id est Mercurij nomen significet, vt siquid veri hic loquitur, videamus. SOC. ἑρμῆς, id est Mercurius, ad sermonẽ pertinere videtur, quatenus ἑρμηνεὺς est, hoc est interpres & nuncius, furtiuus in loquendo seductor, ac vehemens concionator. Totum id circa sermonẽ versatur, & quẽadmodum in superioribus diximus, εἰρεῖν sermonis vsus est. Sæpe verò de hoc Homerus ait, ἐμήσατο, id est machinatus est. Ex vtriusque igitur nomen huius dei cõponitur, tum ex eo quod loqui est, tum ex eo quod machinari & excogitare dicenda, perinde ac si nominis autor nobis præciperet. Par est, ô viri, vt deũ illum qui εἰρεῖν μήσατο, id est loqui machinatus est, εἰρερίω vocetis. Nos autẽ arbitrati sic elegãtius loqui ἑρμηῦ vocamus. Quinetiã [b]ἴρις, ab eo quod εἴρειν, id eũ loqui, nomẽ habere videtur, propterea quòd nuncia est. HER. Probè medius fidius Hermogenem esse me Cratylus negauisse videtur. Adorationis enim inuẽtionem hebes sum. SOC. Consentaneum quoque amice, πᾶν biformem filium esse Mercurij. HER. Qua ratione? SOC. Scis quòd sermo πᾶν, id est omne significat, circuítque & voluit semper, éstque geminus, verus videlicet ac falsus. HER. Equidẽ. SOC. An non id quod est, in sermone verũ, leue est atque diuinũ, supráque in diis habitans? Cõtrà quod falsum, infrà in hominũ multis, asperũ atque tragicũ? Hinc enim

a ἑρμῆς i. *Mercurius vnde sic dictus.*

b ἶρις vnd.

c πᾶν.

fabularum cõmenta,& falsa quàm plurima circa tragicam vitã reperiunt. HER. Sic est omnino. SOC. Metitò igitur qui est πᾶν, id est totũ nuncians,& ἀεὶ πολῶν, id est semper volutans, πάνυ αἰπόλος biformis Mercurij filius diceretur, ex superioribus partibus lenis ac delicatus. ex inferioribus asper atque hircinus. Estque Pan vel ipse sermo, vel sermonis frater. siquidem est Mercurij filius. Fratrem verò fratri simile esse quid mirum? Cæterum iam, ô beate, vt & paulò antè rogabam, sermonem de diis hunc obrumpamus. HER. Tales quidem deos,si vis, mittamus, ô Socrates, huiusmodi verò quædã percurrere quid prohibet? Solem, lunam stellas,terram,ætherem,aerem, ignem,aquã, tempora & annum? SO. Multa sunt ac magna quæ postulas. Si tamen gratum tibi futurũ est, obsequar. HER. Pergratum planè. SOC. Quid primũ poscis? an vt ipse narrabas in primis ἥλιον, id est solem? HER. Profectò. SOC. Manifestius id fore videtur, si Dorico nomine quis vtatur. Dorici enim ἅλιον, vocant, atque ita vocatur secundum ἁλίζειν id est ex eò quòd cõgregat in vnum homines, cùm exoritur. Item ex eo quòd circa terram ἀεὶ εἱλεῖ, id est semper reuoluitur. præterea quia variat circuitu suo quæ terra nascuntur, Variare autem & ἀλλοιοῦν, idẽ est. HER. Quid verò de σελήνη, id est luna,dicendum? SOC. Nomen hoc videtur Anaxagoram premere. HER. Cur? SOC. Quoniam præ se aliquid fert antiquius, quod ille nuper dixit,quòd luna à sole lumẽ haurit. HER. Quo pacto? SOC. σέλας,idem est quod lumen? HER. Idem. SO. Lumen hoc perpetuò circa lunã νέον & ἔνον est,id est nouũ ac vetus, si modò Anaxagorici vera loquuntur:nã circunlustrans eã

a Ἥλιος i. Sol vnde dictus.

b Σελήνη i. luna vnde.

con-

continuè renouatur. Vetus autem est mensis præteriti lumen. HER. Vtique. SOCR. Lunam quidem σελαναίαν multi nominant. HER. Certè. SOC. Quoniam verò lumen nouum ac vetus semper habet, meritò vocari deberet σελαονησαίειρα. Nunc autem conciso vocabulo σελαναῖα vocatur. HER. Dithyrambicũ nomen hoc est, ô Socrates. Verũ [a] μῆνα, id est mẽsem: & in ἄστρα quomodo interpretaris? SOC. Mensis quidem μείνις rectè ab μειῶσθαι, id est à minuendo, iure nuncuparetur. Astra verò ἀστραπὴς, id est coruscationis cognomentũ habet. ἀστραπὴ autem quia τοὺς ὄπας διαστρέφει, id est visum ad se conuertit. ἀναστροφὴ dici deberet. nũc cõcinniori vocabulo ἀστραπὴ nominatur. HER. Vnde nomen trahit [c] πῦρ & ὕδωρ, id est ignis & aqua? SOC. Ambigo equidẽ, videtúrque aut Musa me Euthyphronis deseruisse, aut hoc arduũ quiddã esse. Aduerte obsecro quò confugiam in omnibus quæcunque dubito. HER. Quónã? SO. Dicã tibi. mihi igitur respõde. scis ipse qua ratione πῦρ nominatur? HER. Nõ herclè. SOC. Vide quid de hoc suspicer. Reor equidem multa nomina [d] Græcos à Barbaris, eos præsertim qui sub Barbaris sũt, habuisse. HER. Quorsum hæc? SOC. Siquis rectã istorum impositionẽ secundum Græcã vocem quærat, non secundum eã qua est nomen inuentũ, nimirũ ambiget. HER. Verisimile id quidẽ. SOC. Vide itaque ne nomen hoc πῦρ barbaricũ sit. neque enim facile est istud Græcæ linguæ accõmodare, constátque ita hoc Phryges nominare parũ quid declinantes, sicut & vocẽ ὕδωρ & κύνας, id est canes, aliáq; permulta. HER. Vera hęc sunt. SO. Ergo distrahere ista nihil oportet. quãdo de ipsis nihil dicere quisquã potest. Quapro-

[a] μὴν vnde.
[b] ἄστρα vnde.
[c] πῦρ i. ignis, & ὕδωρ i. aqua vnde.
[d] Græci multa vocabula à Barbaris acceperunt.

pter nomina illa ignis & aquæ hunc in modũ
[a] ἀὴρ unde. reiicio. [a] ἀὴρ autem sic est dictus Hermogenes, quia quæ circa terrã sunt, αἴρει, id est eleuat. vel quia ἀεὶ ῥεῖ, hoc est semper fluit. vel quia eius fluxu spiritus cõcitatur. Poetæ quippe flamina & vẽtos ἄητας nũcupant. Fortè igitur aer, dicitur quasi πνεύματος ἀεὶ ῥοῦς, id est spiritus
[b] αἰθὴρ unde. fluens, vel fluens flumen. [b] αἰθὴρ præterea sic exponendũ arbitror, quoniã ἀεὶ θεῖ circa ἀεὶ ῥέων, id est semper currit circa aerem fluens,
[c] γαῖα. quocirca ἀεὶ θεὶν dici potest. [c] γῆ autẽ id est terra, planius sensum exprimit si γαῖα dicatur. γῆα enim rectè γενήτειρα, id est genitrix dici potest, vt ait Homerus. Nã quod γεγάασι dicitur, genitũ esse inquit. HER. Esto. SOC. Quid restat deinceps? HER. Tempora & annos, ô Socrates.
[d] ὧραι. SOCR. [d] ὥραι quidem, id est tempora, prisca & Attica voce dicenda sunt ἅραι, si vis quod cõueniens est, cognoscere. Horæ nanque vocantur, quia ὁρίζειν id est terminant hyemem atque æstatem, venió que & fructus ex terra nascentes. [e] ἐνιαυτὸς autem & ἔτος, id est annus,
[e] ἐνιαυτὸς ἔτος annus. idẽ esse videtur. Quod enim in lumen vicissim educit, quęcũque nascuntur fũmque ex terra, ipsum in seipso examinat & discernit, annus est: & vt suprà Iouis nomen diximus in duo secta ab aliquibus ζὴν, ab aliis δία vocari, ita & annũ quidã ἐνιαυτὸν vocant, quia in seipso, quidã ἔτος, quia scrutatur atque examinat. Integra verò ratio est, quòd in seipso examinat. Vnde ex oratione vna nomina duo selecta sũt, quod enim simul dicimus τὸ ἐν αὑτῷ ἐτάζον, id est in seipso examinãs, distinctũ dicitur ἐνιαυτὸς & ἔτος, id est annus. HER. At verè, ô Socrates iãlongè progrederis. SO. Longius equidẽ in philosophia videor cursum. HER. Quinimò.

SOCR.

SO. Fortè magis concedes. HER. Verùm post hanc speciē libētissimè contēplaret, qua ratione recte nomina ista præclara virtutum sint imposita, vt φρόνησις, id est prudentia, σωφροσύνη, intelligentia, δικαιοσύνη, iustitia, ac reliqua huius generis omnia. SO. Haud contēnendū genus nominum suscitas, ô amice. Veruntamen postquā * leonina pellem sum indutus, haud deterreri decet, imò præclara ipsa vt ais, nomina prudētiæ, intelligētiæ, cogitationis, sciētiæ, cæterorúmque huiusmodi considerare. HER. Quin profectò prius desistere nullo modo debemus. SOC. Per canē non malè mihi de eo coniicere videor, quod modò considerabā, antiquissimos videlicet illos nominū authores, vt & sapientū nostrorū plurimis accidit, ob frequentem ipsam in rebus perquisitionem, prætei cæteros in cerebri vertiginem incidisse, quod factum puto, vt res ipsæ profectri & vacillare illis apparerent. Opinionis autem huius causam, haud interiorem vertiginem, sed exteriorem ipsarū rerum circuitum arbitrantur: quas ita natura habere se putant, vt nihil in eis firmum & stabile sit, sed fluant omnes ferantúrque, & omnifariam agitentur, sempérque gignantur & intereant. Quod quidē in his nominib. quæ nunc relata sunt conspicio HER. Quo pacto Socrates? SO. Haud fortè aduertisti superiora nomina rebus quasi delatis, fluentibus, & iugi generatione translatis imposita fuisse? HER. Non satis percepi. SOC. Principio quod primùm retulimus, omnino ad aliquid huius generis attinet. HER. Quale istud? SOC. [a] φρόνησις, id est prudentia, est, φορᾶς καὶ ῥοῆς νόησις, id est lationis & fluxus animaduersio. Significare quoque

* Prou.

[a] φρόνησις.

poteſt,recipere ὄνησιν φορᾶς, id eſt lationis vtilitatem: & tamen circa ipſam lationem verſatur. Quinetiã ſi vis [a] γνώμη, id eſt,cogitatio, ſignificat γονῆς νόημασιν, id eſt generationis conſiderationẽ νοημᾶν quippe cõſiderare eſt quòd ſi placet,[b] νόησις id eſt intellectio,eſt νέα ἔσις,id eſt noui deſideriũ: nouas verò res eſſe ſignificat eas fieri ſemper atq; hoc deſiderare,& aggredi animũ, indicat qui nomẽ illud inuenit νεύσιν principio namq; νόησις nõ dicebatur, ſed pro ν duo ε proferẽda erãt,vt νεέσις,quaſi νέα, id eſt noui,ἔσις appetitio &aggreſſio.[c] σωφροσύνη id eſt tẽperantia illius quã modò diximus φρονήσεως,id eſt prudẽtiæ, ſalus & conſeruatio eſt,[d] ὀπτήμη,id eſt ſcientia hãc habet notationẽ,quaſi animus nõ contẽnendus res fluentes ſequatur, & neque eas multò antè relinquat, neq; antecedat. Quare ε abiecto, πτᾶμαι, id eſt fidã ac cõſtantẽ ipſam nominare oportebat. [e] σύνεσις,tanquã ſyllogiſmus,id eſt ratiocinatio quædã eſſe videtur. Cũ autẽ σωιέναι dicitur,idẽ intelligitur ac ſi diceretur ὀπάζεσθαι. Nã σωιέναι declarat rebus animũ comitari,vnáq; eſſe.[f] σοφία,id eſt ſapiẽtia, agitationis eſt tactus. Obſcurius autẽ,& alienius hoc à nobis. Verũ animaduertẽdũ eſt in poetis,quoties volũt aduẽtãtẽ aliquẽ & irruẽtẽ exprimere, ἐσύθη id eſt erupit,proſilit,dicere. Quin & illuſtri cuidã apud Lacedæmonios viro nomen erat σοῦς,id eſt præpes. Sic n. Lacedæmones concitationis impetũ indicãt. Huius igitur agitationis ἐπαφὴ id eſt tactũ σοφία id eſt ſapiẽtia demõſtrat,tãquã rebus quæ ſunt agitatione motis [g] ἀγαθὸν,id eſt bonũ,cuiuſq; naturę ἀγαστὸν, id eſt mirabile,amabile, delectabile ſignificat. Enimuerò poſtquam fluunt omnia, partim celeri-

[a] γνώμη.
[b] νόησις.
[c] σωφροσύνη.
[d] ὀπτήμη.
[e] σύνεσις.
[f] σοφία.
[g] ἀγαστὸν.

celeritas, partim tarditas ineſt. Eſt igitur non omne velox, ſed ipſius aliquid ἀγαθὸν. Quod quidē ἀγαθὸν, ipſius ἀγαθοῦ nomine declaratur [a] δικαιοσύνη, id eſt iuſtitia, quòd δικαίως σωφρονεῖν. id eſt iuſti intelligentiam importet, facilè cōiicere poſſumus. Quid autē ipſum δίκαιον ſibi velit, difficile cognitu. Videtur autē hucuſque à multis quod dictū eſt cōceſſum, reliquū verò dubiū. Etenim quicūque totū mobile arbitrātur, plurimum agitari ipſum exiſtimant, pérque ipſum omne, aliquid permanere quo ſingula fiant, quódve tenuiſſimū ſit & velociſſimū. Neque enim per ómnia entia diſcurrere poſſe, niſi adeò tenue ſit, vt nihil poſſit obſiſtere penetrāti, & adeò velox, vt cæteris quaſi ſtantib. vtatur. Quoniā verò gubernat omnia διαιών, id eſt diſcurrēs & permanās, meritò δίκαιον eſt appellatū, κ vno politiore prolationis gratia interiecto. Hactenus quod modò diximus, inter plurimos cōſtat hoc eſſe iuſtū. Ego autem, ô Hermogenes, vtpote diſcendi deſiderio flagrans hoc omnia perſcrutatus ſum, & in arcanis percepi quòd idem ſit δίκαιον, id eſt iuſtum, & αἴτιον, id eſt cauſa: quo enim res ipſæ fiunt, hoc eſt cauſa: proptiéque ita vocari iſtud debere quiſpiam tradidit. Cùm verò ab his, iam auditis iſtis, nihilominus ſenſim exquiro quid ipſum iuſtum ſit, quandoquidem hoc ita ſe habet, videor iam vlterius quàm decet [interrogare & præſcriptos legitimæ diſputationis fines tranſilire.] Satis enim ſemper rogaſſe me & audiſſe reſpōdent, méq; volētes explere alius aliud afferre conātur, neque vltrà conſentiunt. [b] Quidā ait iuſtū hoc, ſolem eſſe. Solum quippe ſolem diſcurrendo calefaciendóque omnia gubernare. Cùm verò

[a] δικαιοσύνη.

Prouer.

[b] De iuſto variæ opiniones.

hoc alacer cuiquam quasi præclarum audierim, refero, statim ille me ridet, quæritq; nunquid existimem post solis occasum iustum nihil hominibus superesse? Percontanti itaque mihi quid ille sentiret, ipsum ait ignem iustum existere, neque id cognitu facile. quare alias inquit, non ignem ipsum, sed ipsum potius innatum igni calorem. Alius hæc omnia pro nihilo habet. esse enim iustum mentem illam quam induxit Anaxagoras. Dominā certè illam suapte natura, nec alicui mixtam exornare omnia inquit, per omnia penetrantem. Hic quidem, ô amice, in maiorem ambiguitatem sum prolapsus, quàm antea dum nihil de iustitia sciscitabar. Cæterùm, vt redeamus ad id cuius gratia disputamus, nomen illi tale propter hæc, quale diximus, est tributū. HER. Videris, ô Socrates, ex aliquo audisse hæc, neque ex tuo ingenio ex tēpore ista deprompsisse. SOC. Quid alia? HER. Non ita. SOC. Attende igitur, fortè nanque in reliquis te deciperem, quasi quæ afferam non audierim. Post iustitiam quid restat? ἀνδρεία, id est fortitudinem nondum peregimus, iniustitia sanè obstaculū eius est quod discurrit per omnia, a ἀνδρία vero significat fortitudinem velut in pugna appellatur. Pugnam autē esse in rebus, si quidē fluunt, nihil aliud est quā fluxus ipse contrarius. Quapropter si quis δ subtraxerit ex nomine hoc ἀνδρία nomen quod restat ἀνδρία, opus ipsum declarat. constat planè quòd non fluxus cuiusq; cōtrarius ῥοή, id est fluxus, fortitudo est, sed oppositus illi qui præter iustū sit fluxui. Neque enim aliter fortitudo esset laudabilis. b ἄρρεν autē, id est mas & c ἀνὴρ, vir, à simili quoda ducunt originē, scilicet ab ἄνω ῥοῦ

a ἀνδρία for titudo quid.

b ἄρρεν.
c ἀνὴρ.
d γυνὴ.

ἄνω ῥεῖ, id est sursũ fluxu. γυνὴ verò, id est mulier quasi γόνιμη id est fœcunda & generatrix e θῆλυ, id est fœmina, ἀπὸ τῆς θηλῆς id est papilla dicitur. θηλὴ autem videtur Hermogenes dici, quia τεθηλέναι, id est germinare pullularéq; facit, quasi ea quæ irrigãtur. HER. Sic apparet, ô Socrates. SO. θάλλειν, id est virescere, adolescere, florescere, augmentũ iuuenũ repræsentat, quasi velox quiddã & subitũ, quod innuit ille qui nomen conflauit ex θεῖν, id est currere, & ἅλλεσθαι, id est saltare. Nõ animaduertis me velut extra cursum delatũ, postquã plana ac peruia nactus sum? Multa quoq; supersunt quę ad seria pertinere videntur. HER. Vera loqueris. SO. Quorũ vnũ est, vt videamus quid τέχνη id est ars importet. HER. Prorsus. SO. Nónne hoc ἔξιν τινὰ, id est habitũ mẽtis ostendit, vt sit quasi ἐχόνη? si τ demitur, interseritur autẽ ο mediũ inter χ & ν, & inter ν & η? HER. Aridè nimiũ Socrates & incultè. SOC. An ignoras beate vir, nomina vetera obruta iam à sermonis tragici studiosis, elegantiæ gratia addentibus & subtrahẽtibus literas, ac partim tẽporis diuturnitate, partim exornationis studio vndique peruertentibus? vt ecce in κατόπτρου, id est speculo, quã absurdũ est ρ ipsius additamentum? Talia certè, vt arbitror, faciunt qui oris artificiosam conformationẽ pluris æstimant quàm veritatem. Quãobrem cũ multa nominib. ipsis adiecerint, tandem effecerunt, vt nemo iam nominũ sensum animaduertat. Quẽadmodum dũ τερέτισμα, id est monstrũ quoddã proferunt, cũ ἐρέτμα pronuntiare deberent, ac cætera multa. HER. Hæc quidẽ ita se habent, ô Socrates. SO. Profectò si daretur cuique arbitratu suo & demere & addere, magna vtiq; esset licentia, &

e θῆλυ.

b τέχνη.

quodlibet nomẽ cuique rei vnuſquiſque tribueret. HER. Vera narras. SOC. Vera planè, ſed enim mediocritatem quãdam atque decorum ſeruare te decet præſidem ſapientem. HER. O vtinam. SOC. Atqui & ipſe, ô Hermogenes, opto verum ne exacta nimium diſcutione, vir felix, exquiras, ne vim meã prorſus exhaurias. Aſcendam quippe ad ſupradictorum apicem, poſtquàm poſt artẽ conſiderauerimus, [a] μηχανὴ, id eſt machinationẽ excogitationémque ſolertẽ. Videtur autẽ ſignificare idẽ quod multũ pertingere & aſcendere. Cõponitur ergo ex his duobus, μήκυνε, id eſt lõgè & multũ, & ἀνεῖν, id eſt aſcendere, penetrare, pertingere. Sed vt modò dicebã, ad ſummã dictorum perueniendũ eſt, quærendúmque quid nomina iſta ſignificent. [b] ἀρετὴ, id eſt virtus, & κακία, id eſt prauitas. Alterũ quidem nondum reperio, alterũ patere videtur. Nam ſuperiorib. omnibus conſonat: nempe tanquam erant ómnia, κακῶς ἰὸν, id eſt malè vadens, [c] κακία, id eſt, prauitas. erit. quare cùm anima malè ad res ipſas accedet, cõmuniter praua dicetur. propriè verò ac maximè procedendi hæc facultas in δειλίᾳ, id eſt timiditate patet, quã nondum declarauimus, prætermiſimus. nam. Oportebat autẽ continuò poſt fortitudinem ipſam inferre. Multa inſuper alia prætereſſe videmur. [d] δειλία ſignificat durũ animæ vinculum. δεσμὸς enim vinculum eſt. λίαν verò forte quiddã durúmque ſignificat. quare timiditas vehemẽs ac maximũ eſt animæ vinculũ: quẽadmodũ & [e] ἀπορία, id eſt defectus, inopia, dubiũ, malũ quiddã eſt, ac ſummatim quodcunque progreſſus ipſius impedimẽtũ, idque malè progredi videtur oſtẽdere, in ipſa videlicet motione impe-

diri

a μηχανὴ.

b ἀρετὴ id eſt virtus.

c κακία.

d δειλία vnde.

e ἀπορία.

diri atq; detineri. Quod cùm anima subit, prauitate plena dicitur. Quòd si illud prauitatis nomen talibus quibusdã cõpetit, contrarium [a] ἀρετὴν, id est virtus significabit. In primis quidẽ facilem agilémque progressum, deinde solutum & expeditũ animæ bonæ impetum esse oportet. Quãobrẽ absque impedimento obsta culóque ἀεὶ ῥέον, id est semper fluens, iure cognominati posset ἀνεμπόδιστη, fortè verò & ἀρετὴν vocat quis, quia sit τῆς ἕξεως αἱρετωτάτης, id est maximè eligẽdæ. Verùm collisso vocabulo ἀρετὴ denominatur. Forsitã me fingere dices: ego autẽ asserо, si modò nomẽ illud prauitatis quod retuli, rectè est inductũ, rectè quoque & illud virtutis nomẽ induci. HER. At [b] κακὸν, id est malũ, per quod in superioribus multa dixisti, quid sibi vult? SOC. Mirificũ quiddã per Iouem, ac inuentu difficile quẽadmodum mihi quidẽ videtur. Itaque ad hoc etiam machinamentũ illud superius afferã. HER. Quid istuc? SOC. Barbaricum quiddam & hoc esse dicam. HER. Probè loqui videris. SOC. Cæterùm hæc iam si placet mittamus, nomina verò ista καλὸν & αἰσχρὸν, id est pulchrũ & turpe quàm rectè ficta sint, cõsideremus. Quid [c] αἰσχρὸν innuat, satis mihi patere videtur. Nẽpe cum superioribus conuenit. videtur enim qui nomina statuit, passim agitationis impedimentũ vituperare. vt ecce, ἀεὶ ἴσχοντι τὸν ῥοῦν, id est semper impedienti fluxum, nomen dedit ἀνεσχεδίασεν. Nunc verò collidentes αἰσχρὸν appellant. HER. Quid [d] καλὸν, id est pulchrũ? SOC. Hoc cogitatu difficilius, etiã si dicant ipsum harmonia solũ & lõgitudine differre ab eo vnde deducitur. HER. Quo pacto? SOC. Nomen hoc cogitationis cognomentum quoddam esse videtur.

a ἀρετὴ.

b κακὸν.

c αἰσχρὸν.

d καλὸν.

HER M. Quî istud ais? SO. Quam tu causam appellationis rei cuiusque censes? an nō quod nomina tribuit? HE. Omnino. SO. Nónne causa hæc cogitatio est, vel deorum, vel hominū, vel amborum? HE. Nempe. SO. Ergo καλέσαι id est, quod volat res, & καλὸν, idem ac cogitatio sunt. HER. Apparet. SOC. Quæcunque mens & cogitatio agunt, laudanda sunt: quæ non, vituperanda. HER. Prorsus. SOC. Quod medicinæ particeps, medicinæ opera efficit: quod fabrilis artis, fabrilia. Tu verò quid sentis? HER. Idem. SOC. Pulchrum itaque pulchra. HER. Decet. SO. Est autem hoc, vt diximus, cogitatio. HER. Maximè. SOC. Nomen itaque hoc καλὸν, id est pulchrum, meritò erit prudentiæ cognomentum, talia quædam agentis, qualia affirmantes pulchra esse, diligimus. HER. Sic apparet. SOC. Quid vltrà generis huius restat inuestigandum? HER. Quæ ad bonum & pulchrum spectant, conferentia videlicet, vtilia, conducibilia, emolumenta, horúmque contraria. SOC. Quid [a] συμφέρον, id est conferens sit, ex superioribus, si consideres, ipse inuenies. Nam nominis illius quod ad scientiam attinet, germanum quiddam apparet. Nihil enim præ se fert aliud quàm φορὰν, id est lationem animæ simul cum rebus quæ ue hinc proueniunt, vocari συμφέροντα & σύμφορα, id est conferentia, ex eo quòd simul circunferuntur. HER. Videtur. SOC. [b] κερδαλέον autem, id est emolumentum: ἀπὸ τῦ κέρδους, id est lucro. κέρδος verò, si quis ν pro δ nomini huic inserat, quod vult exprimit. Nam bonum alio quodammodo nominat. Quod enim omnibus κιρανύμενον, id est, miscetur diffusum per omnia, hanc ipsam eius vim significans no-

[a] συμφέρον

[b] κερδαλέον

nomen eius excogitauit δ pro ν apponens, ac κερδος pronunciauit. HER. Quid autem [a]λισιτελοῦ, id est vtile? SOC. Videtur, ô Hermogenes, non sicut caupones hoc vtuntur, idcirco λισιτελοῦ vocati, quia ἀναλωμα δ' τολύν, id est sumptus vitat & minuit: verùm quia cum velocissimum sit, res stare non finit, neque permittit lationem τέλος, id est finem progressionis accipere atque cessare? sed soluit semper ab illa fugátque, si quis terminus supereueniat, ipsámque indesinentem immortalémque præbet: hac ratione bonum λισιτελοῦ vocatum arbitror. ipsum enim motionis λύον τὸ τέλος, id est soluens terminum, λισιτελοῦ vocari videtur. [b]ὠφέλιμον verò, id est, conducibile peregrinum nomen est, & sæpenumero Homerus est vsus verbo ὀφελλειν. Est autem hoc augendi faciendíque cognomentum. HER. Quid de horú contrariis est dicendum? SOC. Quæ per negationem istorum dicuntur, tractare nequaquam oportet. HER. Quænam ista? SOC. ἀσύμφερον, ἀνάφελὲς, ἀλισιτελὲς, ἀνερδὲς. HER. Vera loqueris. SOC. Sed [c]βλαβερὸν & ζημιῶδες, id est noxium & damnosum. HER. Certè. SOC. βλαβερὸν quidem βλάπτειν τὸν ῥοῦν esse dicit. βλάπτον autem significat βιάζεσθαι ἀπιέναι, id est quod vult impedire & coercere, ῥοῦν. id est fluxum hoc autem passim vituperat: quódque vult ἄπτειν τὸν ῥοῦν, rectè βιαπτιῤῥοῦν appellaretur. verùm ornatus gratia βλαβερὸν arbitror nominatum. HER. Varia tibi suboriuntur, ô Socrates nomina. atqui mihi videris in præsentia, quasi Palladiæ legis præludium quoddam præcinuisse, dum nomen hoc βιαπτιῤῥοῦν pronũciares. SOC. Non ego in causa sum, Hermogenes, sed qui nomen ipsum instituerunt. HER.

a λισιτελοῦν

b ὠφέλιμον

c βλαβερὸν

Vera loqueris. Verùm ζημιώδες quid? SOC.
a ζημιῶδες Quid esse debeat a ζημιώδες, dicã Hermogenes: & vide quàm verè loquar, quoties dico quòd addentes ac dementes literas longè nominum sensum variant, adeò vt sæpe exiguũ quid mutantes, contrariã significationẽ inducãt. quod apparet hoc in nomine δέον, id est opportunũ. venit hoc nuper mihi in mentem de eo quod tibi dicturus sum cogitanti. Recès est profectò vox nobis pulchra illa, coegitque contrarium somnare nobis δέον & ζημιῶδες, sensum ipsum confundens. Vetus autẽ quid nomẽ vtrunque vult, explicat. HER. Quî istuc ais? SOC. Dicam equidẽ. haud te præterit maiores nostros frequenter ι & δ vti solitos, nec rarius mulieres, quæ maximè priscã vocẽ seruant. Nunc autem pro ι vel ἰ ipsum ε, vel η adhibent: pro δ verò ζ, quasi hæc magnificentius quiddam sonent. HER. Quo pacto? SOC. Vt ecce vetustissimi viri ἱμέρην diem vocabant, posteriores aurem partim ἱμέρην, partim, hoc quidẽ tẽpore,
b ἡμέραν vocant. HER. Vera hæc sunt. SOC. Scis igitur vetusto illo nomine tantùm mentẽ eius qui nomen imposuit declarari. Nam ex eo quod ἱμείρεσθαι, id est desiderantibus hominibus gratulantibúsque è tenebris lumen emicuit, diem ἱμέραν cognominarunt. HER. Apparet. SOC. Nunc autem illa tragicis decantata quid sibi velit ἡμέρα, nequaquam intelligas. quanquam arbitrantur nonnulli ἡμέραν dici, quòd ἥμερα, id est mansueta quæque efficiat. HER. Ita mihi videtur. SOC. Neque te fugit veteres
c ζυγὸς ζυγὸν, id est iugũ, δυοζὸν vocauisse. HER. Planè SO. Enimuerò ζυγὸν nihil significat. at δυοζὸν, δυοῖν ἀγωγὴ, id est duorum conductionem ligandi simul gratia, monstrat. Idémque est de mul-

multis aliis iudicandum. HER. Patet. SOC. Eadem ratione δεῖον ita pronuntiatum, contrariũ nominũ omnium quæ ad bonum spectant ostendit. Porrò boni species existens[a] δέον, δεσμός, id est vinculum quoddam & impedimentum processionis esse videtur, tãquã βλαβερόν id est noxij affine quiddam. HER. Ita maximè apparet, ô Socrates. SOCR. Verùm non sic in nomine veteri, quod verisimilius est rectè institutum fuisse, quàm nostrum. Nempe cum superioribus bonis consentiet, si pro ε, ι vetus restituas. Neque enim δέον, sed δεῖον bonum illud significat, quod semper nominum laudat inuentor. Atque ita secum ipse non dissidet, imò ad idem spectant δεῖον ὠφέλιμον, λειοτελοῦν, κυβερνητικόν, συμπερφέρον, δύνασιν, quod aliis nominibus dicitur διακοσμοῦν & δεῖον, id est gubernans, & per omnia penetrans, vndiquaque laudatum. Quod verò detinet & ligat, id est τὸ δεῖον siue δοῦν vbique vituperatur. Quinetiam in nomine hoc ζημιῶδες, si veterum more δι pro ζ posueris, apparebit tibi nomen istud δοῦν τι ὄν, id est liganti sistentíque quod pergit, impositum. vnde & δημιῶδες cognominatum est. HER. Quid ἡδονή, λύπη, ὀπτυμία, voluptas scilicet, dolor, cupiditas, Socrates, & huius generis reliqua? SOC. Haud valdè obscura mihi videntur Hermogenes. [b]ἡδονὴ id est voluptas, actionis illius nomen est, quæ ad ὄνησιν, id est vtilitatẽ emolumentúmq; tendit. δι verò adiectum facit, vt pro eo quod est ἡονὴ, ἡδονὴ, proferatur. [c]λύπη id est dolor, à διαλύσεως, id est dissolutione corporis trahi videtur. Nam in huiusmodi passione corpus dissoluitur. ἀνία, id est tristitia, quod impedit ἰέναι, id est ire, demonstrat. [d]ἀλγηδὼν, id est cru-

[a] δέον, δεσμός

[b] ἡ δονὴ

[c] λύπη

[d] ἀλγηδὼν

ciatus,peregrinum nomen videtur, ab ἀλγήσας
a ὀδυνᾶν dictum ὀδύνη,id est dolor & afflictio, ab ἐνδύσεως, id est ingressione doloris denominatur.
b ἀχηδόνων HER. Videtur. SOC. b ἀχηδών,id est mœror languórque, lationis grauedinem tarditatémque significat ἄχθος enim onus est. ἰὼν verò
c χαρὰ pergens. c χαρὰ verò,id est lætitia gaudiúmque,à διαχύσεως,id est profusione,εὐπορίας.id est facilitate,ῥοῆς,id est motionis animæ, dicitur.
d τέρψις d τέρψις,id est delectatio, ab τερπτὸς, id est
e τερπνὸν oblectamento ducitur,e τερπνὸν autem à πνοῆ, id est inspiratione delectationis in animam. Quare meritò vocaretur ἐμπνεῶν id est inspirans. Temporis autem interuallo ad τερπνὸν
f εὐφροσύνη deuentum est. f εὐφροσύνη,id est hilaritas & alacritas,quam ob causam dicatur,assignare nihil opus. Nam cuique patet hoc nomen trahi ab eo quod dicitur εὖ,id est bene. συμφέρεσθαι, id est vnà sequi. quasi dicatur anima bene res assequi. Vnde εὐφροσύνη vocari deberet: tamē εὐφροσύνην appellamus. Sed neque difficile est
g ἐπιθυμία assignare quid g ἐπιθυμία, id est cupiditas sibi velit. Nomen quippe hoc vim tendentem in θυμὸν, id est animam & iram & furorem ostēdit. θυμὸς autem à θύσεως & ζέσεως, id est flagrantia,feruore & impetu animæ. Quin &
h ἵμερος h ἵμερος id est suauis & blanda perfusio,dicitur à ῥοῇ,id est fluxu animam vehementer alliciēte. ex eo enim quod ἱέμενος ῥεῖ,id est incitatus, rerúmque appetens fluit,animam vehementer attrahit propter impetum siue incitamentum fluxus. ab hac tota vi ἵμερος est nuncupatus.
i πόθος Præterea πόθος vocatur,id est desideriū, quod sanè præsentem suauitatem non significat, quemadmodum ἵμερος, sed absentem ardet. Vnde πόθος dicitur,quasi ἀπόντος,id est absen-

tis

tis concupiscentia. Idémque ipse in id quod gratum est animi nixus, præsente eo quod cupitur ἵμερος, absente πόθος denominatur. [a]ἔρως autem, id est amor, quia εἰσρεῖ, id est influxit extrinsecus, neque propria est habenti ῥοὴ, id est fluxio ista. sed infusa per oculos. Quapropter ab εἰσρεῖν, id est influere, ἔρως, id est influxio, amor ab antiquis nostris appellabatur. nã o pro ω vtebantur, nunc autem ἔρως dicitur, ω pro ο interposito. Verùm quid deinceps considerandum præcipis? HER. [b]δόξα id est opinio, & alia quædam, vnde nomen habent? SOCR. δόξα, vel à διώξει, id est persecutione dicitur, qua pergit & prosequitur anima, conditionem rerum inuestigans, vel à τόξου βολὴ, id est arcus iactus. videtur autem hinc potius dependere. [c]οἴησις, id est existimatio huic consonat. often dit quippe οἴεσθαι, id est ingressum animæ in vnumquodque cõsiderandum, οἷον, id est quale sit: quemadmodum & [d]βουλὴ, id est voluntas, à βολὴ, id est iactu dicitur: & βούλεσθαι, id est velle, propter ipsum attingendi nixum significat etiam ἐπιθυμεῖν, id est cupere: & βουλεύεσθαι, id est consulere. Omnia hæc opinionem sequentia, βολῆς ipsius, id est iactus & nixus imagines esse videntur: quemadmodum contrarium, [e]ἀβουλία id est priuatio voluntatis, defectus quidam consequendi impos apparet, quasi nõ cõtendat, neque etiam quod intendit, vult, cupit, inuestigat, adipiscatur. HER. Frequentiora hæc cogere videris, ô Socrates. Quare finis iam sit fauente deo. Volo tamen adhuc, ἀναγκαῖον & ἑκούσιον, id est necessarium & voluntarium declarari. Nempe superioribus ista succedunt. SO. [f]ἑκούσιον, equidem est εἶκον, id est cedens neq; retinés. hoc siquidem nomine declaratur, εἶναι

a ἔρως

b δόξα

c οἴησις

d βουλὴ

e ἀβουλία

f ἑκούσιον

τῷ ἰόντι, id est cedens eunti, quóduc ex volun-
a ἀναλιγάιον tate perficitur. a ἀναλιγάιον verò, id est necessá-
rium & obsistens, cùm præter voluntatem sit,
circa errorem insciti ámque versábitur descri-
bitur autem ex processu secundum necessita-
tem, quoniam in via aspera & densa incessum
prohibent. Vnde ἀναλιγάιον dictum est, quasi
per ἀλιγεινὸν ἰόν, id est per vallem vadens. Quous-
que verò viget robur, ne deseramus. Quam-
obrem interroga amabo, neque desistas. HER.
Ecce rogo quæ maxima sunt & pulcherrima:
ἀλήθεια id est veritatem, & ψεῦδος, id est men-
dacium, & ὄν, id est ens, & quare id quo de hîc
agimus, ὄνομα, id est nomen dicitur. SOC. Quid
vocas μαίεσθαι? HER. Voco equidem inquirere.
b ὄνομα SOC. Videtur nomen hoc b ὄνομα ex sermone
illo conflatum quo dicitur ὄν, id est ens esse,
cuius nomen inquisitio est. Quod clarius cer-
tè comprehendes in eo quod dicimus ὀνομα-
στὸν, id est nominandum. hîc enim exprimitur
c ἀλήθεια nomen quid sit, entis videlicet inquisitio. c ἀ-
λήθεια verò sicut & alia contrahi conflarique
videtur. Nam diuina entis latio, nomine hoc
includitur, ἀλήθεια quasi existens θεία ἀλη, id
est diuina quædam vagatio. ψεῦδος autem cō-
trarium motionis. Rursus hic vsurpatur agi-
tationis obstaculum, quódue sistere cogit. Nā
d ὂν & ὀντία à κατεύδειν, id est dormio dicitur. ψ verò adie-
ctum sensum nominis occubit. d ὄν verò & ὀντία,
id est ens & essentia, cum ἀλήθεια, id est verita-
te, congruunt si ι abiiciatur. nam ἰὸν, id est va-
dens significat. Sed & οὐκ ὄν, id est, non ens velut
quidam nominant, οὐκ ἰὸν, id est non vadens
indicat. HERM. Hæc mihi videris ô Socrates,
fortiter admodum discu sisse. Verùm si quis
te percontetur quæ sit recta istorum interpre-

ta-

trio, quæ dicuntur ἰὸν, id est vadens: ῥέον, id est fluens: δοῦν, id est ligans ac detinens, quid illi potissimum respondebimus? habésne? SOC. Habeo equidem, profectò nuper succurrit nobis aliquid, cuius respõsione quicquam videamus afferre. HER. Quale istud? SOC. Vt quod minimè cognoscimus, barbaricum esse dicamus. fortè enim partim reuera talia sunt: fortè verò ob vetustatem prima nomina inscrutabilia sunt. Etenim cùm passim vocabula distrahantur, nihil mirum esset, si prisca lingua cum nostra collata nihilo à barbarica voce differet. HER. Haud alienum est à ratione quod dicis. SOC. Consentanea quidem effero, non tamen idcirco certamen excusationem videtur admittere.

SED conemur hæc disquirere, atque ita cõsideremus: si quis semper verba illa per quæ nomen dicitur, quæreret, rursúsque illa per quæ dicuntur verba, sciscitaretur, pergerétque ita perquirere, nónne qui respondet, defatigari tandem & renuere cogeretur? HER. Mihi sanè videtur. SOC. Quando itaque qui responsum denegat, meritò cessabit? An non postquam ad nomina illa peruenit, quæ cæterorum sunt & sermonum & nominum elementa? Hæc vtique si elementa sunt, ex aliis nominibus cõposita videri non debent. quemadmodum suprà ἀγαθὸν, id est bonum diximus, ex ἀγαστῶ, id est iucundo amabilíque, & θοῷ, id est veloci compositum. θοὸν rursus ex aliis constare dicemus, illáque ex aliis. sed postquam ad id peruenerimus quod vltrà ex aliis nominibus non constituitur meritò nos ad elementum perue nisse dicemus, nec vlterius hoc in alio nomina referendum. HER. Scitè mihi loqui vide-

ris. SOC. An non ea de quibus paulò antè interrogabas nomina elementa sunt? [a]oportétque rectam illorum rationem aliter quàm reliquorum inuestigare? HERM. Probabile id quidem. SOC. Probabile certè Hermogenes. Superiora itaque omnia in hæc redacta videntur: ac si ita se res habet, vt mihi videtur, rursus agè hîc vnà mecum considera, ne fortè delirem, dum rectam primorum nominum rationem exponere tento. HER. Dic modo ego namque pro viribus meditabor. SOC. Arbitror equidem in hoc te consentire, vnam esse rectam cuiusuis nominis, tum primi tum vltimi rationem, nullúmque illorum eo quòd nomen est, ab alio discrepare. HERM. Maximè. SOC. Etenim omnium quæ suprà [b]retulimus nominum recta ratio in hoc constitit, vt qualis quæque res sit indicaretur. HERM. Proculdubiò. SOC. Hoc vtique non minus prioribus quàm posterioribus competere debet, si nomina futura sunt. HER. Prorsus. SOC. Atqui posteriora nomina per priora hoc efficere poterant. HER. Apparet SOC. Prima verò quibus alia non præcedunt, quo pacto quàm maximè res ipsas nobis ostendent, si nomina esse debent? Ad hoc mihi respondè: si voce & lingua caruissemus, voluissemúsque res inuicè declarare, nónne perinde ac nunc muti, manibus capitéque & cæteris membris significare tentauissemus? HER. Haud aliter Socrates. SOC. Ergo supernum quippiam ac leue demonstraturi, cœlum versus manum extulissemus, ipsam rei naturam imitantes: inferiora verò & grauia deiectione quadam versus terram innuissemus. quinetiam currentem equum vel aliud quicquam animalium indicaturi, cor-

po-

[a] *De recta primorũ nominũ ratione.*

[b] *Nominum recta ratio in hoc consistit, vt qualis quæq; res sit indicetur*

porum nostrorum gestus figuráſque ad illorum ſimilitudinem quàm proxime quiſque finxiſſet. HERM. Neceſſarium quod ais eſſe mihi videtur. SOC. Hunc in modum vt arbitror, his corporis partibus oſtenſum eſſet, corpore videlicet quod quiſque monſtrare voluerat imitante. HERM. Ita certè. SOCR. Poſtquàm verò voce, lingua, & ore declarare volumus, nónne ita demum per hæc oſtenſio fiet, ſi per ea circa quodlibet facta fuerit imitatio. HER. Neceſſarium puto. SOC. Nomen itaque eſt, vt apparet, imitatio vocis qua quiſquis aliquid imitatur, per vocem imitatur & nominat. HER. Idem mihi quoque videtur. SOCR. Atqui per Iouem nondum tamen, ô amice, rectè dictum exiſtimo. HER. Quamobrem? SOC. Quoniam hos ouium & gallorum cæterorúmque animalium imitatores, fateri cogeremur nominare eadem quæ imitantur. HER. Vera loqueris. SOC. Decere id cenſes? HER. Nequaquam. ſed quænam, ô Socrates, imitatio nomen erit? SOC. Non talis imitatio, qualis quæ per muſicam fit, quamuis voce fiat, neque enim eorundem quorum & muſica imitatio eſt, neque enim per muſicam imitationem nominare videmur. Dico autem ſic. Adeſt rebus ſingulis vox & figura, colórque plurimis. HERM. Omnino. SOC. Videtur mihi ſi quis hæc imitetur, neque circa imitationes iſtas nominandi facultas conſiſtere. hæ ſiquidem ſunt partim muſica, partim verò pictura. nónne? HERM. Planè. SOC. Quid ad hoc? nónne eſſentiam eſſe cuique putas, quemadmodum colori & cæteris quæ ſupra diximus? an non ineſt colori ac voci eſſentia quædam, & aliis omnibus quæcũque eſſendi appellatione

sunt digna. HER. Mihi quidem videtur. SOC. Si quis cuiusque [a] essentiam imitari literis syllabisque valeret, nónne quid vnumquodque sit declaret? HER. Maxime quidem. SOC Quem hunc esse dices? superiores quidem passim musicum, partim pictorem cognominabas, hunc, verò quomodo vocabis? HER. Videtur hic mihi, ô Socrates, quem iamdiu quærimus nominandi autor. SOC. Si verum hoc est, considerandum iam de nominibus illis quæ tu exigebas ῥοὴς, id est fluxu, ἰέναι, id est ire, στάσεως, id est detentione, vtrum literis syllabisque suis reuera essentiam imitantur, nécne? HERM. Prorsus. SOC. Age videamus nunquid hæc sola prima nomina sint, an sint & alia præter hæc? HER. Alia equidem arbitror. SOC Consentaneum est. Cæterum quis distinguendi modus vnde imitari incipit imitator? Nónne quandoquidem literis ac syllabis essentiæ fit imitatio, præstat primùm elementa distinguere? quemadmodum qui rythmis dant operam, elementorum primò vires distingunt, deinde syllabarum tantùm, rythmos tandem ipsos aggrediuntur, prius nequaquam. HER. Vtique. SOC. An non ita & nos primò oportet literas vocales distinguere, postea reliquas secundum species, mutas & voce carentes? (ita enim in his eruditi viri loquuntur) tum non vocales quidem, non tamen voce carentes, & ipsarum vocalium species inuicem differentes. Et postquam hæc bene omnia discreuerimus, rursus imponere oportet nomina, considerandéque si sunt in quæ omnia referuntur, quemadmodum elementa, ex quibus cognoscere licet & ipsa, & si in ipsis species continentur eodem modo sicut in elementis. His omnibus diligenter

[a] Nomẽ debet rei essentiã imitari & exprimere.

genter cogitatis, scire oportet afferre secundū similitudinem vnumquodque, siue vnum vni sit admouendum, seu multa inuicem commiscenda: ceu pictores similitudinē volentes exprimere, interdum purpureū duntaxat colorē adhibent, interdū quemuis alium colorē, quandoque multos cōmiscent, veluti cum imaginē viri quàm similimā effingere volunt, vel aliud quiddā huiusmodi, quatenus imago quæque certis coloribus indiget. haud secus & nos elementa rebus accommodabimus, & vnum vni, quocunque egere maximè videatur: σύμφωνα que, id est coniecta conficiemus, quas syllabas vocant. Quas vbi iunxerimus, ex eisque nomina verbaque constituerimus, rursus ex nominibus ac verbis magnum iam quiddā & pulchrū & integrū construemus: & quemadmodum totū ipsum compositum pictura animal vocat, ita nos contextum hunc integrū, orationē vel nominandi peritia, vel rhetorica fabricatā, vel alia quauis quæ id efficiat arte. Imò non nos istud agemus. modum nanq; loquendo transgressus sum. quippe veteres ita conflarunt, si ita est constitutum. Nos autē oportet, si modò artificiosè consideraturi sumus, ipsa omnia sic distinguentes, siue vt conuenit prima nomina & posteriora sint posita, siue non, ita excogitare. Aliter aūt connectere, videndū est ô amice Hermogenes, ne fortè sit error. HE. Fortè per Iouem, ô Socrates. SO. Nūquid ipse cōfidis ita te posse distinguere? Ego enim me posse diffido. HER. Multò igitur magis ipse diffido. SO. Dimittemus igitur? an vis vt cunque valemus, experiamur, et si parùm quid horum nosse possumus, aggrediamur, ita tamē vt paulò suprà, diis præfati, nihil nos veri in-

telligentes opiniones hominum de illis coniicere: ita & nunc pergamus nobisipsis similiter prædicentes, quod si quàm optimè distinguẽda hæc fuissent, vel ab alio quopiã, vel à nobis, sic certè distinguere oportuisset: nunc autem, vt fertur, pro viribus ista nos tractare licebit. Admittis hæc? vel quid ais? HER. Sic prorsus opinor. SO. Ridiculum visum iri, ô Hermogenes, arbitror, quòd res ipsæ imitatione per literas syllabásque facta manifestæ fiant. Necessarium tamen: neq; enim melius hoc habemus quicquam, ad quod respiciẽtes de veritate primorum nominum iudicemus: nisi fortè quẽadmodum [a]Tragici quoties ambigunt, [ad machinas confugiunt & deos inducunt,] ita & nos ocyus rem expediamus, dicentes deos prima nomina posuisse, & idcircò rectè instituta fuisse. nunquid potissimus nobis hic sermo? an ille, quòd ipsa à barbaris quibusdam accepimus? nobis quippe antiquiores sunt barbari, vel quòd ob vetustatem ita ea discerni nequeunt vt & barbara? Tergiuersationes hæsunt, & belliſſimæ quidem, illorum quicunque nolint de recta impositione primorũ nominum reddere rationem. Etenim quisquis rectam primorum nominum rationem ignorat, sequentium cognoscere nequit. hæc porrò ex illis declarãda sunt: illa autem is ignorat. quin potius necesse est sequentium peritiam profitentem, multò prius & absolutius antecedentia comprehendisse, possèque ostendere. aliter autem scire debet se in sequentibus deliraturũ. an aliter ipse censes. HE. Haud aliter Socrates. SO. Quæ ego sensi de primis nominibus, insolentia ridiculáque admodum esse mihi videntur, cáque tecum, si velis, communicabo

[a] *Tragici, quoties in anguſtias redacta eſt fabula, ad machinas confugiunt, & deos inducunt.*

cabo. Siquid verò tu melius inueneris, mecum & ipse communica. HER. Efficiam, sed die iam forti animo. SO. Principio ipsum ρ velut instrumentum omnis motus esse videtur. Cur autem motus κίνησις appelletur, non diximus, patet tamen quòd ἴησις, id est itio esse vult. Non enim η quondam sed ε vtebamur. principium autē ab κίειν, id est ire, quod peregrinum nomen est, & ἴεναι, id est ire significat. Quare si priscum eius nomen reperiatur in vocem nostram translatum, rectè ἴησις appellabitur. Nunc autem ab κίειν nomine peregrino, & ipsius η commutatione, & ν ipsius interpositione κίνησις nuncupatur. Oportebat autem κίεσιν vel ἴεσιν appellari, στάσις id est statio, negatio, ipsius ἴεναι, id est ire esse vult. sed ornatus causa στάσις denominatur. Elementum itaque ipsum ρ opportunum motus instrumentū vt modò dicebā, visum est nominū autori ad ipsā lationis similitudinē exprimendā: passim itaque ρ ad motus expressionē vtitur. In primo quidem ipso ῥεῖν & ῥοῆ per literā ρ lationem imitatur, deinde in πρόμα, id est tremore, & πραχεῖ aspero. item in verbis huiusmodi, κρούειν percutere, θραύειν vulnerare, ἑρύειν trahere, θρυπτεῖν frāgere enerūareque, κερματίζειν incidere, ῥεμβεῖν vacillare, irritare & circūuersare. Hæc oīa vt plurimum per ρ ad similitudinē motionis effingit. Mitto enim ρ lingua in hac litera pronunciāda minimè immoratur, quin potius maximè concitatur. Quocirca ad istorū expressionē ipso ρ potissimum vsus fuisse videtur. b Vsus est & litera ι, ad tenuia quæque per omnia maximè penetrantia. idcirco ἰέναι & ἰέσθαι, id est ire progredique per ι imitatur. Quemadmodum

a *Litera ρ ad motū exprimendum adhibetur.*

b *Litera ι vsus.*

per θ, φ, σ, ζ. quæ literæ vehementioris ſpiritus ſunt, talia quædam nominum autor exprimit, ψυχρὸν frigidum ζέον, feruens, σείεσθαι concuti, & omnino σεσμὸν, concuſſionem quaſſationémq; : quotieſque vehemens quippiã & ſpiritu plenum imitari vult nominum inſtitutor, tales vt plurimum literas adhibet. Quinetiam

a *Litera δ & τ vſus.*

ipſius [a] δ compreſſionem ac τ, & linguæ velut hærentis tetractionem, peropportunam exiſtimaſſe videtur ad vinculi & ſtationis potentiã exprimendam. Et quia in [b] λ proferendo maximè lingua prolabitur, ideireo per hoc velut ex ſimilitudine quadam nominauit λεῖον, id eſt lenia, & ὀλισθάνειν labi. & κολλώδεις liquidum, λιπαρὸν pingue, cæteráque huiuſmodi. Quiæ verò labentẽ linguã [c] γ remoratur, eo interiecto formauit γλίσχρον lubricum, γλυκὺ dulce, γλοιώδεις viſcoſum, lutulentum. Animaduertens quoque ipſius [d] ν ſonũ imò in gutture detineri, eo nominauit τὰ ἔνδον & τὰ ἐντὸς, id eſt quod intus eſt, & quæ intrinſecus ſunt, vt res literas repræſentaret. Ipſum verò [e] α voci μεγάλῳ id eſt magno tribuit, & ipſũ [f] η voci μήκει id eſt longitudini, quoniã magnæ literæ ſunt. in nomine aũt στρογγύλον, id eſt rotundũ, ipſo [g] ο indigens, ο vt plurimum miſcuit. Eadémq; tatione cętera ſecũdum literas ac ſyllabas rebus ſingulis accommodare videtur nominum auror, ſignũ noménque conſtituẽs, ex his deinde ſpecies iam reliquas per ſimilitudinẽ conſtituere. Hæc mihi Hermogenes recta videtur eſſe nominum ratio, niſi quid aliud Cratylus hic aſſerat.

b λ

c γ

d ν

e α

f η

g ο

HER. Et ſanè, ô Socrates, ſæpe mihi negotium faceſſit Cratylus hic, vt à principio dixi, dũ eſſe quãdã aſſerit rectã nominum rationẽ, quę verò ſit

rò sit non explicatu vt discernere nequeã vtrũ de industria nécne adeò sit obscurus. In præsentia igitur, Cratyle, coram Socrate dicas, vtrũ placeant ea tibi quæ Socrates de nominibus prædicat, an præclarius aliquid afferre possis: quod si potes, adducas in medium, vt vel à Socrate discas, vel nos ambos erudias. CRA. Videtúrne tibi Hermogenes facile esse tam breui percipere quoduis atque docere, nedum rem tantã, quæ maximũ quid de maximis æstimatur? HER. Non mihi per Iouem, quinimò scitè loquutum Hesiodũ arbitror, quòd operæpretium sit paruum paruo addere. Quare si quicquã, licet exiguũ perficere vales, ne graueris, sed & Socratẽ istũ iuua, & me insuper. SOC. Equidé, ô Cratyle, nihil eorum quæ suprà cõmemorauí, asserere velim. Nempe vtcunq; visum est cũ Hermogene hoc indagaui. quocirca ande si quid melius habes, exprimere, tanquã sim libenter quod dixeris, susceptur us. Neque enim mirarer siquid tu hisce haberes præclarius. Videris porrò & ipse talia quædam considerasse, & ab aliis didicisse. Siquid ergo præstantius dixeris, me inter discipulos tuos circa rectam nominum rationem vnũ connumerato. CR. Certè mihi, ô Socrates, vt ais, curæ hæc fuerunt, ac fortè te discipulũ efficerẽ. Vereor tamen ne contrà omnino se res habeat. Conuenit mihi nunc idé erga te dicere, quod aduersus Aiacem in sacris Achilles inquit. *Generose, ait Aiax Telamonie populorum princeps, omnia mea ex sententia protulisti.* ita quoque, ô Socrates, nostra ex mente vaticinari videris siue ab Euthyphrone fueris inspiratus siue Musa quædam tibi pridem inhærens nunc te protinus concitauerit. SO. O vir bone Cra- Iliad. 2.

tyle, ego quoque sapientiam meam iampridem admiror, neque nimis confido. quare examinandum quid dicam, existimo. [a] Nam à seipso decipi grauissimum est, nimis enim periculosa res est, quum seductor abest nunquam, sempérque deceptum proximè comitatur. Oportet itaque superiora frequenter animaduertere, & vt poeta ille ait, antè illa retróque conspicere. [b] Atqui & in præsenti videamus quid à nobis sit dictum. Rectam diximus nominis rationé, quæ qualis quæq; res sit, ostendit. Nunquid sufficiéret esse dictũ asserimus? CR. Mihi quidẽ planè sic videtur, ô Socrates. SO. Docendi igitur gratia nomina ipsa dicuntur? CR. Prorsus. SO. An non & artẽ hãc esse dicimus, & ipsius artifices? CR. Maximè. SO. Quos? CR. Quos à principio tu legũ & nominũ cõditores cognominabas? SO. Vtrũ hãc artẽ similiter atque alias inesse hominib. an aliter arbitramur? Id aũt est quod volo. pictores quidã deteriores sunt, quidã præstãtiores? CR. Sunt. SO. Nónne præstantiores opera sua pulchriora faciũt, figuras videlicet animaliũ? cæteri contrà? Ædificatores quoque similiter partim pulchriores, partim turpiores domos efficiunt? CR. Sic est. SO. Nónne & legũ ipsarum autores partim opera sua pulchriora, partim turpiora efficiunt? CR. Haud amplius istud admitto. SOC. Non ergo leges aliæ meliores, deteriores aliæ tibi videntur. CR. Non SO. Neque etiam nomen vt apparet, aliud melius, aliud deterius impositum arbitraris. CR. Neque istud. SOCRAT. Ergo omnia nomina rectè posita sunt. CRA. [c] Quæcunque videlicet nomina sunt. SOCRAT. Quid de huius Hermogenis quod paulò antè dictum est, nomine

[a] *A seipso decipi periculosiss. mũ.*

[b] *Socrates suam de rectã nominũ impositione & Etymologia rationẽ excutiendã permittit Cratylo.*

[c] *Cratylus volebat nullum rei nomen esse cẽsendũ, quod non ipsi conueniret.*

mine? Vtrum dicendum non esse illi istud impositum, nisi quid ἑρμοῦ ἴντοσε, id est Mercurii generationis illis competat? An impositum quidem non tamen recte? CR. Neq; impositum esse, ô Socrates, arbitror sed videri. esse aût alterius cuiusdã nomen, cui natura inest quæ nomine continetur. SOC. Vtrum neque mentitur quisquis Hermogenem eum esse dicit? Neq; enim hoc est dubitandum, quin eum dicat Hermogenem esse cùm non sit. CR. Qua ratione id ais? so. [a] Nunquid ex eo quod non datur dicere falsa, sermo tuus constat, & circa id versatur? permulti nempe, ô amice Cratyle, & nunc prædicant, & quondam asseruerunt. CRAT. Quo pacto, ô Socrates, dum dicit quis quod dicit, quod non est dixerit? An non hoc est falsa dicere, quæ non sunt dicere? SOCRAT. Præclarior hic sermo, amice, quàm conditio mea & ætas exigat. Attamen mihi dicas, vtrum loqui falsa non posse aliquis tibi videtur, fari autem posse? CRAT. Neque fari. so. Ac etiam neque dicere, neque appellare, salutaréque? Quemadmodum si quis tibi obuius hospitalitatis iure manu te prehendens, dicat, salue hospes Athenienſis, Smicrionis fili Hermogenes, ille loqueretur ista, vel fari diceretur, vel diceret, vel salutaret, appellarétque ita, non te quidem, sed hunc Hermogenem, aut nullum? CR. Videtur mihi, ô Socrates, incassum hæc iste vociferari. so. Sat habeo, vtrum vera vociferatur, qui ita clamat, an falsa? An partim vera, partim falsa? Nam hoc quoque sufficiet. CR. Sonare hunc ego dicã seipsum frustra mouentũ, ceu si quis æra pulset. so. Animaduerte Cratyle, vtrũ quoquo modo conueniamus?

[a] *Vulgatum Sophistarũ dictum, falsum dici nõ posse.*

Nónne aliud nomen, aliud cuius nomen est, esse dicis? CRA. Equidem. SOC. Et nomen rei ipsius imitationem quandā esse fateris? CRA. Maximè omnium. SOC. Et picturas alio quodā modo rerum quarundam imitationes? CRA. Certè. SOC. Age verò, fortè ego quid dicas, nō satis intelligo, tu autem forsitan rectè loqueris. possumus has imitationes vtrasque & picturas & nomina rebus his quarum imitationes sunt attribuere, nécne? CRA. Possumus. SO. Aduerte hoc in primis, nunquid possit aliquis viri imaginē viro, & mulieri mulieris tribuere, & in aliis eodem pacto? CRA. Sic certè. SOC. Num & contrà, viri imaginē mulieri, & mulieris viro? CRA. Et hoc. SO. An vtræque distributiones huiusmodi rectæ sunt? vel potius altera, quæ cuique propriū similéque attribuit? CRA. Mihi quidem videtur. SO. Ne igitur ego ac tu cùm simus amici, in verbis pugnemus, aduerte quod dico. Talem ego, ô amice, distributionem in imitationibus vtriusque tā nominibus quàm picturis rectā voco. & in nominibus non rectā modò, sed veram. Alteram verò dissimilis ipsius tributionem illationēque non rectā, & in nominibus præterea falsam. CRA. At vide, ô Socrates, ne fortè in picturis duntaxat id cōtingere possit, vt quis malè dispertiat, in nominibus autem minimè, sed necessarium sit rectè semper adscribere. SOC. Quid ais? quo ab illo hoc differt? Nónne fieri potest vt cuipiā viro quis obuius dicat, hæc tua figura est, ostēdátque illi fortè viri illius figurā, fortè etiam mulieris? Ostendere, inquā, sensibus oculorū offerre. CRA. Certè. SOC. Nónne iterum vt eidem factus obuiā dicas, nomen id tuū est. Imitatio quippe aliqua nomē est, quēadmodum & figu-

figura. Dico autē ita. Nónne licebit illi dicere, nomen hoc tuū est? deinde in aurē idem infundere, fortè eius imitationē dicendo quòd vir est, fortè verò fœminæ cuiusdā generis humani imitationē, dicendo quòd mulier? [a] Nō videtur tibi hoc aliquando fieri posse? CRA. Cōcedere tibi volo, ô Socrates, sic esto. SOC. Rectè facis amice, siquidē id ita se habet. neque enim nunc ea de re magnopere decertandū est. Porrò si in his huiusmodi quædā partitio fit, alterum verè loqui, alterum loqui falsa vocamus. Si hoc accidit, & possumus, non rectè nomina distribuere, & quæ non propria sunt cuique reddere, similiter in verbis aberrare licebit. Sin autem verba nominaque ita congerere datur, necesse est & orationis similiter. Oratio quippe, vt arbitror, est verborum & nominū compositio. Quid ad ista Cratyle? CRA. Quod & tu probè nāque loqui videris. SOC. Quinetiam si prima nomina ad literas ipsas quadā imitatione referimus, contingere potest in his quē admodum in picturis, in quibus accidit vt cōgruas omnes figuras colorésque adhibeamus. Itémque vt non omnes, sed partim superaddamus, partim subtrahamus, pluráque & pauciora exhibeamus. Nónne fieri hoc potest? CRA. Proculdubio. SOC. Qui conuenientia omnia tribuit, pulchras literas & imagines reddit. Qui verò addit, vel aufert, literas quidem ac imagines & ipse facit, sed malas. CRA. Nempe. SOCRAT. Qui autem per literas ac syllabas rerū essentiā imitatur, nónne eadē ratione si cōpetentia omnia tribuit, pulchrā imaginē efficit? Id autē nomē existit. sinaurē in paucis deficiat vel interdū excedat, imago quidem efficietur, sed nō pulchra? Quamobrē nomina

[a] *Redarguit Cratylū Socrates, & ostendit etiā non conuenientia nomina rebus imponi posse.*

quædam bene instituta erant, quædam cõtrà. CRA. Fortè. SOC. Forsitan ergo nominum hic bonus erit artifex, ille malus. CRAT. Profectò. SO. Nónne huic nomen erat nominum conditor? CRA. Planè. SO. Erit itaque in hoc quẽadmodum in cæteris artibus cõditor nominũ bonus vnus, alius verò non bonus, si modò superiora illa inter nos constant. CRA. Vera hæc sunt. Verum cernis, ô Socrates, quoties has literas α & ϵ & quoduis elementorum nominibus per artem grammaticam attribuimus, si quid auferimus, vel addimus, vel etiã permutamus, quod nomen quidẽ scribimus, non tamẽ rectè, imò verò id nullo modo scribimus, quin potius statim aliud quiddã, est, cùm primùm horum aliquid patitur. SO. Videndũ Cratyle, ne fortè minus rectè hoc pacto consideremus. CRA. Quo pacto? SO. Fortassis quæcunque aliquo ex numero constare vel non constare necesse est, id quod ais perpetiuntur, quẽadmodum dicẽ, aut quiuis alius numerus. [a] Nã quilibet numerus quocunque addito vel ablato, alius statim efficitur. Fortè verò qualitatis cuiuslibet & imaginis haud eadem in rectitudine ratio est, sed diuersa. Neque enim omnia imago habere debet quæcunque illud cuius imago est, si modò est imago futura. Animaduerte num aliquid dicam. An duo quædã hæc erunt, Cratylus videlicet, & ipsius imago, si quis deorum non modò colorem tuum figurámque expressérit, vt pictores solent, sed interiora quoque omnia similia tuis effecerit, mollitiẽ eandẽ, calorémque, motum, animã, sapientiam, & vt breui complectar, talia prorsus effinxerit omnia, qualia tibi insunt? Vtrum, inquam, alterum istorum Cratylus erit, alterum

[a] *Species vel similis est numero, cui si aliquid addideris, vel detraxeris, is statim alius efficitur.*

Cratyli

Cratyli ipsius imago? An Cratyli potius gemini? CRA. Cratyli, ô Socrates, vt arbitror, duo. SOC. Cernis amice aliam imaginis rectitudinem esse quærendam, quàm illorum quæ paulò antè diximus? neque cogendum esse siquid vel additum, vel ablatũ fuerit, vt non amplius sit imago? [a] An non sentis quantum deest imaginibus, vt eadẽ habeãt quæ & illa quorũ imagines sunt? CRA. Equidem. SOCR. Ridiculum aliquid Cratyle ex nominibus contingeret his quorum nomina sunt, si prorsus illis similia redderent. Gemina quippe omnia fierent, neutrúmque illorum vtrum esset potius dici posset, réne ipsa an nomen. CRA. Vera loqueris. SO. Ingenuè itaque fatearis, ô vir generose, nominum aliud bene, aliud contrà positum esse: neque cogas omnes literas continere, adeò vt penitus tale sit, quale & id cuius est nomen: sed mitte literam quoque minus congruam affertri quandoque si literã, & nomen similiter in sermone: si in sermone nomen, sermonem insuper nequaquã conuenientẽ, rebus tribui, & rem ipsam nihilominus nominari dicíque, quoad rei ipsius cuius sermo est figura insit, quemadmodũ in elementorũ nominibus quę nuper ego & Hermogenes cõmemorauimus, si recordaris. CRA. Recordor equidem. SOC. Bene hercle. Igitur quandocunque hoc inerit, quamuis non omnia conuenientia prorsus adsint, dicetur. bene quidem, cum omnia: malè verò, cum pauca. Dici itaque, ô beate, mittamus, ne quemadmodum, qui in Ægina noctu circumuagantur, sero iter peragunt, ita & nos hoc pacto ad res ipsas reuera serius quàm deceat, peruenisse videamur, vel saltem aliam quandam exquiras rectam nominis rationem,

[a] *Cũ nomen sit vt ait, imago rei, nõ nec esse est, vt planeidẽ sit quod ipsa essemia rei.*

neque confitearis declarationem rei literis ac syllabis factam, nomen esse. Porrò si ambo hęc dixeris, tibi ipse constare & consentire nō poteris. CRA. Videris mihi probè loqui, ō Socrates. atque ita pono. SOC. [a] Postquā de his cōsentimus, quod restat, discutiamus. Si bene nomen positū esse debet, oportere diximus literas sibi conuenientes inesse. CRAT. Planè. SOC. Conuenit autē vt literæ rerū similes insint. CRA. omnino. SO. Quæ igitur rectè sunt posita, ita posita sunt. Siquid autē non rectè positū est vt plurimū quidem ex conuenientibus similibúsque literis cōstat, si quidē imago est: habet autem & aliquid non conueniens, propter quod non rectum est, neque rectè nomen est institutū. Sícne, an aliter dicimus? CRA. Nihil est, ō Socrates, vt arbitror, contendendum: neque enim mihi placet, vt nomen quidem esse dicatur, non tamen rectè positum. SO. Vtrum hoc tibi non placet, quod nomen rei ipsius declaratio sit? CRA. Placet. SOC. At verò nomina partim ex primis constituta esse, partim esse prima, non probè dictum putas? CRATYL. Probè. SOC. Enimuerò prima si quorundam declarationes esse debēt, habésne modum cōmodiorem quo id fiat, quàm si talia fiant, qualia illa sunt quæ declarari volumus? [b] An modus iste potius tibi placet, quem Hermogenes aliíque plurimi tradunt, quod videlicet nomina conuentiones quædam sint & declarationes, significationésque iis qui ita constituerunt, ac res ipsas præcognouere: rectáque nominis ratio in conuentione consistat, neque interfit vtrum quis ita nunc statutum est decernat, an contrà: vt videlicet ο, quod nunc ο paruum vocatur, ο magnum cognominetur. ω verò

[a] *Nomina quædam rectè posita sunt, quædā malè, quæ tamen propterea non desinunt esse nomina.*

[b] *Hermogenis sententia de nominum impositione ex pacto & conuentione hominū, iterum examinatur.*

verò quod modò ω magnum ω paruum dicatur? Vter istorũ magis tibi modus placet? CRA. Præstat omnino, ô Socrates, similitudine referre quod quis ostẽdere vult, quàm quouis alio. SOC. Scite loqueris. Nónne si nomen rei simile est, necesse est elementa ex quibus prima nomina cõponuntur, natura ipsa rebus esse similia? Sic autem dico: an aliquis quandoque picturam quam suprà diximus, rei cuiusquam similem effinxisset, nisi colores ipsi quibus constat imago, essent natura rei illius similes quã pictoris studium imitatur? An non impossibile? CRA. Impossibile planè. SOC. Eadẽ ratione nomina ipsa nunquã alicuius similia fierent, nisi illa ex quibus nomina cõponuntur, similitudinem aliquã haberent earum rerũ, quarũ nomina imitationes sunt. Ea verò quibus constant nomina, elemẽta sunt. CRA. Sanè. SO. Iã tu sermonis eius esto particeps, cuius paulò antè Hermogenes. An rectè dicere tibi visi sumus, quod ipsum ρ lationi, motui, asperitati congruit? CRA. Rectè mihi quidem. SO. Ipsum autem λ leni & molli, ac cæteris quæ narrauimus? CRA. Profectò. SO. [a] Scisne quod idem, scilicet asperitas ipsa nobis quidem σκληρότης vocatur, Eretriensibus verò σκληρότερ? CRA. Vtiq. SOC. Vtrum ambo hæc ρ & σ, eidem similia videntur, idémque ostendunt tam illis per ipsius ρ terminationem, quàm nobis per σ, vel alterius nostrum nihil declarant? CRA. Vtrisq; planè demonstrant. SOC. Vtrum quatenus similia sunt ρ & σ, vel quatenus dissimilia? CRA. Quatenus similia. SO. Nũquid penitus similia sunt? CR. Ad lationem quidem æquè significãdã? SO. Quin & ipsum λ iniectum, cur non cõtrariũ asperitatis ipsius significat? CR. Fortè nõ

[a] Eretriensis pro σκληρότερ dicit σκληρότερ.

rectè iniectum est, ô Socrates, quemadmodum ea quæ tu in superioribus cũ Hermogene hoc tractabas, dum & auferebas & inferebas literas vbi maximè oportebat. Ac rectè mihi facere videbaris. & nunc fortè pro λ, ρ apponendum est. SO. Probè loqueris. Quid verò, nunc vt loquimur, nihil percipimus inuicè, quando quis σκληρὸν pronuntiat? neque tu quid nunc ego dicam, intelligis? CRA. Intelligo equidem, ô amiciſſime, propter conſuetudinem. SO. Cum conſuetudinem dicis quid aliud præter conuentionẽ dicere putas? An aliud conſuetudinẽ vocas, quàm quod ego cùm id pronũcio, illud cogito, tu quoque quod ipſe cogitem percipis? Non hoc dicis? CRA. Hoc ipſum. SO. Si id me pronunciante cognoſcis, per me tibi fit declaratio. CRA. Ita eſt. SO. Diſſimile videlicet eius quod ipſe cogitans profero: quandoquidem ipſum λ diſſimile eſt eius quo tu σκληρότητα, id eſt aſperitatẽ vocas. Si hoc ita ſe habet, [ecquid aliud quàm tu tibi ipſi conueniſti & conuentus ille tibi eſt recta nominis ratio?] poſtquã tibi idem tam diſſimiles quàm ſimiles literæ reptæſentent vbi ipſam conſuetudinẽ & conuentionẽ adepta ſunt. Sin autem conſuetudo conuentio minimè ſit, haud adhuc rectè dici poterit ſi multitudinem eſſe declarationẽ, imò conſuetudinẽ, dicere oportebat. Siquidẽ ex ſimilitudine & diſſimilitudine conſuetudo declarat. [a] His vtique conceſſis, ô Cratyle (nempe ſilentium tuũ pro conceſſione ponã) neceſſe eſt conſuetudinem aliquid conuentionẽque conferre ad eorum quæ ſentimus & loquimur expreſſionem. Nã ſi velis, optime vir, ad numerorũ conſiderationẽ deſcendere, quo pacto ſperas adeò propria repertura te nomina vt ſingulis

[a] *Hermogenis ſententia cum ea Cratyli temperatur & cõciliatur, & oſtenditur nomina nõ ſẽper nec pene tus ſimilitudine quam habent cum eſſentia rei, ſed ſæpè & magna ex parte ex pacto & conuẽto hominum ſignificare.*

gulis numeris simile nomen attribuas, si non permiseris concessionem tuam, conuentionēq; autoritatem aliquam circa nominum rationē habere? Mihi quidem & illud placet, vt nomina quoad fieri potest, reb. similia sint: vereor tamen ne fortè, vt dicebas Hermogenes, tenuis quodammodo sit istius similitudinis vsurpatio, cogamúrque & onerosa hac re conuentione videlicet vti, ad rectam nominū rationem: quoniam tunc fortè pro viribus optimè diceretur, cùm vel omnino, vel maxima ex parte similibus, id est conuenientibus diceremus, turpissimè verò cùm contrà.

Hoc autē post hæc insuper mihi dicas: quā nobis vim habent nomina, quidue pulchrum per hçc effici afferimus? CR. [a]Docere mihi quidem nomina vidētur, ô Socrates, idq; simpliciter asserendū, quòd quisquis nomina scit, & res itidē sciat. SO. Fortè, ô Cratyle, tale quiddā dicis, quod cū nouerit aliquis quale sit nomē, est autem tale qualis & res existit rem quoque ipsam agnoscet, quandoquidē nominis est res similis. Ars autem vnà eadémq; est omniū inter se similiū. Hac ratione inductus dixisse videris & quisquis nomina cognoscit res quoq; ipsas agnoscet. CR. Vera loqueris. SO. Age videamus, quis modus docendarū rerū iste sit, quē ipse nunc dicis, & vtrū alius præterea sit. hic tamē potior habeatur, vel alius præter hūc nullus, vtrūistorū potius arbitraris? CR. Hoc certè, & nullus videlicet alius sit, sed hic solus & optimus. SO. Vtrū verò & res ipsas ita reperiri cēses vt cuicūq; nomina reperit, ea quoq; quorū nomina sunt, inueniat? An quęrēdū potius reperiēdúq; alium malū quēdā, hūcq; discendū? CRAT. Maximè omnium secundum ista hunc

[a] *Nomina rebus impositā sunt, vt nos res ipsas docerent, quæ est Cratyli sententia.*

ipsum & quærendũ & inueniendũ.s o.Age,ita cõsideremus,ô Cratyle: siquis dũ res inuestigat,nomina ipsa sequitur, attenditq; quale vnũquodq; vult esse,vides quàm maximũ deceptionis periculũ subit. CRA. Quo pacto?s o c. Quoniã qui principiò nomina posuit, quales esse res opinatus est,talia quoq; nomina,vt dicebamus,effinxit.Nónne ita? CRA. Ita prorsus. s o.Si ergo ille non rectè sensit,& vt sensit, instituit, nónne & sequentes eius vestigia decaptũ iri existimas? CRA. Haud ita est,imò necesse scientẽ fuisse illũ,qui nomina posuit. Aliter autẽ, vt iamdudũ dicebã,nomina nequaquã essent. Euidentissimo autẽ argumento id esse tibi potest,haud à veritate aberrauisse nominũ autorẽ,quòd si malè sensisset,nequaquã sibi omnia consonarent.An non aduertisti & ipse,cũ diceres omnia in idẽ tẽdere? s o. Nihil ista,ô bone Cratyle,valet defensio.Quid enim mirũ est,si primò deceptus nominum institutor, sequẽtia rursus ad primũ vi quadã traxit, & ipsi consonare coegit? [a] Quẽadmodũ circa figuras mathematicas interdũ exiguo quodam primo ignoto falsóq; existente, reliqua deinceps multa inuicẽ cõsonãt.Debet.n.quisq; circa rei cuiusq;[b] principium statuendũ,differere multa, diligẽtissimẽq; considerare, vtrũ rectè supponatur,nécne.quo quidẽ sufficienter examinato. cætera iam principium sequi debent. Miror tamẽ,si nomina sibimet congruũt.Cõsideremus itetũ quæ suprà retulimus.Diximus profectò ita nomina essentiã significare,quasi omnia cuttãt,ferãtur & defluant.Itáne significare cẽses? CRA.Ita certè,& rectè quidẽ s o c. videamus itaq; ex illis aliqua repetẽtes. Principiò nomẽ,hoc ἰσαὶ ἴσιμεν, id est scientia, ambiguum

a In Mathematicis figuris vno exiguo falso posito principio, multa falsa sibi invicem consonantia sequuntur.

b Quãta circa principia in omnibus scientiis cautio & consideratio adhibenda.

guũ est, magísq; significare videtur, quod ἵστησιν, id est sistit in reb. animã, quã quòd cũ reb. pariter circunfertur, rectiúsq; esse videtur, vt principiũ eius vt nunc ἑστηκέναι dicamus quã per ε, ipsius electionẽ, στηκέναι: id est firmã ac stabilẽ. Imò potius ι pro η inserto στιστέναι. Nam etiã στῆσαι sistere omnino significat. Deinde βέβαιον, id est firmũ dicitur quoniã ἕδεται & ἑστάναι. id est firmamenti, & status potius quàm lationis est imitatio. Præterea ἰσχεία id fortè significat quod ἴσχει τὸν ῥοῦν, id est sistit fluxũ, & ipsum πιστόν, id est credendũ. ἰσχύειν, id est firmare omnino significat. Quinetiã μνήμη, id est memoria ostẽdit prorsus quòd in anima nõ motus est, & agitatio, sed μονή, id est quies, stabilísq; permãsio. Atqui si quis nomina ipsa obseruet ἡ ἁμαρτία & συμφορά, id est error & calamitas, idẽ videbuntur inferre, quod σύνεσις & ἕπεσθαι, & cætera nomina quæ præclaris sunt rebus imposita. Itẽ ἡ ἀμαθία & ἀκολασία, proxima his videntur: ἀμαθία quidẽ importare videtur, ἀμα θεῷ ἴοντας πορείαν, id est simul cũ deo eũtis progressũ ἀκολασία verò omnino quandã ipsarũ rerũ ἀκολουθίαν, id est cõsecutionẽ atq; cõgressum. Atq; ita quæ rerũ turpissimarũ nomina esse putamus, nominũ illorũ quæ circa pulcherrima sunt, quàm similia videbuntur. Arbitror & alia multa reperiri posse, si quis ad hæc incũbat, ex quib. iterũ indicabit nominũ autorẽ nõ currentes delatáq; res imò stabiles indicare. C R. Veruntamẽ multa, ô Socrates, secũdũ agitationes significationẽ vides illũ constituisse. S O. Quid agemus, ô Cratyle? Nũquid suffragiorũ calculorúmq; instar nomina ipsa dinumerabimus? atq; ad hãc normã de recta ratione nominũ iudicabimus,

vt ea tandem vera sint,vtra significatione plura apparuerint nomina. CRA. Haud decet. SO. Non certe amice.Sed his iã omissis, videamus, vtrum hæc nobis isto modo fateris, an non. Age,nónne paulò antè confessi sumus eos qui nomina in ciuitatibus singulis tum Græcis, tũ Barbaris imposuerunt,legislatores esse, & artem,quę hanc facultatem contineret,legislatoriam? CRA. Maximè. SOC. Iam verò primi nomothetæ prima nomina,vtrum res quibus nomina imponebant noscentes,an ignorantes imposuerunt? CRA Cognoscentes,vt mihi quidẽ videtur ô Socrates SO. Neque enim ô amice, Cratyle,ignorantes posuissent CRA. Non,mea quidem sententia. SO. Redeamus illuc vnde digressi sumus.Dixisti nuper,si recordaris, necessarium esse,illum qui nomina statuit,prænouisse ea quibus nomina tribuebat : perstas adhuc in sententia,nécne? CRA. Adhuc. SOC. Nunquid illum qui prima nomina posuit,nouisse ais dum poneret? CRA. Nouisse. SO. Quib. ex nominibus res vel didicerat, vel inuenerat, quando necdum prima nomina fuerant instituta? cũ dictum sit impossibile esse res vel inuenire, vel discere,nisi qualia nomina sint,didicerimus,vel ipsi nos inuenerimus? CRA. Videris mihi nonnihil,ô Socrates, dicere. SOC. Quo igitur pacto dicemus eos scientes nomina posuisse,vel nominũ conditores ante positionem cuiuslibet nominis extitisse, eósque res antea cognouisse,siquidem non aliter quã ex nominibus disci res possint? CRA. Reor equidem Socrates,verissimum eum esse sermonẽ,quo dicitur excellentiorem quandã potentiam,quã humanam prima rebus nomina prębuisse,quò necessarium sit vt rectè fuerint di-

stri-

stributa. SOC. Nunquid putas contraria sibiipsi posuisse nominum autorem, si dæmon aliquis vel Deus extit? an nihil tibi suprà dixisse videmur? CRA. Fortè nondum altera istorum nomina erant. SO. Vtra igitur erant vir optime? num quę ad statũ vergunt? an quæ ad motum potius? Neq; enim, vt modò diximus, multitudine iudicabitur. CRA. Sic decet Socrates. SO. [a] Cũ itaque dissentiant contendántque de veritate inuicem nomina, & tam hæc, quã illa vero propinquiora esse asserant, cuius ad normam diiudicabimus? Quò nos vertemus? Neque enim ad alia nomina confugiemus, quia præter hæc nulla. Verũ alia quædã præter nomina quærenda sunt, quæ nobis ostẽdant absque nominibus, vtra istorũ vera sint, rerũ videlicet monstrantia veritatẽ. CR. Ita mihi videtur. SO. Si hęc vera sunt Cratyle possunt, vt videtur, res sine nominibus percipi CR. Apparet. SO. Per quid potissimũ, aliud speras res ipsas percipere? [b] Nónne per quod consentaneũ ac decens est? per mutuã illarũ cõmunionẽ, scilicet siquo modo inuicẽ cognatæ sunt, & per seipsas maximè. Quod.n aliud est ab aliis, aliud quiddã nõ illas significat CRA. Vera loqui videris. SO. Dic obsecro nónne iã sæpe concessimus, nomina quæ rectè posita sunt. similia illorũ esse quorum sunt nomina, rerúmq; imagines esse? CR. Cõcessimus planè. SO. Si ergo licet res per nomina discere, ac etiã per seipsas, quę pręstãtior erit lucidiórq; perceptio? Nũ si ex imagine cogitet, & imago ipsa verũ rectè expressa sit, & veritas cuius hæc est imago? [c] An potius si ex veritate tam veritas ipsa quàm ipsius imago, nunquid decenter imago ad eam fuerit instituta? CRA. Si ex veritate. SOCRAT.

[a] *Cõclud. nẽ esse firmam rei cognoscẽdæ rationẽ, quæ ex nomine sumitur.*

[b] *Vera ratio rei cognoscẽdæ declaratur.*

[c] *Res melius ex seipsis, dũ nudæ vocabula (si id fieri possit) aliæ cũ aliis cõparantur, quã ex vocabulis suis intelligũtur.*

Qua ratione res vel per doctrinam vel per inuentionẽ cõprahendendæ sint, iudicare maioris quàm meum ac tuum sit, ingenij opus esse videtur. Sufficiat autẽ nunc inter nos constitisse quod non ex nominibus, imò ex seipsis potius discendæ quærendæq; sunt. CRA. Sic apparet, ô Socrates.

a Improbatur & refutatur à Socrate sententia Heraclitcorum de perpetuo motu & fluxu rerũ omniũ.

SOC. a Animaduertamus & hoc præterea, ne multa hæc nomina in idẽ tẽdentia nos decipiãt, cùm qui illa imposuerunt, currere omnia semper fluereq; putauerint, atq; ea consideratione posuerint: vidétur nẽpe mihi ita existimasse: quorũ tamẽ opinio si talis extitit, falsa habẽda est. profectò illi velut in quandã delapsi vertiginẽ, & ipsi vacillãt iactãtúrq;, & nos in eandẽ rapientes immergunt. Considera vir mirifice Cratyle, quod ego sæpenumero somnio, vtrũ dicendum est esse aliquid ipsum pulchrum ac bonũ, & vnumquodque existentium ita nẽne? CRA. Mihi quidem, ô Socrates, esse videtur. SOC. b Illud igitur, ipsum considere-

b Si omnia perpetuò moueantur, & fluunt nulla est constans Idea & Species rei.

mus, non si vultus quidam aut aliquid talium pulchrum est, quippe hæc omnia fluunt: sed ipsum quod pulchrum dicimus, nónne semper tale quale est perseuerat? CRA. Necesse est. SO. Nunquid possibile est ipsum rectè denominare, si semper subterfugit, ac primò quid illud sit, deinde quale sit dicere? vel necessarium est, dum loquimur aliud ipsum statim fieri, iugitérque diffugere, nec tale amplius esse? CRA. Necessarium. SOC. Quo pacto aliquid illud erit, quod nunquam eodem modo se habet? Si enim quandoque eodem modo se habet, eò in tempore quo sic se habeat, perspicuum est quòd minimè permutatur: sinautem semper eodem modo se habet, idémque extitit, quo-

modo

modo transit vel mouetur, cùm ideam suam non deserat? CRA. Nullo pacto. SOC. [a] Praeterea à nullo cognosceretur. dum enim cognitura vis ipsum aggrederetur, aliud alienúmque fieret, quare quid sit aut quale, cognosci non posset. nam cognitio nulla ita rem percipit, vt nullo modo se habentem percipiat. CRAT. Est vt ais. SOC. Sed neque cognitionem ipsam esse affirmandum est, ô Cratyle, si decidunt omnia, nihilque permanet. Si enim cognitio ex eo quòd cognitio est non decidit, permanebit semper, ac semper erit cognitio: sinautem cognitionis species ipsa discedit, simul & in aliâ cognitionis speciẽ delabetur, neque cognitio erit. Quòd si perpetuò migrat, semper nõ erit cognitio. Atq; hac ratione neq; quod cognituru̇̃ est, neq; quod cognoscendum, semper erit. [b] Sinauté semper est quod cognoscit, est quod cognoscitur, est pulchrum, est & bonum, éstq; denique existentium vnumquodq;, quæ in præsentia dicimus, neque fluxus neque lationis similia mihi videntur. Vtrum verò hæc ita sint, an vt dicebam Heraclitii sectatores, aliique permulti, haud facilè discerni potest. [c] Neque hominis admodum sanę mentis est seipsum animúmque suum nominibus credere, & autorem nominum sapientem asse uerare, atque ita de seipso rebúsque omnibus malè sentire, vt putet nihil integrum firmúmque existere, sed omnia velut fictilia fluere atque concidere, & quẽadmodũ homines distillationibus capitis ægrotãtes, similiter quoque res ipsas affici iudicet, adeò vt distillatio ne & fluxu omnia cõprehendantur. Fortè, ô Cratyle, ita est, forte etiam aliter: fortè igitur animo & diligenti studio inuestiganda res est.

[a] *Si non sens ideæ nulla est cognitio.*

[b] *Si sẽper est cognoscẽs & cognitio semper erunt Ideæ & species rerum.*

[c] *Fallax est rerum notitia quæ sumitur ex vocabulis si ipsorum etymologia ad Heracliteorum opinionem accommodetur.*

neque enim facilè assentiendum. Iuuenis adhuc es, atque tibi sufficit ætas. Et si quid inueneris indagando, mihi quoque impartiri debes. CRAT. Nauabo operā Socrates. Ac certè scito me etiam in præsentia non torpere, imò cogitanti mihi & multa animo reuoluenti multò magis ita vt dicebas ipse, quàm vt Heraclitus dicit, res sese habere videntur. SOCR. Deinceps amice postquam redieris, me doceto. Nunc autem vt constituisti, in agrum perge. Atqui & Hermogenes hic te comitabitur. CRA. Fiet vt mones, Socrates. Verùm eu quoque iam de his cogita.

GORGIAS PLATONIS, VEL, de Rhetorica.

Marsilij Ficini Argumentum.

CVm duo quædam in animo potissima sint, cognitio & affectus, cognitionem quidem sophistæ sub veritatis specie ad falsa detorquent, affectus verò populares poetæ sub concinnæ voluptatis esca in dissonas perturbationes sæpe præcipitant. Oratores denique populares tum cognitionem falsis decipiunt coniecturis, tum affectum in motus varios concitāt. Quapropter cùm bonorum opera mentes hominum, tum falsis opinionibus, tum perniciosis affectibus ægrotare cogantur, Plato humanorum medicus animorum nos à sophistis quidem omnino ab oratoribus quoque atque poetis quodammodo procul abducit, profectò sophistas & vndique & omnes exterminat,

poe-

poetas autem neque omnes, sed illos qui vel turpia de diis & fingunt, vel perturbatos animos acrius imitantur & referunt, neque vndique, sed ex vrbe id est ex iuuenum ignorantiumque turba, qui in perturbationes admodum sunt proclines, & allegoricum poetarum non penetrant sensum. Quamobrem in libris De republica poetas iubet vel expelli, vel cogi de Deo honestè loqui, neque perturbationibus audientes assuefacere, sed & diuinos hymnos canere, & leges patrias magnorumque gesta virorum grauiter recensere. Sed vt reuertamur ad oratores hos quoque non omnes Plato vituperat, sed eos duntaxat, qui ad id incumbunt assiduè, vt quicquid libuerit: quacunque valeant ratione audientibus persuadeant absque delectu, siue malum id est, siue bonum, seu falsa sit ratio, seu vera, vel commiseratio, vel concitatio, vel coniectura. Quale fuerat Lysiæ Thebani, atque Tisiæ, necnon Gorgiæ Leontini propositum. Anteponit verò aliis Periclem in Phædro atque Isocratem, propterea quòd eloquentiam cum philosophia coniunxerint. Additque legitimum oratorem oportere rerum intelligere rationes, morum leges, verborum vires, naturas ingeniorum, verbáque certa quadam ratione componere ingeniis audientium quod fieri potest, accommodata, communis boni persuadendi gratia: neque tam ad id incumbere, vt ea quæ dicit hominibus grata sint, quàm vt accepta Deo. Eum verò qui Tisiæ Gorgiæq; more non veritatem ipsam atque iustitiam, sed coniecturam turbæ duntaxat verisimilem probabilémque sequitur, tanquam hominem ciuitati ante alios noxium detestatur, quasi eloquentia sine sapientia sit ensis acutus in manibus furiosi. Duos autem exagitat ante alios, Lysiam quidem in Phædro, hic verò Gorgiam. Nam quantò maioris autoritatis erant, tantò periculosiores erant. Adducitur hic in medium

& Polus orator Gorgiæ sectator, & Callicles eorum assipulatur. Socrates autem primò per Charephontem agit familiarem suum, & id quidem aduersus Polum. Deinde ipse per se contra Gorgiam. Quoniam verò hi in aliarum rerum rationibus assignandis apud populum mirum in modum gloriari solebant, ostenditur eos, vt ipsis omnis admiratio, fides, nescire, suæ professionis rationes afferre. Interrogatus enim Polus quæ sit ars Gorgiæ, cùm debuisset eam solùm per necessaria definire, & quæ sit explicare, per superflua circumscripsit, & quasi, & id quidem affectato nimium stylo, quo vti consueuisse, in Phædro vbi de oratorum stylis agitur, confirmatur. Deinde interrogatus ipse Gorgias quæ sit ars eius, ineptam quandam iactantiam respondisse esse rhetoricam. Rogatur deinceps quid sit rhetorica definire. Meminisse verò debemus rem quamlibet in eo quod ipsa est partim quidem cum rebus aliis conuenire, partim verò differre, atque id per quod conuenit, nominari genus: per quod discrepat, differentiam. hinc fit, vt definitio quæ idipsum quod res est comprehendit, per genus eiusmodi, differentiámque debeat assignari. Gorgias ergo vtpote qui artem suam nesciat definire, genus ipsius & id quidē ineptè profert. Differentiam verò quam mox in eadem responsione vnà cum genere debebat adducere, vix tandem post multas interrogationes extorquente Socrate in medium afferre compellitur. Principiò respondet rhetoricam esse artem circa sermones. Et quoniam aliæ quoque sunt similes, interrogatur circa quos qualésve sermones, vt qua in re ab aliis artibus differat, discernatur. Respondet autem circa sermones qui dicendi vim præstant. Iterum in aliis artibus est commune. vnde rursus adiungere cogitur, rhetoricam versari quàm plurimum circa sermones, vimque dicendi. Sed quoniam id quoque commune cum mul-

multis, urgetur iterum addere circa sermones, scilicet de rebus maximis. Cùm verò & id commune, iam nescio quid distinctius afferre compellitur, id est per oratoriam nos consequi vt nulli seruiamus, sed aliis dominemur, atque esse oratoriam artem persuasionis pro arbitrio effectricem. Interea Socrates admonet, vt in disputando non tam ad personam qua cum disputatur, quàm ad rem ipsam & sermonem & animum intendamus. Deinde verò quoniam omnis ars aliqua de re persuadet, quæritur qua de re, & qualis sit rhetoris persuasio. Mox in duo distinguitur persuasio. In eam scilicet quæ scientiam, & in eam quæ facit fidem. Concluditurq; oratoriam persuasionem non scientiam afferre, sed fidem, non circa quælibet propriè sed circa iusta atque iniusta, non vbique, sed in turba potissimùm, ac de rebus quæ præcipuè ad rempublicam pertinent. Additur quinetiam oratorem de rebus insuper ad artes alias propriè pertinentibus suadentius quàm artifices ipsos posse loqui, non quidem inter artium ipsarum peritos, sed imperitos. Inter hæc admonemur ne potentia vnquam ariéque abutamur. Item ne in disputando vbi ad veritatem percipiendā necessaria est tranquillitas perturbemur. Rursus æquo animo atque libentissimo redargutionem esse recipiēdam præsertim in moribus corrigendis. Nihil deterius enim esse quàm de moribus falsa sentire. Post hæc concedit Gorgias non pertinere ad oratorem scire qua ratione res ipsa se habeant, sed machinationem quandam sic ad persuadendum excogitare, vt ipse quamuis ignorans, tamen apud ignorantes magis intelligere quàm ipsi scientes appareat, efficiumque eius esse, de quolibet in turba strenuè loqui nō docendo, sed persuadendo. Concedit quoq; oratorem scire id debere & posse quod sit verisimile, etiam si id quod verum est nesciat, quod quidem sic-

ri nullo modo potest. Nisi enim rem ipsam cognouerit, nunquam quid illius simile sit, agnosces. Proinde quæritur vtrum sicut ad oratorem alia scire non attinet, ita neque etiam quid bonum, honestum, iustum sit intelligere. Gorgias verò cùm aliàs dixerit, oratorem ad hæc atque illa similiter se habere, hic sibi repugnans, scire hæc saltem oportere consensit. Hinc Socrates argumentatur. Si orator scit iusta, ergo est iustus, tentans videlicet Gorgiam nunquid vim consequentiæ teneat. Ille verò admittit statim, cùm propriè in scientiis artibúsque ad intelligentiã pertinentibus id sequatur, scit astrologica vel fabrilia ergo astrologus est vel faber: in iis tamen quæ ad voluntatem morésque pertinent non sequatur, scit iusta, ergo iustus. Opus enim ad iustitiam est voluntate. Verumtamen si quis diuinam quandam de iustitia scientiam habeat, quod quidem spirante Deo fieri quandoque posse Plato vult, rectè sequetur. Quisquis enim certissimè scierit quantũ bonum iustitia sit, quantúmue præmium maneat: atque contrà quantum iniustitia malum, quantúmue huic supplicium debeatur: is procul dubio iniustitiam fugiens, iustitiam complectetur. Quacunq; verò ratione se res habeant, Gorgias sibimet cogitur contradicere. Quippe cùm in superioribus, oratorem iniustum esse aliquando posse concesserit, hic verò neget. Post hæc Socrates ex arrogantia Poli sub quadam ironia & iuniores improbat, si quando seniores corripiant arroganter, & præcipit omnibus vt emendari à quolibet facilè patiantur. Caterùm vt quæ sequuntur planè intelligantur, aduertendum est, oratoriam vel in genere, vel in speciebus posse considerari: atque in genere quidem definiri, industriam ad persuadendum in materia ciuili promptissimam, tum quadam probationis facultate, tum vel maximè eloquij gratia. Ideóque inter artem quandam differendi poëticam-

eámque esse quodammodo constitutam. Hactenus oratoria intellectui quidem bonum est, voluntati verò neque bonum est neque malum. Huius autem duæ sunt species, philosophica, & popularis siue adulatoria: illa bonum, hæc verò malum. Illius quidem finis est, certis rerum, verborum, morum rationibus, audientes ad commune bonum perducere. Quam maximè laudat in Phædro ex philosophia poesiq; grauiori compositam. Alterius autem finis est per coniecturas turbæ verisimiles, concitationésque animorum, quodcunque libuerit impetrare. Hanc inter sophisticam vulgarémque poesim ponimus ex vtriſque permixtam, quam in hoc dialogo detestatur. Diuidit autem artes ipsius hominis propriè curatrices in duo præcipuè genera. Quorum primum curat animum, secundum verò corpus. In animo legalem facultatem ait legum conditricem morúmque moderatricem, animum ipsum in habitu quodam naturæ consentaneo formare atque stabilire: artem verò iudicialem animum, si quando hinc lapsus fuerit, restituere. In corpore quoque geminas ponit artes similiter corporis curatrices, gymnasticam quidem huius exercitãdi magistram in bona ipsum habitudine pro viribus confirmantem. Medicinam verò corpori admissam sanitatem restituentem. Quapropter qualis est legalis in animo, talis in corpore videtur esse gymnastica. Item qualis iudicialis in animo, talis in corpore medicina. Has omnes appellat artes, quia certa ratione perducant ad bonum. Subdit naturam quandam siue peritiam, adulatoriam, seruilem atque fallacem, qua falsò has quatuor æmulatur. Per sophisticam quidem simulat legalem, per oratoriam scilicet vulgarem fingit iudicialem, per fucatoriam præ se fert gymnasticam, per coquinatoriam medicum repræsentat. Totum verò hoc adulandi genus negat esse artem, quia

non ratione certa ad verum bonum, sed leneciniis contendit ad gratiam. Sed ne quis existimet Platonem longè omnium eloquentissimum legitimam eloquentiam coquinaria comparare, legat Phædrum, in quo & eam probat, & finem officiumq; & præcepta eius subtilissimè tradit, asseritque ipsam esse similem medicinæ. Quoniam verò Polus oratoriam vim extollens, oratores ait ex eo maximam habere potentiam, quòd pro arbitrio valeant aduersarios carceri mortique damnare, vel expoliare bonis, vel vrbe priuare. Socrates duobus potissimum argumentis probat iniustos non esse potentes. Primo quidem, quoniam potentia exoptanda est vnicuique tanquã bonum: constat verò licentiam quodcunque libuerit faciendi, iniustis hominibus veluti mente capitu non modò non bonam esse, sed malam, atque tandem perniciosam. Deinde maxima potestas est posse id ipsum quod velis efficere. Patet autem omnes verum velle bonum. At malos verum bonum vel agere vel consequi nunquam. Adde quòd mala mens eo ipso quòd mala est, discors in seipsa & insana cẽsetur, támque ab his quæ afferuntur sensibus superata. Quis ergo dixerit mentem & languidam & more mancipij suis seruientem mancipiis, esse potentem? Interea humana omnia distinguũtur in tria, scilicet in bona, malaque, & media. Bonorum primum est sapientia. Secundum, optanda corporis habitudo. Tertium, fortunæ commoditas. Sed hæc duo eatenus iudicantur bona, quatenus commodum menti exhibent ministerium. Horum verò opposita dicuntur mala, sed horum media tanquam indifferentia sunt, quæ non magis ad bonum declinant quàm ad malum, vt ire, sedere, atque similia. Additur neminem velle aut mala, aut media, aut ea quæ agit propriè, imò duntaxat ea quorum gratia mouetur & agit. Non ergo qui iniurias faciunt, ipsas volunt iniurias, sed

bonum

bonum cuius gratia faciunt. Bonum verò non consequuntur, non assequuntur ergo quod volunt: Non ergo potentes. Deinceps verò Socrates ex errore Poli communi cum multis nactus occasionem sancta nobis tradit præcepta. Cui peccare grauiter licet, propè miser est: qui peccat grauiter iam est miser: qui peccati non luit pœnas, est miserior. Iniurias pati eligendum est potius quàm inferre. Licentia quodcunque libuerit faciendi non est potentia, nisi id nobis sit denique conducturum. Conducet autem iustè duntaxat vtentibus Iniusti etiam si totius orbis imperio potiantur, infelices sunt, imò infelicissimi. Quò enim magis peccare licet, & quò minus peccari datur pœna, eo infeliciores habentur. Felicitas in sapientia iustitiaque consistit. infelicitas in contrariis. Quoniam verò Polus veritatis iudicium quod ad iudicis qualitatem potius quàm ad iudicantium numerum referri debet, in quorumlibet testium multitudine collocat, ideo Socrates optimum probandi modum esse respondet si vnicum in causa testem adduxeris, aduersarium scilicet ratione conuictum: alioquin coacervatam vndique testium multitudinem, parui ad veritatem esse momenti. Præterea quia Polus ait iniuriã quidem facere turpius esse, pati verò peius: Socrates id arguit, asserens idem in rebus humanis moribusq; bonum esse atque pulchrũ siue honestum: idem malum atque turpe. Deinde idipsum pulchrum vel propter voluptatem, vel vtilitatem, vel vtrunque puta existimari, turpe verò contrà. Hinc argumentatur: si facere iniuriam turpius est quàm pati, non ex eo quidem quod sit molestius, ex eo igitur quod sit damnosius si ita, ergo deterius iudicatur. Mox adiungit oportere seipsam rationi tanquam medico curandum committere. Affirmat quoque iustam peccatorum punitionem, ei qui punitur, prodesse plurimum. Hæc enim si iusta est,

ergo pulchra atque honesta. Si ita, ergo bona: si bona confert animo, videlicet tanquam medicina corpori, multóque magis, à morbis enim animi liberat, qui grauissimus est morborum omnium atque malorum. Inter hæc animaduerte theologorum sententiam nihil magis necessarium esse vtilius q; peccatorib. quã confiteri peccata, affici pœnitentia, pœnas à iudice petere, aquo animo ferre vt purgetur animus, antequam insanabilis morbus eius euadat. Post hæc audies facillimum esse nobis affectum illi nostrum significare qui simili laboret affectu. Item Socratem philosophiæ amore captum illi semper obtemperare. Præterea eligendum potius esse vt cætera nobis dissonent omnia, quàm vt animus intra se dissonet. Proinde vbi Callicles Socratem corrigit quasi argutiarũ nimium studiosum, intelliges sub persona Socratis Sophistas à Platone redargui. Tangit postea Callicles Thrasymachi multorumq; prophanã opinionẽ, dicentiũ mores & leges nõ naturæ ordine, sed sola hominum vel opinione vel fictione consistere. Quòd in libris De republica & in sequentibus confutatur. Quod verò afferre videtur Callicles contra philosophos, intellige non contra legitimos philosophos esse dicta, sed partim aduersus ignauissimos sophistarũ, partim aduersus eos qui philosophiæ studio abutuntur: dum vel ita solam logicam sectantur, vt partes speculationis aliàs deserãt: vel ita solam speculationẽ capessunt, vt philosophica morũ præcepta institutaq; ciuilia negligant. Nõnulla verò in ipsa Calliclis inuectiua falsa dicuntur, quæ in sequentib. refellentur. Post hæc autem præcipitur omnem in animæ nostræ examine atque probatione esse diligentiã adhibendam, atque ad id tanquam iudicem vnum eligendũ esse, in quo sapientia, sit rei ipsius qua de agitur, & beneuolentia qua libentius consulat, & audacia insuper, per quam quod profuturum putet, non vereatur ex-

exprimere. Deinde nos admonet Socrates, cũ rationales natura simus, ne irrationali casu & fortuna viuamus, sed certum vitæ finem diligentissimè præscribamus, ut ásque ad ipsum eligamus cõmodiores. Denique dum sæpius obsecrat Callicle, ut ipsum liberè audacterq; redarguat, admonet nos nihil inquirere impensius oportere quã animi medicinã. His actis Callicles concedit idem esse natura potentius validiusq; & melius, atque naturalẽ iustitiã velle, eũ qui potentior est, habere quæcunque inferiorum sunt, eísque dominari, legémque illius naturaliter esse iustã. Ad hæc Socrates ita infert. Si idem est potẽtius, validius, melius, atque multitudo validior est quàm vnus, ergo & potentior atque melior. Multitudini ergo leges cũ potentioris meliorísque sint, iustæ naturaliter erunt. At huius leges statuunt esse iustũ seruari inter omnes æqualitatem, atque esse turpius iniuriã inferre quã pati. Quamobrem non solũ lege turpius est facere iniuriã quã pati, atque iustũ est æquitatẽ seruare, ut in superiorib. dixerat Callicles, sed etiã ipsa natura. Præterea quia Callicles in superioribus potentiores illos esse putauerat: qui astutia, audacia, violentia, cæteros anteirent: Socrates paulatim hunc emendat, cogítque fateri potentiorẽ esse, qui prudentior fortiórque sit ad rempublicã gubernandã. Significat quoq; inter hæc se eadem semper eisdẽ de reb. adducere, probans videlicet constantiã, improbãs leuitatem. Iam verò Calliclem conatur vltra prudentiã fortitudinemq; ad tẽperãtiã quoq; perducere. At hic quemadmodũ suprà Thrasymachũ imitatus circa iustitiã potentiámq; errauerat ita nũc sequutus Aristippũ circa tẽperantiã similiter errat, eam appellans studiũ ingenij seruilis ignauiam, atq; in fouendis explendísque sensuum libidinibus virtutem asserens felicitatémque consistere. Socrates autem mox ad demonstrandum sese accingit, tempe-

rantiam non opinione humana, sed ordine naturæ constare. Profectò naturalis ordo requirit, vt inferiores animæ partes superioribus pareant, totúsque animus consonans vndique sit & sanus & pulcher, neque agat frustrà, sed finem propositū consequatur, qualis est habitus vtráque temperati. Contrà verò in homine intemperato ratio regina hominis seruili seruit concupiscentiæ, sonat quoque & languet, opúsque inexplebile molitur, incomparabilique molestia volantem sequitur voluptatem. Id totum Socrates Pythagoreorum præsertim Philolai & Empedocli sententiis explicat, duplici præcipuè via, scilicet per fabulam & exemplum: in quibus ipse considera, animam in hoc corpore omnem quidem esse mortuam, intemperantem præterea inferis deputari, irrito assiduóque labore miserabiliter agitatam, dum quodam perforato vase, id est depravato fallacique iudicio continuò machinatur perforatum quoque vas alterum, id est concupiscentiam inexplebilem fluentibus oblectamentis implere. Post hæc quia Callicles non solùm virtutem, sed etiam felicitatem in assidua libidinum expletione constituit, affirmátque idem esse voluptatem atque ipsum bonum, dolorem quoque idem atque malum, idcirco Socrates id pluribus rationibus confutat. Prima, constat voluptatem non esse ipsum bonum cùm sæpe & turpissima sit, & turpissimis hominibus adsit. Secunda, bonum & malum vtpote contraria in eodem simul esse non possunt. At voluptas & dolor in eodem sunt simul, quando videlicet quis sitiens bibit. tunc enim sitiendi molestia cum bibendi voluptate concurrit. Tertia, bonum & malum sicuti cætera contraria solent, non simul abeunt ab eodem. Voluptas autem dolórque tunc ab eodem simul abeunt, quando quis eodem in tempore dum bibit cessat simul & sitire pariter & delectari bibendo. Quarta vnus-

quis-

quisq; præsentia quidē boni fit bonus, mali verò præsentia fit malus. At neque præsente voluptate boni fiunt homines dissoluti, neq; dolore probi homines mali fiunt. Quinimò cùm sæpè æque gaudeant, aut doleant boni atq; mali, & aliquando mali magu gaudeant, & boni magu doleant: certè si voluptas quidē bonū esset, dolor verò malū, sequeretur vt frequentertā boni quā mali pariter boni forent aut malitiæ nōnunquā boni magu mali, quā ipsi mali, atq; è cōuerso. Inter hæc animaduerte præceptū Socratu obseruādū, scilicet non esse ad grauissima festinandū, nisi leuiora prius fueris consequutus. Afferuntur deinde nōnulla, ex quib. cōfirmare quis possit, voluptatē non esse ipsum per se bonū, propterea quòd multæ reperiātur voluptates malæ, noxiæ videlicet & animo simul & corpori, nósque à rebus optimis diuertentes, quòd si voluptas ipsum per se bonum esset, nulla esset mala voluptas. proinde distinguūtur iterum facultates, & quæ velut artes ad bonū vtilēq; certa ratione procedunt, & quæ tanquā adulationes nulla veri boni adhibita ratione voluptatē solā aucupantur: quarū in numero poesim & musicā, cōmunemq; oratoriā collocat. Tu verò inter differendū hanc noua sententiā, Virtutem corporis sanitatémque in ordine quodā & ornatu cōsistere, similitérq; in ordine ornatúq; suo animi virtutē atque sanitatē. Ex quo fit, quēadmodū virtus corporis vitiúmq; non in opinione, sed in re ipsa vel naturæ consentanea vel opposita reperiatur: sic virtus vitiúmque animi non ad humanā opinionem, sed ad naturæ legem diiudicetur. Conclude tandē, quantum naturaliter præstat corpus habere sanum quàm ægrotum, tantum præstare similiter temperatum quàm intemperatum animū possidere. Præterea confirmatur in sequentib. sententia Pythagoricas omnibus in reb. esse optimā tēperantiā. Quæ quidē prima omniū adolescentib. est tradenda, per quā

præcedent pueritiæ intemperantia corrigatur, totúsque animus tẽperetur, quam mox sequi cæteras virtutes existimat. Siquidem temperatus erga Deum atque homines agit decentia, pius est iustúsque & fortis. Deinde concluditur in sola virtute felicitatem, in sola improbitate esse miseriam, omniáque humana ad virtutẽ velut ad signũ certissimè referenda. Præterea sicut ad beatitudinẽ necessaria virtus est, sic & vitiorũ castigationẽ punitionẽq; necessariã esse quasi morborũ animi medicinã. Denique intẽperatũ neque hominibus, neque deo, neque sibimet amicũ esse posse. Vt autem naturalem temperantiæ excellẽtiam nobis ostendat, ex Pythagoreorum Orphicorúmque mente subiungit, vniuersum temperantia atque etiam concordia & iustitia, quæ continentur in ipsa temperantia, contineri: ideóque quod & Pythagoræ inquit, intemperantiam in omnibus tanquã pernicioſissimam esse totis viribus fugiendam. Quoniam verò ad hanc simul atque iustitiam æqualitas præcipuè pertinet, æqualitatem in primis præcipit obseruari, quam asserit in diis & hominibus valere quam plurimũ. Æqualitatem, inquam geometricam, per quam vnicuique æqualis ita sit distributio, vt pro capacitate meritísque cuiusque æqualiter distribuatur æqualiter inquam, id est, neque magis neque minus quàm vel capacitas vel meritũ exigere iudicetur. Æqualitas quidem geometrica in quadam cõgrua portione consistit. Arithmetica verò in numero vtrinque pari. Neque verò eadẽ est hæc & illa. Sanè excessus sex ad quatuor, itémq; excessus quatuor ad duos apud arithmeticum numeros consideratem, est æqualis per duo. n. vterque perficitur. Verùm apud geometrum portionis iudicẽ est inæqualis. Nã senarius numerus quaternariũ proportione sesquialtera superat, in qua maior numerus minorẽ & semel continet totum, & insuper eius dimidium. Quaternarius

rium verò binarium proportione superat dupla. Eiusmodi verò æqualitate quæ non numerantu mere tãtum ponderu uni tribuit quantum alteri, sed metiẽtis ritu, neque magis neque minus quàm cuique congruat tribuit unicuique, ait cuncta seruari, in hac etenim & iustitia dei in operib. suis, & hominu ad homines cõtinetur. Vtrobique n. pro mẽsura capacitatis & meriti cuique distribuitur. Hu dictu asserit theologica fundamenta morum firmissmus esse rationib confirmata Præcipuè peccu esse iniuriam facere quàm pati, omnium verò pessimum, cùm iniuriã feceris, non dare pœnas, quib. quasi medicamentis ab omniũ maximo iniustitiæ morbo animus liberetur. Nullum n. detrimentũ maius cogitari posse quàm quod animo infertur à vitio, adeò vt quemadmodum homini cum omnino ægroto corpore non expetit viuere, sic neque animo viciu agro. Itẽ nõ multi faciendam esse vitam in corpore, sed virtutem: perũsque esse seipsum flagitiosis hominibus ob morum similitudinem præstare persimilẽ, quàm ab illis interfici. Inter hæc monet ne res vllas quarum ignari simus, tractandas aggrediamur, præsertim grauiores, maximè publicas. Omnino verò oratoriã parui facit, si nullã possit vel priuatim vel publicè salutẽ afferre animo, sed corpori dũtaxat rebũsq; ad ipsũ pertinẽtib. cõsulat. Deridet & eos, qui cùm diu Reipubl. tenuerint gubernacula, semper quidẽ ciuitatẽ externis bonis auxerint, animos verò ciuũ temperantia & iustitia formare neglexerint: quod quidẽ solum sit legitimi gubernatoru officium. Concludit que nõ modò nõ prodesse, sed obesse plurimum ciuitati gubernatores, qui fortunæ potius quàm animi bona prospiciant. Præterea potentiam omnem sapientiámque viri in eo consistere, vt animã à peccatis erga Deum & homines conseruet integram: nam huius quidem vitæ iacturam leuissimam esse, æternæ verò salutis esse grauissimam.

Hu autem animaduerte diuinam legẽ delebiles vitiorum maculas certis temporibus puniendo diuere, indelebiles verò pœnis sempiternis affligere. Quod quidem transmigrationem animarũ per corpora sempiternam improbare videtur. Quod autẽ dicit quõdã errauisse iudices in viuentibus iudicandis, quo nobis significat. Primùm quidem non diuinum, sed humanum circa virtutes & vitia iudicium decipi. Secundum verò diuinã prouidentiã in seipso præuidisse iudicia fore falsa, si à viuentibus in hac corpore viui iudicarentur. Ideóque non ex quodã tempore, vt verba sonant, sed ab æterno, iudiciũ post hanc vitam fieri statuisse. Interea memento animam vitiorum virtutũque affectiones & habitus secum ferre. Denique Socratem hæc penitus affirmare, nihilque aliud expauescere, nisi eiusmodi animæ detrimentum, iudicisque diuini conspectum. Propterea concludit in nullo certamine nobis acriùs quàm in hoc contendendũ, vt pur ßimã iudici cũctis inspicieti animã offerre possimus: cæteráq; omnia quæ homines admirãtur, esse penitus contemnenda, soláq; ex omnib. honorandas ue ad salutem animæ conferant sempiternã.

CALLICLES, SOCRATES, CHAEREPHON, GORGIAS, POLVS.

SIc ad bellum & pugnã cùm itur, ô Socrates, ferunt esse cunctandũ. so. * Nũquid post festum, vt dici solet, venimus, seróq; adsumus? CAL. Equidem post festum mirè iucundum: multa enim & præclara paulò antè Gorgias nobis exposuit. so. Tarditatis huius causa hic Chærephon, ô Callicles, fuit, qui trahere nos moram in foro coegit. CH. Nihil id quidem incommodi, ô Socrates, fuerit, re-

* Prouerb. Post festum venimus tardius.

medium enim adhibeo, cùm mihi amicus sit Gorgias, qui siue nunc, siue aliàs mauis nobis eadē demonstrabit. CAL. Quid ô Chærephon? num Socrates audire Gorgiam cupit. CH. Ob id ipsum certè aderamus. CAL. Quando igitur cunque vobis ad me libuerit ingredi, licebit: apud me enim diuertit Gorgias, qui aperiet quod cupitis & explicabit. SOC. Bene loqueris Callicles. Sed num vellet in præsentia nobiscum disserere? Cupio enim ab ipso percontari, quænam artis suæ vis sit & potentia, quidve ipse profiteatur ac doceat. Cæterarū verò rerū quēadmodum dicis exquisitionem nobis aliàs afferat. CAL. Nihil vetat eum interrogare, ô Socrates. nam id quoque in [artis suæ professione quam edidit] continebatur. Iussit ergo paulò antè omnes qui intus aderant, vt quam quisque vellet quæstionem induceret, se singulis responsurum promittens. SOC. Rem certè præclaram narras. Itaque Chærephon interroga ipsum. CHAE. Quidnam interrogem? SO. Quisnam ipse sit. CH. Quōnam pacto dicis? SOC. Velut si artifex calceorum foret, responderet certè se coriarium esse. an quod dico nondum etiam intelligis? CH. Intelligo sanè, & iam rogabo. Dic mihi, ô Gorgia, num verè dicit Callicles te profiteri responsurum ad omnia, de quibus quilibet sciscitetur? GOR. Verè ait, ô Chærephon. Nempe & hoc vnum ex his est quæ profiteor, atque adeo nihil noui à me quemquam multis annis percontatū esse dico. CH. Haud igitur difficulter respondes Gorgia. GORG. Licet huius rei Chærephon periculum facere. POL. Licet per Iouem, sed commodius in me, si velis, ô Chærephon, nam

a *Ad quācunque interrogationem se responsurū professus est Gorgias.*

Gorgias quidem iam in dicendo defessus mihi videtur, vt qui multa paulò ante dissuasit. CH. Quid tu Pole? Num præclarius te quàm Gorgiam responsurum arbitraris? POL. Quid interest, dummodò satis tibi fiat? CHAER. Nihil quoniam vis, responde. PO. Interroga. CH. Iam interrogo: si Gorgias eius artis peritus esset, quam frater eius [a] Herodicus callet, quo ipsum nomine rectissimè nuncuparemus? Nónne eodem quo illum? POL. Protsus. CH. Medicum ergo vocantes rectè vocaremus? PO. Ita. CH. Si autem eam artem quam Aristophon filius Aglaophontis aut frater eius haberet perceptam, quem rectè ipsum appellaremus? POL. Certè pictorem. CH. Nunc autem cùm artis alicuius peritus sit Gorgias, quem ipsum recte vocabimus? PO. O Chærephon, multæ quidem artes sunt hominibus experientia peritè adinuentæ. [b] Experiētia enim efficit, vt vita nostra per artem incedat; imperitia verò, vt per fortunam temerè circumuagetur. Illarum artium alii alias & aliter atque aliter consequuntur, optimas verò optimi, quorum ex numero hic est Gorgias, arte pulcherrima præditus. SO. Præclarè quidem, ô Gorgia, videtur Polus ad dicendum instructus. Veruntamen quod promisit Chærephonti, non præstat. GO. Quidnam potissimum, ô Socrates? SO. Ad interrogationem quidem non satis respondisse mihi videtur. GOR. At tu rursus, si voles ipsum rogato. SOC. Quòd si tu Gorgia respondere mihi non dedigneris, à te ipso libentius quàm à Polo quærerem. Mihi enim patet Polum per ea quæ modò respondit, rhetoricæ quam vocant, magis quàm differendi arti operam dedis-

[a] *Herodicus medicus frater Gorgiæ.*

[b] *Experiētia artes peperit.*

dediſſe. PO. Quid ita, ô Socrates? SOC. Quia cùm interrogaſſet Chærephon cuius artis peritus eſſet Gorgias, laudaſti tu quidem, ô Pole, eius artem, quaſi quis eam vituperaſſet: quæ verò illa ſit, non expoſuiſti. POL. Nónne pulcherrimam eſſe reſpondiſti? SOC. Prorſus quidem, ſed nemo qualis ea eſſet quærebat: ſed quænam, & quem oporteret Gorgiam vocari: quemadmodum prius Chærephon tibi propoſuerat, ac pulchrè breuitérque illi tu reſpondebas. Nunc ergo eadem ratione dicas, quænam ars, & quem Gorgiam ſimus appellaturi. Imò verò tu Gorgia nobis reſponde quem nominari te deceat, & cuius artis peritum. GOR. Rhetoricæ, ô Socrates. SOC. [a] Rhetorem ergo te appellare debemus? GO. Et bonum quidem, ſi me, quod iacto eſſe, vt ait Homerus, nominare velis. SOCR. Volo equidem. GO. Nomina ergo. SOC. An dicemus alios quoque te facere poſſe? GOR. Hæc equidem non apud vos ſolùm, verumetiam apud alios profiteor. SO. Sed nunquid velles Gorgia quemadmodum incepimus diſputationem peragere: partim quidem interrogando, partim etiam reſpondendo, prolixitatem illam verborum, qua vti cœperat Polus, in aliud tẽpus reſeruans? Verũ quod mihi promiſeris obſeruato, atque ad interrogata quàm breuiſſimè reſpondeto. GO. Sunt quidẽ, ô Socrates reſpõſiones quædã longioribus verbis neceſſariò exequẽdę, operã tamẽ dabo vt quãbreuiſſimè tibi reſpõdeatur. Hoc ipſum nanq; ex his eſt quę profiteor, neminẽ cõpendioſius merem eandem explicare poſſe. SOC. Hac mihi Gorgia opus eſt breuitate: ciúſq; mihi vt ſpecimẽ præbeas oro: copiam verò aliud in tẽpus

[a] *Rhetorem ſe profitetur Gorgias.*

differto. GOR. Faciam equidem vt neminem dicas vnquam te audiuisse me breuiorem.

SOC. Age iâ, rhetoricæ artis te habere scientiam dicis aliósque posse rhetores facere: ipsa verò rhetorica circa aliquid versatur, veluti textoria circa vestium confectionem. Nónne? GOR. Sic. SOCR. Nónne & musica circa melodiæ perfectionem? GOR. Sic. SOCR. Per Iouem, ô Gorgia, responsiones hæ tuæ mirificè me oblectant, quando eas quàm pauciſſimis verbis absoluis. GOR. Spero me tibi in hoc voto satisfacturum tuo. SOC. Rectè ais. Sed & de rhetorica similiter respondeas quorúmnam scientia sit. GOR. Sermonum. SO. Qualium, ô Gorgia, sermonum? Num eorum qui ostendunt qua victus ratione ægrotantes conualescere possint? GOR. Non. SOC. Non igitur circa sermones omnes versatur rhetorica. GOR. Nequaquam. SOCR. Veruntamen circa eos qui dicendi facultatem præstant. GOR. Sic. SOCRAT. Nunquid rhetorica in quibus dicendi, in eisdem & intelligendi vim præbet? GOR. Quídni? SOC. Nónne medicina de qua modò dicebamus, efficit vt ægrotantium curationem & intelligere, & disserere etiam de ea queamus? GOR. Necesse est. SOC. Et medicina igitur, vt apparet, circa sermones versatur. GOR. Sic est. SO. Eos videlicet qui ad morbos pertinent. GOR. Maximè. SOC. Nónne & gymnastica circa sermones est de bona malâve corporũ habitudine? GOR. Certò. SO. Atqui & aliæ artes, ô Gorgia, eadẽ ratione se habent. Quælibet enim earum versatur circa sermones eos, qui ea de re habentur in qua ipsa occupati solet. GOR. Apparet. SOCRA. Cur ergo artes alias non appellas rhetoricas, cum circa sermones

a De obiecto Rhetoricæ interrogatur Gorgias.

sermones sint? siquidem hanc ipsam quæ sit circa sermones rhetorica cõstituis. GOR. Quia cæterarum quidem artium scientia omnis, ô Socrates, circa manuaria opera actionésque huiusmodi, vt ita dixerim, versatur. Rhetoricæ verò nullũ est opus eiusmodi, sed omnis actio eius atque potestas in dicendo consistit. [a] Vnde rhetoricam esse artem circa sermones censeo, idque rectè dicere me affirmo. SO. Intelligo quam velis eam dicere, fortè verò clarius comprehendam. Sed respondes: sunt nobis artes, an non? GOR. Sunt. SOCR. [b] Ex omnium numero artium alias esse arbitror, quæ in opere plurimùm versantur, verbis autem parum admodũ indigent: alias verò quæ nullis, sed etiam per silentium perfici possunt: quemadmodum ars pingendi, & statuaria. & aliæ multæ. Ex talium numero negare videris esse rhetoricam. GOR. Rectè admodum, Socrates, accipis. SOCR. Aliæ præterea artes sunt quæ verbis totum peragunt: opere verò aut nullo, vt ita dicam, aut certè perexiguo opus habent. Qualis est arithmetica, computatoria, geometria, & tesseratũ talorúmque ludus, & aliæ multæ artes quarum quædam verba actionibus fermè adæquant: plurimæ iis etiam superant, atque omnino omnis earum actio ac vis in eiusmodi verbis consistit. Talem aliquam videris mihi rhetoricam dicere. GOR. Vera dicis. SO. Attamen harum nullam arbitror te rhetoricam appellare, quamuis verbo dixeris, artem in dicendo vim habentem esse rhetoricam. Nam siquis cauillari vellet, sic argumentationem susciperet, Ergo arithmeticam rhetoricam nuncupas? Non opinor tamen te vel arithmeticã vel geometriam, rhetoricam dicere.

[a] *Rhetorica peculariquæ dã ratione dicitur esse ars circa orationem.*

[b] *Diuisio artium, ad inueniendum genus Rhetoricæ.*

GOR. Verè putas Socrates, & rectè quæ dico capis. SOCRA. Age, nunc & tu responsionem quam petebam perfice: [a] cùm rhetorica sit ex earum numero artium, quæ vt plurimum verbis vtuntur, sint verò & aliæ tales, conare nobis exprimere, quænam ars & circa quid in dicendo vim præcipuam habeat rhetorica. Veluti si quis in artibus quas suprà commemorabam, me interroget, quænam illarum diceretur arithmetica: responderem vtique veluti tu modò aiebas, eam esse earum ex artium numero, quarum in verbis & facultas est. Ac si rursus percontaretur, circa quid versatur, dicerē circa paris imparisque cognitionē, quòd vtraque sint. Quinetiam si requirat iterum, computatoriā verò artem quam appellem, respondebo hanc quoque inter eas artes connumerari, quarum facultas omnis in verbis posita est. Rursus si roget circa quid versetur, respondebo quemadmodum hi qui sibi à populo si cauent: videlicet computatoriam per cætera quidem ab arithmetica nihil differre. Nēpe circa idem vtraque par scilicet atque impar versatur: [b] sed in hoc dissimiles, quoniā computatoria considerat par & impar, quam & ad se & inuicem quantitatis conficiant summam. Præterea si quis me dicente astronomiā in earum artiū genere collocari quarum facultas omnis in verbis cernitur, rursus percontaretur circa quid potissimū tendant astronomię verba: subiicerem circa astrorū motū solisque & lunæ, qua inuicē ratione illorū se habeant cursus. GOR. Rectè profectò, ô Socrates responderes. SOC. Age iam & tu, ô Gorgia. Profectò rhetorica ex illis est artibus quæ verbo tractāt omnia & perficiunt. Nónne. GOR. Profectò.

SOC.

[a] *Cum genus Rhetoricæ proximum dederit Gorgias, petit eius differentiā Socrates.*

[b] λογιστικὴ *i. computandi ars quomodo ab Arithmetica differat.*

SOC. Dic ergo quid ex omnibus id sit potissimũ de quo hi sermones habentur, quibus vtitur rhetorica? GOR. Maxima & optima rerum humanarum negotia. SO. [a] Atqui & hoc quoque ambiguũ est Gorgia, nec vllo modo clarum. Arbitror equidem te * cantilenam illam quæ in conuiuiis canitur audiuisse, in qua cantores ita connumerant: Optimam rem esse omnium prosperam esse valetudinem. Secundò egregiam formam, Tertiò diuitias, vt ipsius poetæ verbis vtar, nullafraude quæsitas. GOR. Audiui sanè, sed quorsum hæc? SOC. Quoniam subitò tibi rerum quç in ea cantilena laudantur artifices occurrerent, medicus videlicet, & pædotriba, & nummator: primúsque statim diceret medicus, Decipit te Gorgias, ô Socrates. Non enim ars eius ad maximum hominum bonum spectat, sed mea. Vbi si ego ab eo quisnam sit ipse perquiram, diceret fortè esse se medicũ. Quid ais ergo? An tuæ artis opus maximum est bonum? Quidni? responderet: cùm opus eiusmodi sanitas sit & nihil verè sanitate sit præstantius. Post hæc forsitan pædotriba [(dicat) valde miror ô Socrates, si Gorgias possit tibi ostendere maius esse bonũ in sua arte quàm ego in mea,] quem si ego rogarem: & tu quis es? quod tuũ est opus? Pædotriba sum, diceret: est autem meæ professionis corpora hominũ formosa robustáque reddere. Deinde verò nũmator siue negotiator cæteros, vt puto, contemnens, sic obiiciat, Animaduerte Socrates, an diuitiis excellẽtius vllũ esse bonũ existimes, vel apud Gorgiã, vel apud alium quẽlibet. cum ego in hunc modũ rogarẽ, Túne ergo tanti boni es autor? Esse verò se affirmaret: Quisnã es ergo? nũmator sum. quid

[a] *Refutatur Gorgias cò quòd dixerit Rhetoricam versari circa maxima & optima rerũ humanarum negotia.*

* σκολιὸν.

verò? putásne summũ hominibus bonum esse diuitias? Quídni putem? inquiet. Ego verò ita subiiciam, Hic tamen Gorgias contendit artẽ suam maioris boni causam esse quàm tuã. Constat itaque eũ post hæc interrogaturũ, Quídnam istud est bonum? demonstret ipsum Gorgias. Quamobrem age mi Gorgias, finge te & ab illis, & à me sic esse interrogatum, atque responde, quídnam est istud quod ipse maximum hominibus bonum esse censes, téque autorem eius esse profiteris? [a] GOR. Quod est, ô Socrates, maximum reuera bonũ, & causa vt tum libertatẽ homines retineant totũ vnusquisque imperium & potestatem in sua ciuitate in suos habeat. SOC. Quid ergo istud esse dicis? GOR. Posse verbis persuadere, & in iudicio iudicibus, & in Senatu senatoribus, & in concione auditoribus, atque in alia qualibet congregatione ciuili. Iã verò ob huiusmodi facultatem seruiet tibi medicus, seruiet pædotriba: quinetiam ipse nũmator, non sibi, sed alteri, id est tibi dicendi & cœtus persuadendi arte prædito diuitias suas cumulauisse cõperietur. SOC. Nunc mihi videris quàm artẽ iudicas esse rhetoricã proximè ostendisse. Ac si rectè te capio, [b] artẽ persuasionis effectricẽ ais esse rhetoricã, eiúsque omnem diligentiam & summã in hoc finiri? An quicquã amplius habes, quod de artis istius facultate referre possis, quàm vt persuasionem audientiã animis afferat? GOR. Nihil aliud habeo Socrates, sed abundè mihi definiisse videris. Hæc enim eius est summa. SOCRAT. Audi, ô Gorgia: certum habeto si quis alius cum alio disputans, velit id ipsum nosse de quo disseritur, me quoque vt mihimet persuadeo, esse talem ludico autẽ meritò

[a] Vis & efficacia Rhetorices declaratur: & quodnã sit maximum eius opus.

[b] Rhetorica ars persuasionis effectrix.

te quoque ita affectum. GOR. Quorsum hæc? SOC. Dicam nunc: haud equidem satis apertè cognosco quænam sit, quibúsve de rebus illa quam dicis à rhetorica proficisci persuasio. Et quamuis suspicer quâ & de quibus ipse dicere constitueris, nihilominus abs te requirã quã dicas persuasionẽ, & quibus de rebus à rhetorica fieri: sed & causam huius rei quæ sit, quãuis iam ipse suspicer, nihilominus tamen à te petam, potius quã ipse exprimã: profectò non tui causa, sed sermonis ipsius, quò ita procedat, vt maximè nobis id de quo agitur, explicet. Attende itaque nũ iustè rursus interrogare te videat. veluti si percontatus essem, quísnam pictorũ sit Zeuxis: túque respondisses animalia pingens: nónne iustè peterẽ, qualia potissimũ animalia, & quo pacto pingat? GOR. Iustè admodũ. SO. Nũ propterea quia & alij sunt pictores, alia similiter animalia multa pingentes? GOR. Ob hoc ipsum. SO. Quòd si alius nullus præter Zeuxim pingeret, rectè vndique respondisses. GOR. Quidni? SO. Age, iam & rhetorica dicas vtrum sola hæc videatur persuadere, an aliæ quoq; artes. Eiusmodi verò quidpiam dico: quisquis aliquid docet vtrũ quod docet idem etiam persuadeat nécne? GOR. Persuadet, ac maximè omnium, ô Socrates. SOC. rursus autem in eisdem artibus quas paulò antè cõmemorabamus, ita consideremus. Arithmetica nónne quæcunque ad numerũ pertinent, docet arithmeticúsq; similiter? GOR. Proculdubio. SO. Nónne & persuadet? GOR. Certè. SOCR. Ergo & arithmetica persuasionem efficit. GOR. Apparet. SOC. Proinde siquis interrogauerit quam persuasionem, & circa quid efficiat, respondebimus, eius quæ docet circa

par & impar, quænam vtraque sint. Poterimus similiter cæteras quoque artes quas modò referebamus, ostendere persuasionis effectrices esse, & cuius, & circa quid maximè, nónne? GOR. Ita. SOC. Quamobrem non sola rhetorica persuasionis est artifex. GOR. Vera narras. SOC. Cùm ergo non sola id faciat, sed & artes aliæ, haud iniuria, quod de pictore, deinceps de rhetorica quoque percontaremur, qualis persuasionis, & circa quid effectrix sit rhetorica, nónne iusta tibi videtur interrogatio? GOR. Mihi quidem. SO. Responde igitur, ô Gorgia, quandoquidem tibi videtur. GOR. [a] Huius equidem persuasionis, ô Socrates, magistram dico rhetoricam, quæ in iudiciis cæterisque aliis vt paulò antè dicebam, atque de iustis & iniustis, adducitur. SOC. Atqui & ipse persuasionem hanc te dicere suspicabar, & de his, ô Gorgia, sed ne admireris, si deinceps tale aliquid te rursus interrogauerim, quod quàuis videatur esse perspicuum, tamen abs te petam. nam vt dixi, non tui causa id requiro, sed vt disputatio suo quodam ordine peragatur: ne assuescamus suspicando ea inuicem quæ forent discutienda præripere, sed tu arbitratu tuo disputationem tuam, prout positū est, absoluas. GOR. Et rectè quidem facere mihi videris. SOC. Age verò & hoc consideremus. num vocas aliquid discere? GOR. Voco. SOC. Quid rursus? aliquid credere? GOR. Et hoc. SOCRAT. [b] An igitur discere idem quod credere esse putas, idémque disciplinam atque credulitatem, an aliud? GOR. Aliud equidé esse arbitror. SOC. Rectè quidem putas. Hinc verò cognosces: si quis enim percontetur, estne * credulitas quædā falsa & quædā vera, vt arbitror, con-

[a] *Cuius persuasionis sit effectrix Rhetorica, declarat Gorgias.*

[b] *Aliud est discere aliud credere.*

* πίστις.

consentires. GOR. Certè. SO. Quid verò? scientia est vera & falsa? GOR. Nequaquam. SOCR. Constat igitur non esse idem. GOR. Constat. SOCRA. Veruntamen & illis qui didicerunt, & illis qui crediderũt, iã est persuasum. GOR. Sic est. SO. [a] Vísne ergo duas persuasionis species esse ponamus, quarũ altera quidẽ absque scientia præstat fidem, altera verò scientiam? GOR. Prorsus. SOC. Vtram verò persuasionem affert rhetorica in iudiciis, aliísque cœtibus de iustis iniustísve rebus? Num ex qua homines absq; scientia credant, an ex qua sciant? GOR. Perspicuum est ex qua audientes ad fidem adducantur. SOC. [b] Itaque, vt videtur, rhetorica persuasionis eius est artifex quę credulitatem potius quàm doctrinam circa iustũ vel iniustum præstat. GOR. Certè. SOC. Orator ergo non docet in iudiciis aliísque turbis iusta, & iniusta, sed fidem duntaxat inducit. Neque enim posset turbam tantam res tam grandes tam breui tempore edocere. GOR. Non certè.

[a] *Persuasio duplex, vna cum scientia altera sine scientia.*

[b] *Rhetorica persuadet sine doctrina.*

SOCR. Age, iam quid de rhetorica dicendum sit, videamus. Ego enim nondum satis quid dicturus sim intelligere possum. quando enim publicè de medicorum electione tractabitur, aut de nauium aliarúmve rerũm opificibus eligendis, tunc fortè consultare ad oratorem non pertinebit. Patet enim in huiusmodi electionibus peritissimum quenque eius artis eligendum esse, neque rursus quũ de constituendis muris, vel portuum dispositione, vel nauium apparatu consultabitur, oratoris officium erit consulere, sed architecti. Quinetiam neque cùm de eligendo imperatore, aut de exercitu aduersus hostes instruendo, aut de

occupandis locis deliberabitur : sed ad duces exercitus consultatio pertinebit, ad oratores verò nequaquã. Quid ad hæc dicis Gorgia? Nẽ pe cũ & rhetor esse profitearis, & alios posse rhetores facere præstat nimirum ea quæ tuæ artis sunt à teipso scisciari atque accipere. Et me quidem nunc rem tuam agere putato. Fortè enim inter eos qui intus sunt, adest aliquis qui discipulus tuus esse cupiat : quales ego quosdã & quidem frequentes sentio: quos hęc à te quærere fortè deterret pudor. A me ergo rogatus, ab illis quoque hũc in modum interrogari existimato. Quídnam reportabimus, si in tuam nos tradiderimus disciplinam? quibus de rebus Reip. consulere poterimus? nunquid de iusto solũ & iniusto? an pręterea de his quę modò Socrates adducebat? Da operam ergo Gorgia, vt his respondeas. GOR. Conabor equidem omnem tibi rhetoricæ facultatem planius explicare, ipse enim perbellè ad id nos deduxisti. [a] Scis vtique hæc naualia & mœnia Athenarum, portúsque dispositionẽ partim Themistoclis, partim Periclis, non opificũ consilio esse constructa. SOC. Feruntur hęc, ó Gorgia, de Themistocle. Periclem verò ipse audiui de muro medio construendo ciuitati persuadentem. GOR. Pręterea quoties de electionib. quas tu modò referebas, deliberatur, vides oratores ipsos consulere, eorúmque in his rebus pręferri sententias. SOC. Hæc equidẽ admirans iamdudum à te de rhetoricę potestate perquiro. Nam hæc cogitanti mihi diuina quædã potestatis eius magnitudo videtur. GOR. [b] O si cuncta eius artis perspecta essent tibi Socrates, cernas profectò hanc omnes, vt summatim dicã, sub se vires ac facultates complecti, cuius quidem,

[a] *Athenarũ naualia & mœnia partim Themistoclis, partim Periclis consilio constructa.*

[a] *De muro, qui meridiẽ spectat, Suidas.*

[b] *Rhetorica in omnes partes mira vis & efficacia à Gorgia demõstratur*

dem rei magnum tibi afferam argumentum. Sæpe iam cũ fratre meo aliisque medicis ad aliquem ægrotantium ingressus, cùm ille vel pharmacum nollet bibere, vel secandum vrendúmue se medico non permitteret, neq; persuaderi posset à medico, ego persuasi non alia quàm rhetoricæ facultate. Quò magis asserо, si quam vrbem rhetor accesserit atque medicus, certetúrque inter eos verbis in concione, vel in alio quouis cœtu, vter sit pro medico eligẽdus, rhetórne an medicus, fortè vt medicus quidem nusquam appareat: eligantur autem, si modò velit dicendi peritus. Eadémque ratione si aduersus alium quemuis artificem rhetor decertet, obtinebit vt ipse potius quàm alius quicunque tandem sit, eligatur. Nihil enim est de quo non maiori cum persuasione rhetor, quàm quisquam artificum vulgo loquatur. Potentia ergo artis huius tanta est atque talis, decet tamen ita rhetorica vti, quemadmodum & omni alia facultate certandi. [a] Neque enim is qui pugnis lacertísue & armis ita pugnare didicerit, vt amicis & inimicis superior possit euadere, ob hoc aduersus omnes æquè certare debet, vt amicos etiam percutiat, pugnat, occidat: nec etiam per Iouem si quis palæstra exercitatus pugil corporis robur acquirat, deinde parentes aut aliquem alium domesticorum & amicorum pulset, propterea pę dotribas, & eos qui armis pugnare docent, odio habere, & ex vrbibus pellere decet. Illi enim hæc tradiderunt, vt hæc qui didiscissent, iustè vterentur, contra hostes & eos qui inferrent iniuriam, auertentes videlicet, non inferentes. Nonnulli verò hæc peruertunt, ac robore artéque abutũtur: sed nõ propterea qui

[a] *Si quis ãbutatur facultate rhetorica vitiũ est non artis aut doctoris, sed abutentis.*

docuerunt improbi sunt iudicandi, neque ars culpanda malaque habenda, sed meo quidem iudicio qui sinistrè vtuntur: eadē quoq; de rhetorica ratio est. Potest enim aduersus omnes & qualibet de re orator dicere: adeò vt apud multitudinē facilè admodū de re qualibet persuadēdo fiat superior. Neq; tamē ob eā causam medicus sua laude priuare oportet, qui hoc præstare possūt, neq; alios præterea opifices: sed rectè & cū ratione vti Rhetorica, itē vt certādi facultate. At verò si quispiā adeptus rhetoricā, deinde iniustè parta facultate vtatur, non eum qui docuit, odisse atq; vrbe expellere decet: vt qui ad iustū vsum tradiderit, hic verò in partē contrariā sit vsus. Quapropter eū qui abutitur, odisse, in exilium mittere & interimere etiam par est: præceptorē verò nequaquā. SOC. Arbitror te Gorgia multis disputationibus interfuisse, idq; in eis iam compertū habere, eos videlicet qui inter se disputant, haud facilè [solere, cūm rem de qua discrepant definierint & determinarint, téq; inuicē docuerint & didicerint, alii ab aliis ita dirimere mutua colloquia] sed si de aliquo contendant, neque concedant alter alteri, vt vel verè vel perspicuè loquātur, excandescere & per inuidiā dictū putare, certā tes simul, nō aūt quod erat propositū perquirētes. Nōnunquā verò tandē adeò turpiter discedūt cū iurgiis mutuisq; maledictis, vt etiam pœniteat pigeátq; auscultātes, quòd eiusmodi homines audiēdos putauerint. Sed quorsū hęc dico? quoniā nō mihi videris satis nūc consentanea & cōsona dicere his quæ prius de rhetorica protuleras. Vereor tamē arguere, ne me arbitreris nō tā rei declarādæ, quā tui gratia decertare. Quòd si ex eorū numero es, e quorum

sum

sum ego, libenter abs te quæ instituí, perquirã. sin minus, dimittã. Verũ si quorũ ego ex numero sim quæras, respõdebo ex iis qui libẽter redargui patiũtur, si quid falsum ineptũue dicãt, libenter etiã redarguunt, si quid ab alio minus verè dicatur, quibúsq; nõ minus repræhendi quàm repræhendere gratũ est. Tantò.n. maius id esse bonũ existimo, quãtò maius bonum est maximo quodã liberari malo, quã alios liberasse. Nihil.n. tã pernicioſum hominib. arbitror, quã opinionẽ falsam, in his videlicet rebus de quib. præsens à nobis sermo est institutus. Itaque si & te esse talẽ affirmes, age disputemus: sin verò dimittendũ cẽses, dimittamus iã collo quiũq; soluamus. GO. Dico profectò, ô Socrates me quoq; eiusmodi esse qualẽ modò describebas: sed fortè aliorũ qui adsunt, ratio est habenda. Iãdudũ enim antequã vos accederetis, his multa enarraui. Et nunc fortè si disputare pergamus mora longior protrahetur. Quamobrem cauendum est ne hos, dum aliud facere quidpiam instituunt, detineamus. CH. Clamorem Gorgia & Socrates dissertationi huic interesse cupientium auditis. mihi certè nullum negotium tanti fit, vt disputationi huic à vobis institutæ quid aliud anteponam. CAL. Per Deos ô Chærephon, ego quoque cum multis disputationibus interfuerim, nescio an vnquam æquè ac nunc fuerim delectatus: ideóque etiam si diem totam disputando contrieritis, erit mihi pergratum. SOC. Atqui, ô Callicles, quantum ad me attinet, nihil, modò velit Gorgias, obstabit. GO. Turpe quidem, ô Socrates deinceps mihi fuerit, si disputationem detrectem: præsertim cum ab initio iusserim omnes de quo quisq; vellet interrogare.

Itaque si placet præsentibus, disputa, & quicquid libuerit percontare. SO. Audi iam ô Gorgia, quæ in tuis verbis admirer. Fortè enim cũ tu recte dicas, ego secus accipio. ais rhetoricũ posse te, si quis à te discere velit, efficere. GOR. Aio equidẽ. SOC. Non vt de omnibus in turba probabiliter dicere valeat docendo, sed suadẽdo. GOR. Ita prorsus. SOC. Addebas præterea rhetoricum de sanitate plus quàm medicum persuadere. GOR. Dixi profectò, sed in turba. SO. Idem est itaque in turba, quod inter ignorantes. Nunquam enim apud eos qui sciunt, magis quàm medicus de sanitate persuaderet. GOR. Vera narras. SO. Nónne ergo si plus quã medicus persuadendo valebit, scientia etiam præditum persuasione superabit? GOR. Omnino. SO. Ipse tamen non medicus. GOR. Non. SO. Ac si non medicus, ergo & insçius eorum quæ intelligit medicus. GO. Proculdubio. SO. Quare imperitus sciente apud nescientes facilius persuadebit, quando rhetor medicum in persuadendi facultate excellit. itáne sequitur? GOR. In his certè ita sequitur. SOC. Nónne in cæteris quoque artibus rhetor atque rhetorica se habet similiter: vt ad rhetoris facultatem nihil attineat cuiusmodi res sit nosse, sed artem quandam sic ad persuadendum excogitare, vt apud imperitos magis scite, quàm ipsi rerum singularum artifices appareat? GOR. Nónne magna est hæc facultas? eos videlicet qui alias nunquam artes attigerint, sed hanc solam, nihil tamen aliis cognitione esse inferiores. SO. Vtrũ orator ob hanc vnam facultatem cæteros excellat vel superetur ipse, paulò pòst inquiremus, si quid conducere disputationi videbitur. Nunc autem hoc prius considerabimus, an.

an in iusto & iniusto, honesto & turpi, bono & malo ita comparatus sit orator, quemadmodum in salubribus atque aliis quæ ad alias artes attinent cæteri: vt scilicet vtrum bonúmne an malum sit quippiam ignoret, pulchrúmque vel turpe aut iustum vel iniustum: persuasionem verò quandam ita de rebus huiusmodi machinetur, vt ignorans ipse inter imperitos scire magis quàm scientes videatur: an fortè necesse est hæc eum nosse, oportétque hac facultate iam parta ad te proficiscí qui sit futurus orator. Quòd si huiusmodi rerũ scientiam non afferat secum, tu quidem præceptor rhetoricæ talia non docebis: non enim tui id est officij hæc vt doceas: efficies autem vt vulgo rerum esse huiusmodi videatur peritus, cũ nesciat: appareátque bonus ac præstans cum sit minimè. An omnino rhetoricam docere nõ poteris, nisi prius horum veritatem fuerit consequutus? aut quo se modo hæc habẽt Gorgia? precor per Iouem vt quemadmodum paulò antè cœpisti rhetoricæ nobis tandem potestatem aperias. GOR. At enim si fortè quis ignoret, eum à me percepturum ea arbitror. SOC. Subsiste, rectè enim dicis, si quem tu rhetorem feceris, oportet eum iusta iniustáque scire, vel antequam ad te accedat, aut postea à te perdiscere. GOR. Omnino. SOC. Quid verò? qui ea quæ ad fabricam spectant didicerit, nõne faber est? GOR. Est. SOC. Et qui musicam, musicus? GOR. Ita. SOC. Et qui ea quæ ad medicinam pertinent, medicus? Atque in cæteris eodem pacto: quisquis didicerit aliquid, talis euadit, qualem cuiusque scientia reddit? GOR. Omnino. SOC. Nónne igitur per hanc rationẽ iustus erit quicunque iusta didicerit? GOR.

Maximè. SOC Iustus autem iusta facit. GOR. Ita est SOC. An non ergo necesse est rhetorē esse iustum? iustum verò velle iusta agere? GO. Apparet. SO. Nunquam ergo volet iustus iniuriam facere. GOR. Nunquam. SOCR. Rhetoricum quidem necesse est ex præcedenti ratione iustum esse. GOR. Necesse. SOC. Nunquam ergo volet Rhetoricus iniuriam facere. GOR. Nunquam. SOC. Reminiscere te paulò antè dixisse, nō oportere pædotribas criminati atque expellere, si quis pugil arte pugilatoria malè vtatur, inferátque iniuriam: atque eodem pacto, si quis orator iniustè vtatur rhetorica, nō illum qui docuerit esse accusandum & expellendum, sed iniusta agentem, neque rhetorica rectè vtentem. Dictáne hæc sunt, an non? GO. Dicta. SOC. Nunc autem ipse orator nunquam videtur facturus iniuriam. GOR. Nunquam. SOC. Atqui in superioribus dictum est, circa sermones versari rhetoricā, non de pari quidé & impari, sed de iusto atque iniusto. GOR. Certè. SOC. Ego igitur cùm tu hæc diceres, rhetoricam nunquam esse rem iustam existimaui, quæ semper de iustitia verba faceret. Postquam verò paulò pòst diceres, si oratorē iniustè rhetorica vti posse, statim admiratus, atque ratus non esse consentanea inter se quę abs te dicebantur, hunc protuli sermonem: vt si redargui vtile fore putares, veluti ego puto, operæpretiū foret vt disiereremus: sin minus, dimitteremus. Deinde verò re propius pensiculata, vt te non latet, in confesso fuit, fieri nō posse vt rhetor rhetorica vtatur iniustè, velitque iniuriam inferre. Ad hæc autem satis qua ratione se habeant discernenda, per canem Gorgia non exigua collocutione congressuq; opus

a Redarguitur Gorgias & sibi cōtra dicere cogitur. cū enim supra dixisset oratorem facultate rhetorica iniustè posse vti, nunc eò adductus est vt cōtrariū ponere cogatur.

opus fuerit. POL. [a] Etiámne autem ô Socrates, sic de rhetorica statuis, vt nunc ais an aliter? aut non putas Gorgiam pudore quodam adductum concessisse tibi rhetorem iusta, honesta, & bona etiam nosse, tum si quis earũ rerũ imperitus ad ipsum accedat eum se esse doctu rũ? Ex qua forsitan concessione deinde contrarium aliquid in disputando sequutum est. Hoc tu quidem nimium studiosè captas, ô Socrates, dum interrogando ad huiusmodi responsa perducis. Nam quem arbitraris negaturum fuisse tibi iusta se scire, aliósque esse doctum? Verum magna rusticitas est ad hęc interrogando deducere. SO. Ob hanc ipsam causam pulcherrimè mi Pole, amicos nobis & filios comparamus: vt si quando in senectute peccemus iuniores vos prę sentes vitã nostram & verbis & operibus corrigatis. Et nũc si quid me & Gorgiam in disputando fefellit ipse prę sens emenda. Sic enim debes, atque ego lubens tibi permitto, vt si quid earũ quæ cõcessa sunt non rectè concessa putes, id tuo arbitratu permutes, dummodo mihi id vnum deuites. POL. Quid hoc ô Socrates? SOC. Prolixitatem sermonis illam quá ab ipso disputationis initio incœptabas. POL. Quid ita? nõne mihi quantũ voluero loqui licebit? SOC. Graui nimium iniuria afficeris, ô vir optime, si profectus Athenas, vbi totius Græciæ maxima est loquendi libertas solus ipse hoc in loco potestatem loquendi pro arbitrio non haberes. At è diuerso, videlicet si te prolixè loquente, neque volente ad interrogata respondere, non liceret abire mihi téque audire nolle, nónne ego quoque graui iniuria afficerer? Verùm si qua tibi disputationis huius est cura, eámque cor-

[a] *Excusans Gorgiã Polus, eo quòd in redargui visus esset, ei succedit in disputatione quasi defessõ succẽturiaturus.*

rigere voles, quemadmodum modò dicebam, retractans & resumens quod tibi retractandũ videtur, rogánsque vicissim atque respondés, vt ego Gorgiásque fecimus, redargue me, ac te redargui patiare. An autem te quoque scire, quæ & Gorgias se scirè profitetur, affirmas? POL. Dico equidem. SOC. Et iubes vt de quo quisque velit, à te quærat, tanquam ab homine qui respondere sciat? POL. Certè. SOCR. Nunc ergo alterutrum tuo arbitratu facias, vel quære, vel responde. POL. Faciam equidem, atque mihi responde, ô Socrates: quando Gorgias circa rhetoricam tibi non videtur posse commodè dicere, tu ipsam quam esse dicis? SOC. Interrogásne quam artem esse putem? POL. Idipsum. SOC. [a] Nullam, ô Pole, vt vera tibi loquar. POL. Quid igitur tibi videtur esse rhetorica? SOC. Res quam tu dicis fecisse artẽ in eo libro quem nuper legi. POL. Quídnam dicis? SOC. Experientiam quandam. POL. Experientia ergo tibi videtur esse rhetorica? SO. Mihi quidem nisi tu aliud dixeris. POL. Cuius videtur rei experientia esse. SOC. Gratiam quandam voluptatémque pariendi. POL. Nõne igitur pulchrum quidem existimas esse rhetoricam, cùm apud homines comparare gratiam possit? SOC. Quid, ô Pole? audiuisti iam quid illam esse dicam, quid deinceps interrogas vtrum pulchram esse putem? POL. Nónne te audiui dicentem esse experientiam quandam? SO. Víne igitur, quandoquidem gratiam magni facis, paulùm quid mihi gratificari? POL. Volo. SOC. Interroga me nunc, quam artem esse coquinariam putem? POL. Ecce interrogo: quænam ars coquinaria est? SOCR. Nulla. POL. At quid? SOC. Experientiam quãdam

[a] *Socrates rhetoricam artẽ esse negat: & experientiã duntaxat esse vult.*

dam esse dico. POL. Quænam experientia est? SOC. Gratiam voluptatémque patiendi. POL. Idémne est coquinaria atque rhetorica? SOC. Nullo pacto, sed eiusdem studij particula. PO. Cuius studij? SOC. Vereor vt sit durius veritatē dicere Gorgiæ causa, nec fortè me suum vituperare studium arbitretur. Ego enim vtrum hæc rhetorica sit quam Gorgias exercet, nescio: nam ex hac disputatione nihil nobis patefactum est, quid tandem ipse putes. Sed quod ego appello rhetoricam, rei cuiusdam particula est nequaquam honestæ. GOR. Cuiúsnam Socrates? dic age, nihil mea causa veritus. SOC. Videtur mihi studium esse quoddam, non artificiosum quidem, sed sagacis animi aptíque natura atque potentis ad [communis vitæ consuetudinem & colloquia.] Appello autem summam capútque eius adulationem. Huius autem studij multa videntur mihi esse membra. Vnum quidem coquinaria, quæ quamuis esse ars videatur, meo tamen iudicio nulla est, sed experientia quædam vsu comperta. Eiusdem præterea particulam rhetoricā quoque esse dico [& fucatoriam, *quæ à magonibus exercetur*, & sophisticam.] Has vtique particulas quatuor, ad res quatuor pertinere. Si ergo Polus quærere vult, quærat. Nondum enim audiuit qualem adulationis particulam rhetoricam esse dicam nec animaduertit ad id me nondum respondisse. Itaque interrogat vtrum pulchram existimem, necne. Ego verò vtrum pulchrum aliquid vel turpe rhetoricā esse rear, non prius respondebo, quàm quid ipsa sit, aperuerim. Non enim aliter respondere decet Pole. Quòd si audire voles, percontare qualem adulationis particulam, rhetoricam

esse dicam. POL. Quæro iam abs te, qualis particula? SOC. An me respondente perdisces? Est, vt opinor, rhetorica particulæ ciuilis simulachrum. POL. Quid ergo? pulchrúmne, an turpe quiddam ais esse? SOC. Turpe: siquidem mala esse turpia dico, quando quidem tibi, tanquam eorum quæ iam dico non ignaro, me respondere oportet. GOR. Per Iouem non satis quæ dicis, intelligo. SOCR. Nec iniuria quidem Gorgia, nondum enim satis expressi. Polus autem iste iuuenis atque acer est. GOR. At hunc mitte, mihi verò respõde quo pacto dicas rhetoricam ciuilis particulę simulachrum esse. SO. Conabor exprimere quid mihi videatur esse rhetorica. Sin verò aliter se habeat negotium, Polus iste redarguat. a Corpus appellas aliquid atque animam? GOR. Quidni? SOC. Horum verò nónne putas aliquam vtriusque bonam habitudinem? GO. Puto equidem. SOC. Præterea habitudinem aliquam apparere bonam, cùm minimè sit? Dico autem nonnihil eiusmodi: multi corpus bene affectum habere videntur, quorum malam valetudinem habitudinémque haud facilè quisquam præter medicum gymnasiique magistrum deprehendat. GOR. Vera narras. SOC. Tale quiddam & in corpore & in anima esse dico, quod quidē facit vt & corpus & anima rectè valere videātur, cùm non bene se habent. GOR. Ita est. Age verò ñ potero clarius quod dixi, explicabo. Cùm res duæ sint, artes esse geminas arbitror: & artem quidē ad animam pertinentem, ciuilem nuncupo: eam verò quæ ad corpus, nomine vno nominare non possum: sed huius artis vnius quæ curat corpus, duas pono particulas: alteram quidem gymnasticam, alteram medi-

a *Quatuor sunt artes, quarũ duæ circa corporis nẽpe Medicina & Gymnastica, duæ circa animi curam versantur nẽpe legalis & Iudiciaria.*

medicinam. In ciuili verò nomotheticam, scilicet conditricem legum pono loco gymnasticæ: & iustitiam scilicet iudiciariam, medicinæ * altera parte respondentem. Communicant verò inuicem, vtpote quæ circa idem sunt, medicina atque gymnastica, rursúsque iudiciaria atque legalis. Veruntamen inter se etiam differunt. [a]Cùm verò hæ quatuor sint, sempérque quod optimum curent, hę quidem corpus, illæ animam: facultas adulatoria id sentiens, non cognoscens quidem, sed coniectans, se quadrifariam diuidit, singulásque subit particulas, simulans id se esse quod subiit, & optimi quidem nullam habet cutã, sed semper eo quod dulcissimum est, quasi hamo incautam illaqueat mentem. & vsqueadeò decipit, vt plurimi apud eam æstimandam videatur. Medicinam quidem coquinaria subiés, simulat optimos se cibos corpori adhibere. Quamobrem si vel inter pueros, vel viros æquè ac pueri stultos atque insipientes contendere oporteret coquum atque medicum, vter eorum de bonis malísue cibis plus intelligat, medicus quidem fame periret. Id ergo adulationem voco, ad turpe, ô Pole, quiddam existimo: Id enim aduersus te dico. Propterea quę absque vlla optimi ratione voluptatem aucupatur. [b] Neque artem eam esse dico, sed experientiam quandam: quoniam nullam eorum quæ affert qualia sint natura, habet rationem: quo fit vt nullius rei causam possit afferre: quare artem non appello, quæ careat ratione. de quibus tamen si ambigis, rationem tibi volo exponere. Itaque medicinam, vt dixi, coquinaria

* ἀντίστροφον

[a] *Quatuor supra dictarũ artiũ totidẽ sunt simulachra, quæ quidem non sunt artes, sed experiẽtia dũtaxat in quo genere est rhetorica.*

[b] *Ars & experientia quomodo differant.*

adulatio subit: Gymnasticam verò similiter fucatoria, rex noxia, fallax, ingeniosa, illiberalis, figuris coloribus, lineamētis, & tensu quodam ita decipiens, vt propter extrinsecum fucum, propriam veráinque formam quæ sit per gymnasticam, negligamus. Cæterùm ne sim prolixior, [a]more geometrico dicam. sic enim fortè iam assequeris. [b]Profectò quod fucatrix ad gymnasticam, id ad medicinam est coquinaria: imò verò sic. Quod fucatrix ad gymnasticā, hoc sophistica ad legalem: rursúsq; quod coquinaria ad medicinam, id rhetorica est ad iustitiam *vel iudiciariam*. Veruntamen, vt dicebam, ita natura distinguuntur: ac etiam tanquam propinqui miscētur inuicem in eodem & circa eadem, [c]sophistæ videlicet & rhetores: nec [habent vnde sibi ipsis vel aliis vsui esse possint.] Nam si animus corpori non præesset, sed ipsum sibi, neque ab eo perspiceretur, discerneretúrq; coquinaria & medicina, sed corpus ipsum gratia voluptatéque sua hęc perpenderet, & metiretur, illæ [d] Anaxagoræ prorsus accideret, amice pole (horum enim es peritus) omnia videlicet in eodem indiscreta commiscerentur, & quæ ad medicinam pertinent & salutem corporis, & quæ ad coquinariam attinent. Audiuisti iam quid ego rhetoricam esse dicam: rem videlicet coquinariæ respondentem, talémque in anima, qualis illa est in corpore. Fortassis absurdè feci qui tibi prolixitatem prohibens, sermonem ipse longum extenderim: vbi tamē venia dignus sum: quia si breuius essem loquutus minimè percepisses: neque responsio tibi mea satisfeciset, sed expositione rursus indiguisses. Si ergo nec ego te respondente assequi valeo, tu quoque ex-

[a] *Geometrica analogia.*

[b] *Rhetorica se habet ad iudiciariam eo modo quo fucatrix ad gymnasticā coquinaria ad medicinā, & sophistica ad legalem.*

[c] *Sophistæ ad rhetores interdū miscentur & cōfundūtur.*

[d] *Anaxagorea mixtio rerum omnium.*

extende sermonem. Si valeo permitte me responsione tua vel mea (sic enim æquum est) pro arbitrio vti. Et nunc quidem si quo pacto responsione hac opportunè vti potes, vtere. POL. Quid igitur ais? adulatióne tibi videtur esse rhetorica? SOC. Equidem adulationis particulam esse dixi. Non meministi Pole, quum sis huius ætatis? quid fortè posthac natu grandior facies? POL. An boni rhetores videntur tibi quemadmodũ adulatores in ciuitate contemni? SOC. Interrogationem hanc facis? an orationem aliquam exordiris? POL. Interrogo equidem. SOC. Nulla existimatione mihi digni videntur. POL. Quomodo nulla? nónne plurimùm in ciuitatibus possunt? SOC. Minimè, si potentiam bonum aliquid esse dicis ei qui potest. POL. Dico certè. SOC. Oratores ergo minimùm omnium in repub. posse mihi videntur. POL. Quid ais? nónne quemadmodum tyranni occidunt quem volunt & expoliant patrimonio, pellúntque ex vrbe? SOC. Per canem in singulis quæ dicis ambigo, vtrum sententiam explices tuam, an quæras meam. POL. Quæro equidem tuam. SOC. Esto amice: deinde duo simul à me quæris. POL. Quónam pacto duo? SOC. Nónne dicebas modò oratores occidere tyrannorum more quoscunque velint, & fortunæ bonis expoliare, atque etiam in exilium eiicere? POL. Equidem. SOC. [a] Dico itaque tibi, has duas interrogationes esse, respondeóque ad vtrasque. [b] Assero equidem tam rhetores quàm tyrannos minimam in ciuitatibus obtinere potentiam: quemadmodum paulò antè dicebam. Nihil enim, vt ita dixerim, facere ex his quæ volunt, facere tamen quod sibi opinantibus optimum videatur. POL. Nónne hæc

[a] *Reprehenditur Polus à Socrate, quod duas interrogationes vt vnã proponat.*

[b] *Potẽtia oratorũ in ciuitatib. nulla est nisi ea ad bonũ ciuium vtilitatem.*

magna potentia? SOCRAT. Nequaquam; vt ait Polus. POL. An ego non dico? Dico equidem certè. SOC. Per Iouem non dicis, quandoquidem magnam potentiam dixisti ei qui potest, esse bonum. POL. Id quidem dico. SOC. Bonúmne igitur esse ais, si quis ea fecerit quæ sibi optima videantur mente capto, atque id magnam dicis esse potentiam? POL. Non certè. SOC. Nónne igitur ostendendum tibi est, oratores habere mentem, atque rhetoricam nō adulationem quidem esse, sed artem, quò me conuincas? Alioquin nisi id ostendens me arguas, oratores & tyranni facientes quicquid faciendum sibi videtur in ciuitate, nullum propterea bonum consequentur. Siquidem potentiam habere, vt ipse ais, est bonum: Facere verò quicquid videatur absque mente, ipsemet confiteris esse malum. Nónne ita? POL. Ita certè. SOC. Quónam igitur pacto oratores, vel tyranni magna in repub. possunt, nisi Socrates conuictus à Polo: illos quæ volūt, facere, fateatur? POL. En vir. SOC. Nego eos facere quæ volunt: tu verò me redargue. POL. An non paulò antè confitebaris, quæ sibi bona videntur, eos facere? SOC. Et nunc rursus confiteor. POL. [a] An non ergo faciunt quæ volunt? SOC. Non, vt arbitror. POL. Faciunt tamē quæ sibi videntur? SOC. Concedo. POL. Molesta, ô Socrates, & incredibilia dicis. SOC. Ne me accuses, optime Polo, vt appellem te secundum te. Verùm si quid habes quod inquiras, errorē meum redargue: sin minus, ipse responde. POL. Sed respondere malo, vt quid dicas intelligam. SOC. [b] Vtrum ergo tibi videntur homines id velle quod vbique agunt? an potius illud cuius gratia agunt? veluti qui pharmaca à medicis acce-

[a] *Aliud est facere quæ velis, aliud facere ea quæ tibi videantur facienda.*

[b] *Volūtas est finis, electio eorū quæ ad finem pertinent.*

accepta bibunt, vtrum tibi id videtur ipsum velle quod faciunt, videlicet pharmacum bibere, & asperitatem eius perferre: an sanitatem potius cuius gratia bibunt? POL. Manifestum est eos fieri sanos velle, cuius gratia potionem sumunt. SOC. Nónne & qui nauigant, aut aliud negotium lucri causa obeunt, non id volunt quod faciunt? quis enim nauigare, subire pericula, molestias habere velit? sed illud volunt, vt arbitror cuius gratia nauigant, diuitias scilicet: harum enim gratia nauigant. POL. Maximè. SOCR. An non in omnibus quoque similiter, quisquis aliquid alicuius agit gratia, non id vult quod agit, sed illud cuius gratia agit? POL. Ita videtur. SOCR. An est ex omnibus aliquid, quod non aut bonum sit, aut malum, aut horum medium, neque bonum scilicet, neque malum? POL. Nihil omnino. SOCR. Nónne bonum quidem dicis sapientiam, sanitatem, diuitias, aliáque generis eiusdem? Mala verò horum contraria? POL. Equidem. SOC. Quæ verò neque bona sunt, neque mala, talia quædam dicis, quæ quandoque boni, quandoque mali participia sunt, quandoque neutri: veluti sedere, ire, currere, nauigare. Rursus veluti lapides, ligna, cæteráque similia. Nónne talia quædam esse dicis, quæ neque bona appelles, neque mala? POL. Talia certè. SOCRAT. Vtrum igitur media hæc bonorum agunt gratia, quoties agunt? an bona gratia mediorum? POL. Media bonorum gratia. SOCRAT. Ergo sequentes bonum, vadimus, præstare id existimantes: & vicissim quiescimus, quandocunque quiescimus, ob idipsum bonum. Nónne ita? POL. Ita prorsus. SOCRAT.

Præterea si quos occidimus, eiusdem gratia occidimus: similitérque expellimus, atque rapimus, putantes præstare vt talia à nobis fiant. POL. Proculdubio. SOC. Quamobrem boni gratia hæc faciunt omnia quæcunque faciunt. POL. Assentior. SOC. An non inter nos conuenit, non quæ alicuius gratia agimus, velle, sed illud cuius hæc gratia agimus? POL. Maximè. SOC. Itaque non iugulare simpliciter omninóque volumus, neque expellere, neque pecunias rapere: verùm si conducant, hæc facere volumus: si noceant nolumus. Bona enim volumus, vt ipse ais. Quæ verò neque bona, neque mala sunt, non propriè volumus, neque mala. Videórne tibi Pole, vera loqui? an non? Quid non respondes? POL. Vera. SOC. Quamobrem si in his consentimus, si quis quempiam interfecerit, vel vrbe eiecerit, vel bonis fortunæ priuauerit, siue tyrannus ille sit, siue orator, putans id melius sibi fore, cùm tamen sit peius, is vtique faciet quæ sibi videntur, nónne? POL. Certè. SOC. Nunquid etiam quæ vult, si quidem hæc sint mala? quid non respõdes? POL. Non videtur mihi quæ vult facere. SOC. Quánam igitur ratione vir talis magnam habet in repub. potestatem? siquidem magna potestas bonum quiddam est, vt ipse etiam confiteris. POL. Nullo pacto. SOC. Vera ergo dicebam, fieri posse vt sit qui in ciuitate quæ sibi videntur efficiat, neque tamen magnam potentiam habeat, neque quæ velit, agat. POL. Quasi verò tu non optes licentiam habere faciendi quicquid tibi videatur in ciuitate potius quàm non habere, neque affectes tales esse quales nõnulles vides, vel interficiẽtes, vel expoliantes, vel coniicientes in vincula quoscun-

* *Elenchum vitat Socrates & in ipsum conijcit Polũ, adhibita distinctione superius posita inter potestatẽ bonã & malã, tũ inter voluntatẽ & electionem.*

cunque & quandocunque sibi videtur. SOC. Iustène dicis, an iniustè? PO. Quomodocunque id fiat, nónne vtrunque optandum? SO. Bona verba quæso, ô Pole. POL. Quid ita? SO. Quoniam [nec eorum quorum similes fieri cupere non debemus, non est optanda cõditio nec miserorum, sed potius ipsorum misereri conuenit.] POL. Quid verò? Itáne se habere eos de quibus loquor, existimas? SO. Quídni? PO. Quicunque igitur perimit quẽcunque opinatur iustè necandum, infelix tibi miserabilísque videtur? SO. Non mihi quidẽ, neque tamen conditio eius optanda. PO. An non paulò antè miserum dicebas esse? SO. Amice dicebam equidem, sed iniustè occidentẽ, eundémque insuper miserabilẽ. Eius verò qui iustè interficit, conditionem non esse optandam. PO. An non qui iniustè occiditur, miserabilis est atque infelix? SOC. Minus quàm vel interfector, vel is qui iustè necatur. PO. Quid ita, ô Socrates? SOC. * Quoniam inferre iniuriam, malorum omnium maximum est. PO. Quónam pacto id maximum? Nónne pelus est iniuriam pati? SO. Minimè. PO. Ipse igitur malléne pati iniuriam quàm inferre? SOCR. Equidẽ neutrũ vellẽ. At si necesse foret, aut facere iniuriã, aut pati, accipere iniuriã quàm inferre malim. PO. Nõ ergo tyrannidẽ eligeres? SO. Nõ, si tyrannidẽ similiter atq; ego definis. PO. [b] Ego verò id esse dico tyrannidem, quod paulò antè, videlicet licentiã in ciuitate habere quicquid videatur perpetrandi, siue interficere quempiã, siue expellere libeat cæteráq; omnia pro libidine facere. SO. Sed, ô beate, quę dicam accipe. Si enim ego in foro ac frequenti hominũ multitudine assumpto sub ala pugio-

* *Inferre iniuriam malorũ omniũ maximum.*

[b] *Tyrannis quid.*

ne, apud te gloriaret me potentiam tyrannidémque mirabilē nuper esse nactum: nā siue aliquis istorū hominū quos cernis, mihi videatur occidendus, subitò perimetur, siue alicui⁹ frangendū caput, repente frāgetur, siue discindenda vestis, subitò discindetur, tantùm ego in hac ciuitate possùm: quòd si tibi minus id credenti ostenderem pugionem, fortè eo conspecto tu sic obiiceres: At isto, ô Socrates, modò omnes magnā haberent potentiā, siquidem & quaslibet domos incendere, & Athenienſium naualia, & triremes cunctáque nauigia, ac summatim tam publica quàm priuata quiuis posset. Verū hæc nō est magna potestas, quicquid tibi quomodocūque videatur facere. itáne tibi videtur? Po. Certè nō hoc pacto potentiā approbo. soc. Potésne dicere quam ob causam eiusmodi non approbes potestatem? Pol. Possum equidem. soc. Cur ergo? dic iam. Po. Quoniā necesse est eum qui ista perpetrauerit, pœnam luere. soc. Pœnam verò dare, nónne malum? Po. Omnino. soc. Nónne igitur, ô vir mirabilis, [a] magnam rursus potentiam iudicas, si modò qui agit quæcunque sibi videtur, assequitur vt vtiliter agat, atq; ita bonum consequitur, idque est magna posse? Contrà verò, malum id est, patuáque potentia? Verum id quoque consideremus, dicimúsne aliàs præstare ea facere quæ modò dicebamus, videlicet interficere, expellere, spoliare, aliàs autē minimè. Po. Sic omnino. so. Hoc iam mihi, vt videtur, tibíque conuenit. Vtrum igitur & quo pacto dicis ipse melius esse hæc facere? dic age, quem terminum statuas. Po. Tu verò, ô Socrates, id definias. so. Ego igitur si à me audire mauis, dicā, videlicet cùm quis hæc iustè

[a] *Rursum cogitur fateri Polus magnam potentiam eā esse quæ vtilis sit habenti, paruā verò seu potius malum, quæ inutilis sit & noxia suo possessori.*

ſtè facit, melius eſſe: quando verò iniuſtè, peius. PO. Perdifficile eſt te redarguere, ô Socrates. Atqui vel puer te reuinceret, redarguérétque quod falſa dicis. SOC. [a] Magnã illo puero habebo gratiam, tibi quoque non minorẽ, ſi me refutando ab errore eiuſmodi liberaueris. Te igitur oro, ne tibi moleſtum ſit beneficium hoc in amicũ conferre, ſed iam refelle. PO. Atqui, ô Socrates, nihil opus eſt antiquis exemplis ad te confutandum. Si quidem recentibus atque adeò heſternis manifeſtè pleróſque iniuſtos eſſe felices comprobari poſſit. SO. Quęnam iſta? PO. Archelaum Perdiccæ filium Macedoniæ imperare vides? SO. Etſi non video, ſaltem audio. POL. Felíxne igitur tibi an infelix videtur? SOCR. Haud ſcio. nunquam enim cum eo locutus ſum. PO. An tu aliter id ſcire non potes? SOC. Nullo modo. PO. Tu igitur ne de Perſarum quidem rege magno potes dicere beatúſne ſit? SOC. An ego poſſum, cùm ignorẽ quàm ſit doctus, quàm vir bonus? PO. Quid tu in eo ſitam vitam beatam putas? SOC. Ita prorſus exiſtimo, [b] bonos beatos, improbos miſeros. POL. Miſer ergo Archelaus? SOC. Certè, ſi iniuſtus. PO. [c] At verò quónã pacto negari id poteſt? Is enim ex ancilla Alcetæ Perdiccæ fratris natus eſt: ideóque Macedoniæ regnum quod nunc poſſidet, ad eum minimè pertinebat: ſed ipſo iure Alcetæ ſeruus erat: eóque ſi iuſta agere voluiſſet, ipſi Alcetæ ſeruiſſet: atque eo pacto ex ratione tua eſſet felix. Nunc verò quàm mirabiliter ad miſeriam tandem redactus eſt, poſtquàm maximas intulit iniurias. Is enim primò hunc ipſum dominum patruúmque ſuum Alcetam accerſitum ad ſe, quaſi regnum quod Perdiccæ

[a] *Socrates ſe ſi refutatur, id magni beneficii loco habiturũ teſtatur.*

[b] *Boni beati improbi miſeri.*

[c] *Archelaus Perdiccæ ex ancilla fratris eius Alcetæ filius, quibus artibus & quot parricidiis regnum Macedonum occuparit, & an propterea felix existimandus.*

eas abstulerat, redditurus, conuiuio vinóq; grauatum, ipsumque & filium eius Alexandrum patruelē æqualēq; suū cōiectos in plaustrū no ctéq; [foras deportatos] trucidauit atq; deleuit. Nec tamē his perpetratis suā agnouit miseriā, nec id fecisse pœnituit: sed paulò pòst fratrem suum legitimum Perdiccæ filium, puerum annorū septem, ad quem pertinebat regnum, noluit vt felix viueret, iustè alere, atque ipsi regnum tradere, sed in puteum præcipitem dedit, atque suffocauit. Cleopatræ verò eius matri nunciauit puerum dum persequeretur anserem, cecidisse in puteum, mortémque obiisse. His ergo tam magnis iniuriis perpetratis, Macedonum omnium miserrimus est, an potius felicissimus? Non est vllus Atheniensium, vt à te exordiamur, Socrates, qui malit alius quisquam Macedonū esse quàm Archelaus? SOCRAT. Et ab ipso disputationis exordio, Pole, te tanquam Rhetorica bene instructum laudaui, artem verò differendi dixi te neglexisse. At nunc, hæcne illa ratio est, per quam quiuis etiam puer, vt ipse dicebas, me refellat? Atque ego abs te, vt ipse iudicas, hac in præsentia ratione conuictus sum, qui dixerim, iniuriātē beatū esse non posse? Vnde verò hęc bone vir? atqui nihil tibi hotum quæ tu dicis, assentior. POL. Neque enim assentiri libet, quanquam tibi vera videantur. SOCR. O beate, [a] oratorum more coniicere me contendis, quemadmodum in iudicio fieri solet, vbi alii alios tum conuincere se opinantur, quum pro sua causa multos celebrésque adducunt testes, aduersarius verò, aut nullum, aut vnum aliquem duntaxat producit, cùm eiusmodi probatio nullius ad veritatem

[a] *Cum aliis rebus tū hoc differūt pro bationes Rhetoricæ à Dialecti ca quòd illæ teſtiū multitudinē, istæ eius qui cum disputatur cōcessione.*

veritatem sit momenti. Sæpe enim ob falsorũ testium multitudinem, atque eorum etiã qui alicuius pretii esse videntur, quis iniustè opprimitur: atqui in præsentia si de his quæ dicis, velis cõtra me testes producere, omnes fortè & Athenienses & peregrini tecũ sentiẽt, me verò afferre falsa tibi attestabuntur: siue Niciã accersas Nicerati filium, fratrésque eius secũ, quorũ sunt in Dionysio tripodes ordine quodam dispositi, siue Aristocratem Scellii filiũ, cuius in Pythio munus extat pulcherrimum, seu totam Periclis domum, seu aliam quamlibet Athenienſium familiam vel in testimonium aduocare. At ego vnus tibi non assentior: non enim me rationibus cogis, sed falsis testibus contra me productis, ex ipsa veritatis substantia deiicere me moliris. * Ego verò nisi teipsum testem vnum adduxero mihi assentientem, nihil æstimatione dignum in his quæ tractamus, perfeciſſe me arbitror. Nihil etiam te profecturum puto, nisi ego vnus solúsq; tibi cõsentiam, túq; dimissa aliorum testium multitudine, id ipsum efficias. Est igitur vt dixi, vnus iste arguendi modus quemadmodum tu aliíque multi putatis, est & alter quem ego puto. Eos igitur inuicem comparantes vtrum & quo pacto inter se discrepent, diligenter consideremus. Nos enim de rebus paruis instituta nobis est disceptatio: sed de his, quas & scire pulcherrimum est, & nescire turpissimum. Caput enim & summa eorum quæ perquirimus, est vel cognoscere, vel ignorare quis beatus sit, quis miser. Principiò quidem ex iis quæ perquirimus, tu fieri posse existimas, vt qui iniuriam facit, iniustúsq; est, sit beatus: siquidem Archelaum esse quidem iniustum cõ-

* *Dialecticè nullus redargui nisi ex iis quæ à se concessa sunt.*

fiteris, sed beatũ. nunquid ita te opinari existimare debemus? POL. Omnino. SOC. Ego verò id fieri non posse dico. Vnum igitur hoc est de quo ambigimus. Esto igitur: iniustus autẽ erítne felix, si pœnas iniustitiæ dederit? POL. Minimè quidem, imò miserrimus. SOC. At verò si iniustus pœnas effugerit, vt ipse ais, beatus erit. POL. Aio equidem. SOC. [a] Secundum verò sententiam meam, ô Pole, qui iniuriã infert iniustúsque est, omnino est ante alios miser: miserior autem si iniuriarum pœnas nũquã luat: minus verò miser, si luat, supplicúmque iustũ diis hominibúsque reportet. POL. Quàm absurda dicere audes. SOC. Dabo equidẽ operã amice, vt ipse quoque mecũ sentias: amicum enim esse te mihi puto. nunc ergo ea de quibus dissentimus, eiusmodi sunt. attende verò & tu. Dixi equidẽ in superioribus iniuriã inferre peius esse quàm pati. POL. Ita dixisti. SOC. Tu verò contrà, pati peius esse quã facere. POL. Proculdubio. SOC. Præterea eos qui iniuriam faciant, ego miseros appellabam, atque à te redarguebar. POL. Ita per Iouem. SOC. Tuo quidẽ iudicio. POL. Ac fortè verò. SOC. Tu verò iniuriam inferentes tunc felices esse dicebas, quum pœnas minimè darent. POL. Et maximè quidem. SOC. Ego verũ istos dico miserrimos: eos autem qui puniantur, minus miseros esse. Visne id quoq; refellere? PO. Ac istud difficilius altero ad redarguendũ. SO. Haud difficile istud imò impossibile iudicare debes. quod enim verum est, refelli nunquam potest. PO. Quid ais? Si quis tyrannidẽ per iniuriam moliri deprehensus fuerit, caprúsque torqueatur, excarnificetúrque, eíque inurãtur oculi, aliísque multis, variis, grauibus pœnis affi-

[a] *Qui iniuriam infert miser est, miserior qui iniuriarũ pœnas nõ luit, minus miser qui iniuriæ pœnas luit, hanc thesin tuetur Socr. illam oppugnat Polus.*

afficiatur: videat præterea liberos & vxorē pati eadem, & tandem in crucem agatur, aut in mare demergatur: an hæc qui patietur felix erit? vel potius si euadat, tyrannidémq; assequutus arbitratu viuat suo adeò vt vitæ suæ status exoptandus, felíxque à ciuibus & peregrinis existimetur? Hæcne dicis cōfutari non posse? so. Perterrefacis me nunc rursus generose Pole, non aut' r fellis: paulò verò antè [testibus pugnabas.] Veruntamen redige mihi parumper in memoriā, an [de eo qui iniustè tyrannidem occuparit, loquaris?] POL. Equidem. so. Neuter eorum felicior vnquam erit: neq; qui tyrannidem iniustè adeptus fuerit: neque qui deprehensus pœnas dederit. Nempe è duobus miseris neuter altero felicior est dicendus: miserior tamē qui potius tyrānide suppliciū deuitauerit. Quid rides? alia rursus hæc refellēdi species est, quum quis aliquid dicat, deridere, non autem arguere. P O. At non putas refelli, ô Socrates, quum talia dicas, qualia nullus vnquā mortalium diceret? Quære ab istorum aliquo. so. O Pole, equidem non sum ex his qui in republica versantur. Et superiori anno cùm in senatū fortè cooptatus, quòd tribus tū mea cum imperio erat, rogare sententias & ad suffragium ferendū vocare deberē, concitaui risum, quia facere id nesciui. Noli ergo iubere, vt ad concilīū præsentium referā. Cæterū nisi meliorē arguendi viā habes, quēadmodū modò dicebā, viciſſim mihi concede, atque experire qualē ego redargutionē esse arbitror oportere. Eorum enim quæ dico, vnū producere testem scio, illum ipsum quicum mihi sermo est institutus: multitudinem autem missam facio: & vnius sententiam rogo, multitudini

verò ne verbum quidem facio. Vide igitur vtrum mihi viciſſim arguendi locũ velis concedere túque ad quæſitũ reſpondere. Arbitror equidẽ & te & alios homines exiſtimare, peius eſſe facere iniuriam quàm accipere pœnas, effugere quàm ſubire. POL. Ego autem neque me, neque aliũm prorſus vllum: quandoquidem tu ſolus iniuriã perpeti malles quàm inferre. SOCR. Imò verò & tu & cæteri omnes. POL. Permultùm abeſt: imò nec ego, nec tu, nec alius quiſquàm. SOCR. Viſne reſpondere? POL. Volo equidem: cupio enim quid tandem dicturus ſis, intelligere. SOC. Reſpondeitaque mihi vt intelligas, tanquam ſi à principio interrogem.

a Hinc incipit conſtitutio inter Polum & Socratẽ, vtrũ ſatius ſit iniuriam inferre, quàm pati.

a Vtrum putas deterius eſſe faceréne iniuriam, an perpeti? POL. Perpeti. SOC. Vtrũ verò turpius? reſponde quæſo. POL. Iniuriam facere. SOC. Nónne & peius, ſi turpius? POL. Minimè. SOCR. Intelligo iã Nempe non putas, vt videtur, idẽ eſſe pulchrũ atque bonũ: idémq; turpe atq; malũ. POL. Non certè. SOC. Quid autem pulchra omnia ſcilicet corpora, colores, figuras, voces, ſtudia? nunquid ipſe ad nihil reſpiciens appellas pulchra, an ad aliquid? Vt ecce primò quidem corpora pulchra, nónne aut propter vtilitatem dicis eſſe pulchra, atque ad id pulchra cũius vſui ſeruiunt: aut propter aliquã voluptatẽ, videlicet quod delectãt aſpicientes? An habes præterea quicquã aliud quod de corporis pulchritudine dici poſſit? POL. Nihil aliud. SOC. Nónne & alia ſimiliter omnia ſiue figuras ſiue colores, vel propter aliquam voluptatem, vel vtilitatẽ, aut vtraque pulchra appellas? POL. Ita prorſus. SO. Et voces præterea, & quæ ad muſicã pertinent, cuncta ſimil-

ter? POL. Ita. SOC. Quinetiam statuta legum & studia non ob aliã causam pulchra sunt, quàm quòd aut conferunt, aut, delectant, aut vtrunque efficiũt. POL. Non, vt mihi quidé videtur. SOC. Denique de disciplinarũ pulchritudine idé existimamus? POL. Idé prorsus. & pulchrè quidé nunc definis, ô Socrates, [a] pulchrũ delectatione & bono definiens. SOC. Nónne turpe contrario, scilicet dolore, ac malo, id est detrimento definiendũ? POL. Necesse est. SOC. Quoties igitur è duobus pulchris alterũ pulchrius est, vel altero illorũ, aut ambobus excedẽs pulchrius est, scilicet aut delectatione, aut vtilitate, aut ambobus. POL. Prorsus. SO. Rursus quãdo duorũ turpium alterũ turpius est, vel dolore, vel detrimento excedens est turpius, An nõ necesse est? POL. Ita. SOC. Age itaque quomodo paulò antè de inferenda accipiendáque iniuria dicebatur? an non dicebas pati iniuriã esse deterius, facere verò turpius? POL. Dicebam equidé. SOCR. Si ergo facere turpius est quàm pati aut molestum quidẽ est, ac molestia superãs turpius est, aut prauitate aut vtrisque, nónne id etiã necessariũ? POL. Quidni? SOC. Primò quidem considéremus an molestia superet: doleántque magis qui inferunt, quàm qui patiũtur iniuriam. POL. Nullo pacto. SOCR. Quare non excedit dolore. POL. Non apparet. SOC. Si non dolore, nec etiã ambobus. POL. Non videtur. SOC. Ergo altero. POL. Altero. SOC. Malo igitur itaque detrimento. POL. Apparet. SOCR. Quamobrem iniuriam facere excedens detrimento deterius erit, quàm pati. POL. Manifestũ est. SOC. Nónne & à multis hominibus, & ab ipso te supra concedebatur turpius esse inferre iniuriam, quàm accipere? POL. Ita. SOC. Nunc

[a] *Pulchrum duabus reb. definitur voluptate & bono: turpe verò, dolore & damno.*

etiam apparuit esse deterius? POL. Apparuit. SOCR. [a] Eligásne tu magis id quod deterius turpéque est quàm id quod minus? Ne pigeat respondere Pole: nihil enim obfuerit: sed te rationi tanquã medico cõmittas ingenuè: atq; respondendo aut concede quæ dico, aut nega? POL. Nunquã, ô Socrates istud eligerem. SOC. Aliũ verò quenquã id recepturũ putas? POL. Mihi quidem per hanc rationẽ non videtur. SOC. Quãobrem vera dicebã: neque me, neque te, neque alium quenquã recepturũ facere iniuriã magis quàm pati, vtpote quod sit deterius. POL. Apparet. SOC. Vides ergo Pole, facta argumentorum cõparatione, ea inter se maximè diserepare. Nã tibi quidem alij præter me omnes assentiuntur, mihi verò solus ipse sufficis assentiendo atque testificando, cuius solius suffragiũ sententiámque rogaui, cæteros verò missos facio. Atque id quidẽ sic habeto.

[a] *Redarguitur Polus propria confessione & cogitur fateri, quia dixerat turpius esse, etiã aeterius esse iniuriã inferre, quàm pati.*

[b] Post hæc autẽ quod secundo loco inter nos dubitabatur, iam consideremus, vtrum iniuria afficientem pœnas dare maximũ sit malorum, vt ipse putabas: an maius non dare: quæ mea erat sententia. Consideremus autẽ hoc pacto. Dare pœnas iniuriarũ, atque iustè puniri eum qui iniuriã facit, nũ idẽ appellas? POL. Idẽ. SO. An potes negare iusta omnia quatenus iusta sunt esse pulchra? Et vide vt respondeas prouidè. POL. Mihi quidẽ æquè ac tibi videtur. SOC. Id [c] quoque animaduerte, an si quis agat quippiã, necesse sit esse aliquid patiens ab ipso agẽte. POL. Videtur. SO. An ergo & hoc pati oportet, quod agens agit: & tale insuper quale agit ipsum? Huiusmodi autẽ quiddam dico si quis pulset, necesse est aliquid inde pulsari? POL. Necesse, SO. Atque si vehementer, aut velociter pulset,

[b] *Altera quæstio controuersa inter Polũ & Socratẽ disceptatur, vtrum melius sit ei qui iniuriã intulit pœnas dare quàm non dare.*

[c] *Ita patitur patiens, vt agit, agens.*

pulset, similiter pulsari pulsarum? POL. Similiter. SOC. Talis ergo passio inest pulsato, qualé efficit pulsans? POL. Omnino. SOC. Et si quid cõburat quis, oportet aliquid inde comburi? POL. Oportet. SOCR. Ati vehementer exurat, & vt ita dixerim, acerbo cum dolore, similiter & vri quod vritur, quémadmodũ vrit vrens? POL. Prorsus. SOC. Similiter si quis secat, secatur etiã aliquid? POL. Ita. SO. Ac si lata vel profunda, aut dolorosa sit sectio, tali necesse est quod secatur sectione secari, quali sector ipse secat. POL. Videtur. SO. Considera verò summatim, an quod modò dicebam, in cunctis confiteare: videlicet quale aliquid agens agit, tale quiddam pati patiens. POL. Confiteor. SO. His ergo concessis responde, num pœnas dare, sit pati aliquid, aut agere. POL. Pati. SO. Nónne & à quodã agente? POL. Constat, ab ipso videlicet puniente. SOC. Qui autẽ rectè punit, nónne iustè punit? POL. Iustè. SOC. Iusta faciens, nécne? POL. Iusta. SOC. [a] Ergo qui punitur, dũ iustitiæ dat pœnas, iusta patitur. POL. Apparet. SOC. Iusta verò dictũ est esse pulchra. POL. Prorsus. SOC. Horum igitur alter quidem pulchra facit: alter verò, scilicet punitus, pulchra patitur. POL. Sic est. SOCR. Quòd si pulchra, etiam bona. Nam vel iucunda illa sunt, vel vtilia. POL. Necesse est. SOCR. Bona ergo patitur quisquis iustè punitur. POL. Videtur. SOCR. Id ergo ipsi prodest. POL. Confert. SOC. [b] An non, vt quo pacto iudico explicem, melioré reportat animũ, si quidem iustè punitur? POL. Consentaneum est. SOCR. Ergo qui luit pœnas, à prauitate animæ liberatur. POL. Certè. SOCR. Itaq; maximo liberatur malo. Eodẽ autẽ pacto cõsidera: in pecuniarum collectione aliúdne

[a] *Conuincitur Polus, & cogitur fatere melius quia pulchrius & iustius, pœnas dare ob iniuriam illatã, quàm non dare.*

[b] *Magis declaratur, quomodo melius sit ob iniuriam illatã dare pœnas, quàm non dare.*

hominis malum videas quàm paupertatem? POL. Hanc ipsam. SOC. In corpore autē malū dices imbecillitatē, morbum, deformitatē cæteráque eiusmodi? POL. Equidē. SOC. Nónne & in anima malū aliquod esse cēses? PO. Quídni? SO. Id verò nónne vocas iniustitiā, insciti ā, timiditatem, & alia generis eiusdē? POL. Maximè. SOCR. Cùm igitur hæc tria sint, pecunia, corpus, anima: tria horum esse dixisti mala: paupertatem, morbum, iniustitiā. POL. Certè. SOC. [a] Horum verò malorum quódnā turpissimum? Nónne iniustitia? &, vt summatim dicam, animæ vitium? POL. Maximè. SOC. Quòd si vitium animi turpissimum est, ergo & pessimum. POL. Qua ratione hoc ais, ô Socrates? SOC. Hac, vtique, semper quod turpissimū est, vel quia dolorē, vel quia detrimentū infert maximū, vel quia facit vtraque, turpissimū est: quemadmodū ex iis quæ in superioribus concessa sunt, apparet. POL. Sanè. SOCR. Turpissimum verò esse iniustitiam & omne animi vitium, nónne nobis concedebatur? POL. Certè. SOCR. Quare aut quia molestissimum est, & molestia superans, idcirco horum turpissimum est: aut quia detrimentum affert, aut propter vtrunque. POL. Sic oportet. SOC. Nunquid molestius est iniustum esse, intemperatum, ignauum, imperitum: quàm paupertate morbóque premi? POL. Non certè quantum ex his coniicitur. SOCR. Quoniam igitur incredibili quadam mirabilique magnitudine detrimenti atque mali vitium animæ cætera superat mala, idcirco omnium est turpissimū: quandoquidē non dolore excedit, vt ipse ais. POL. Sic apparet. SO. Iā verò quod maximo excedit damno, maximum omniū est malorum.

[a] *Iniustitia malorū sum mū esse ostenditur.*

POL.

POL. Ita est. SOC. Quamobrem iniustitia, intemperantia, cæteréque improbitas animæ, malum est omnium maximum. POL. Videtur. SOC. [a] Quænam ars à paupertate nos liberat? Nónne quæstuaria? POL. Hæc ipsa. SOC. Quæ verò à morbo? an non medicina? POL. Hæc sanè. SOC. At quænã à prauitate & iniustitia? Sin minus id tibi succurrit, ita considera: quónã, & ad quos potissimum ducimus morbis corporeis laborantes? POL. Ad medicos, Socrates. SOC. Quò autem iniuriantes atque dissolutos? POL. Ad iudices. SOC. Vt videlicet puniantur. POL. Assentior. SOCRA. Nónne qui rectè puniunt, iustitia quadam freti puniunt? POL. Proculdubio. SOC. Quæstuaria ergo pellit paupertatem: Medicina verò abigit morbos: Iudiciaria denique intemperantiã & iniustitiã amouet. POL. Sic apparet. SO. Quid ergo horum est pulcherrimum? POL. Quorum dicis? SO. Quæstuariæ, medicinæ, iudiciariæ. POL. Multò inter has excellit iudiciaria, Socrates. SOC. Ergo vel voluptatem affert plurimã, vel vtilitatẽ, vel vtrunque, siquidẽ pulcherrima est. POL. Sic habet. SOC. An ergo curari à medico delectabile est? & inter manus medici oblectantur, dum curantur infirmi? POL. Non apparet. SOC. Conducit tamen, nónne? POL. Confert. SOC. Quoniã videlicet magno liberantur malo. Quapropter vtile est tolerare doloré, vt sanus euadas. POL. Proculdubio. SOCR. An ergo felicissimus quantũ ad corpus attinet, is fuerit qui per medicinam curatus conualescat: vel potius qui à principio non ægrotauerit? POL. Certè qui non ægrotauerit. SOC. Nempe non in hoc consistere videtur felicitas, vt liberemur à malis: sed vt ab ipso initio simus incolumes. POL. Ita est.

[a] *Iniustitiæ liberari melius est, quàm non liberari, id autem contingit iis, qui scelerum ad missorũ meritas pœnas dant iudicibus. Ergo dare pœnas quũ alicui iniuriã intulerit melius est quam nõ dare.*

soc. Cæterum si duo malè vel corpore, vel animo affecti sint, vter horū miserior: num qui curatus liberatur à malo, an qui minimè? POL. Qui non curatur, mea quidē sententia. SOCR. Nónne in iudicio puniri, à maximo quodam malo, id est à prauitate liberatio erat? POL. Erat certè. SOCR. Quippe cùm pœna iusta castiget, iustioréque efficiat tanquā medicina quædā improbitatis. POL. Ita est. SOC. Felicissimus ergo qui non habet animi vitium: quandoquidem id maximum apparuit esse malum. POL. Absque dubio. SOC. Deinde autem qui à malo eiusmodi liberatur. POL. Apparet. SOC. Hic verò est qui correptus castigatúsque pœnas dederit. POL. Is ipse. SOC. Pessimè ergo viuit qui iniustus est, nec ab iustitia soluitur. POL. Apparet. SO. Nónne hic est qui maximis perpetratis iniuriis, maximáque vsus violētia, effecerit vt neque corripiatur, neque puniatur, neque persoluat pœnas: quemadmodum effecisse dicis Archelaum, aliósque tyrannos, & oratores, atque potentes? POL. Apparet. SO. Fermè enim huiusmodi homines, vir optime, perinde faciunt, ac si quis morbo correptus grauissimo, det operam, ne vitiorum quæ in corpore sunt, medico pœnas det, neque curetur: puerorum more vsionem atque sectionem, tanquā rem molestā, formidans. Nónne & tibi quoque ita videtur? POL. Mihi quidem. SOC. Quoniā videlicet quanti sit sanitas corporísque virtus ignorant. Videntur autē per ea quæ modò concessimus, tale quiddam facere, ô Pole, illi qui iudiciū fugiunt: ad dolorem quidē eius aspicere, ad vtilitatē verò cæci esse: atque ignorare quātò miserius sit animo esse non sano, sed fracto, iniusto, impio, quàm ægrū corpus circumferre:

itaque

itaque dant operã ne iudicium subeant, néve maximo soluantur malo. Eáque de causa pecunias cumulant, comparant amicos, eloquentiæ student. At enim si vera inter nos sumus cõfessi, sentis quæ ex hac disputatione tandé sequantur? Eáne vis vt singula ordine colligamus? POL. Nisi tibi aliter videtur. SO. [a] Nónne constitit maximũ esse malũ iniustitiã atque iniuriã? POL. Videtur. SO. Præterea liberationẽ ab eo malo esse pœnas luere? POL. Apparuit. SOC. Eas verò effugere esse mali permansionẽ. POL. Certè. SOC. Igitur inter mala magnitudine secundũ obtinet locum inferre iniuriã. Efficere autem ne iniuriarũ subeatur pœna, omniũ natura maximũ est, primúmque malorũ. POL. Videtur. SOC. Hoc est igitur, ô amice, de quo ambigebamus. Tu quidem Archelaũ esse felicem affirmabas: qui cùm maximas perpetrarit iniurias, nullas tamen pendit pœnas. Ego autem sentiebam diuersum? videlicet siue Archelaus, siue alius quisquã mortaliũ iniuriarũ supplicia non ferat, eum vel præcipuè esse miserũ: ac semper eũ qui intulit eo qui sustinet iniuriã, esse miseriorẽ: denique illũ qui nõ luat pœnas, illo qui luat. An non hæc erãt quæ à me dicebantur? POL. Hęc ipsa. SO. Nónne demonstratũ est verè hæc dicta fuisse? POL. Apparet. SO. [b] Age igitur Pole, si vera hæc esse constat, quidnã opus est rhetorica? Nẽpe ex superioribus sequitur oportere diligẽtissimè obseruare nosipsos, primùm quidẽ, ne cui iniuriã inferamus, tanquã satis mali ob hoc ipsum habituros. nónne ita habet? POL. Ita certè. SO. Deinde verò siue per nos, siue per aliũ quempiã nobis charũ inferatur iniuria, spõte nostra iudici nos puniẽdos tanquã medico festinãter offerre: ne inue-

[a] *Recapitulatio breuis superiorũ disputationis.*

[b] *Ex superioribus cõcludit Socr. non esse opus eiusmodi Rhetorica qualẽ describebat Polus.*

teratus iniuriæ morbus, sic inficiat animum, vt insanabilem reddat. Quónã alio pacto dicemus, ô Pole, si maneãt priora illa inter nos cõcessa? Nónne hæc ita illis necessariò consonãt, nec secus habere possunt? PO. Quid igitur porrò dicere possumus? SO. Ad defendendũ igitur aut excusandũ iniustitiã nostrã, vel parentum, vel amicorũ, aut filiorũ, aut patriæ iniuriantis nihil vtilitatis nobis confert rhetorica. [a] Nisi quis iudicet cõtra oportere rhetorica vti, ad accusandũ videlicet: primò quidẽ nosipsos, deinde domesticos familiarésq; & alios: si quis eorum qui nobis chari sunt, iniurias perpetrauerit: ne lateant eorũ crimina, sed producantur: vnde pœnas illi persoluãt, sanéq; euadãt. Præterea ad cõpellendũ seipsũ & alios ne torpeãt, néve expauescãt: sed forti animo & quasi clausis oculis iudici tanquã medico secandos vrẽdósq; se tradãt, bonũ ipsum honestúmq; sequẽtes dolore contẽpto. Itaq; si verberibus digna cõmiserint, verberãdos sese tradãt: si vinculis, vinciendos: si multa, multãdos: si exilio, expellendos: si nece, necãdos. Qua quidẽ in re vnusquisq; suiipsius sit suorúmq; accusator: atq; ad hoc oratoria facultate vtatur, vt patefactis iniuriis à maximo iniustitiæ malo soluatur. Itáne Pole, an aliter dicimus? PO. [b] Absurda quidem ista Socrates, mihi videntur. Veruntamen tibi fortè superioribus consonant. SO. Nunquid aut superiora illa conuelli, aut hæc sequẽtia concedi necesse est? PO. Ita se res habet. SO. [c] In contrariam verò partem eius vsum mutãdo, si alicui malefacere oportet siue inimico, siue alii cuipiã, dummodo, ne ipse ab aduersario iniuriam patiaris, [id enim maximè cauendum est,] sed si aliis iniuriam fecerit inimicus,

omni

[a] *Rhetorica potius vtendum ad nos & nostros accusãdos si peccauerimus quàm defendẽdos: tum ad persuadẽdũ nobis & nostris vt pœnas promeriti eas potius subire quã effugere malimus.*

[b] *Syllogistica conclusionis necessitas ex concessis pendens.*

[c] *Quis vsus esse possit Rhetoricæ ad nocendũ aliis.*

omni ſtudio prouidendum eſt & verbis & operibus, ne luat pœnas, néue trahatur ad iudicem: vertũ ad eũ ſi rapiatur, fortè annitendũ vt inimicus euadat, nec ſumatur de ipſo ſupplicium. Imò ſi aurum multũ abſtulerit, id vt ne reſtituat, ſed poſſidens ipſe in ſe, atq; ſuos iniuſtè impiéque profundat: ſin morte digna cõmiſerit, ne moriatur vnquam, ſi fieri poteſt, ſed immortalis ſit malus. Sin autem minus id fieri poteſt, ſaltem vt in ea prauitate plurimũ temporis viuat. Ad hæc & huiuſmodi mihi videtur, Pole, conferre rhetorica. Illi verò qui nõ ſit illaturus iniuriã, haud magno eſſe emolumento videtur: ſi modò vllum in ea eſt vel commodum vel vtilitas. Nam in his quæ ſuperius dicta ſunt, nihil eiuſmodi prorſus apparebat.

CAL. Dic mihi Chærephon, ſeriónе hæc loquitur Socrates, an per iocum? CH. Mihi quidem videtur Callicles mirum in modũ loqui ſeriò, haud tamen importunũ fuerit ab ipſo requirere. CAL. Cupio per deos ſcire, Socrates, vtrũ te tunc ſeriò loqui, an iocari exiſtimare debeamus. Nam ſi ſeria hæc ſunt & vera quæ dicis, peruerſa proculdubio nobis eſt vita, atque omnia contrà quàm decet, agimus. SO. O Callicles, niſi in hominibus ineſſet idem affectus, quanquam aliis quidem alius, atq; alius, ſed aliquis è nobis propriã quandã ſingularẽque præter cęteros haberet affectionem, haudquaquã facile foret, quod in ſe quiſque ſentiret, aliis explicare. Quorſum hæc? Nempe animaduerto idem quoque tibi & mihi accidere: quúmque duo ſimus, duo quædam amare. Nã ego Alcibiadem Cliniæ filium ac philoſophiã amo: tu verò populum Athenienſem & Pyri-

lāpé. Sentio itaq; ferè tibi vſu venire, vt quāuis dicendo præſtes, tamen quum tuus tibi amaſius aduerſatur, & hoc modo ſe rem aliquam habere contendit, ei contradicere non poſſis: ſed ſurſum deorſúmque immutaris. Nam in concione quidem ſi tibi aliquid dicenti populus Atheniēnſis contradixerit conſueuiſſe mutare ſententiā, atque ea dicere quæ illi placere intelligas: eadémque tibi & alia cum Pyrilampi adoleſcentulo iſto formoſo verſanti ſolent accidere, nec vllo modo potes voluntati ſermonibúſque eius obſiſtere. Quamobrē ſi quī illa quæ tu gratia eius, aut populi dicis, admiratus, abſurda eſſe obiecerit, reſpondebis forſitan, modò vera fateri velis, niſi is quem tu amas, & populus mutet ſententiam, nec vnquam te mutaturum. [a] Arbitrare igitur talia à me quædam te audire, nec talia me dicere admireris, ſed da operam vt philoſophia amica mea hæc velle deſiſtat. Dicit enim illa, ô dulcis amice, ſemper quæ à me audis. Ac mihi multò minus ſtolida & peruicax eſt, quā pueri amaſij. Hic enim Clinieus aliàs mihi loquitur aliter, philoſophia autem ſemper eadem. Dicit autem quæ tu nunc admiraris: modò enim præſens audiſti. Aut ergo illam, quod proximè dicebam, redargue: atque oſtende iniuriam facere, nec dare pœnas, non extremum eſſe malorū. Aut ſi hoc ſtare finis, prædico tibi, ô Calliceles, per canem Ægyptiorum deum, nunquam te Callicli conſenturum, ſed in omni vita repugnaturum. Atqui ego, ô vir oprime, præſtare iudico, vt lyra mihi diſcordet & diſſonet, chorúſque quem ducam, ac multi præterea homines contradicant, [b] quàm vt ego vnus mihimet diſſoné atque repugnē. CAL. O Socrates, vide-

[a] *Admirantem ſuperiores cōcluſiones Callicle quandā popularē oratorem reprimit Socrat. reſpondens ea quæ ſuperius probauerit ita cōſtanter videri philoſophiæ ſuis amoribus, cuius iudicio nunquam ſit refragatur niſi illa redarguatur.*

[b] *Turpe eſt à ſeipſo diſſentire.*

ris inter dicendum iuueniliter exultare,ne reuera quidã apparens concionator,& nũc quidem in his quoque concionatorẽ agis: quum idem Polo euenerit,quod euenisse Gorgię,paulò antè erga te accusabat. Nã Gorgiam, quodã in loco à te interrogatũ, si pergeret ad ipsum aliquis rhetoricã percepturus sed iuris ignar⁹, an illũ doceret:rubore adductum, inquit Polus,affirmauisse illum se esse docturum: idque ob ipsos hominũ mores, qui grauiter ferrent, siquis talia nõ concederet Ob huiusmodi deinde concessionẽ coactũ esse Gorgiã, sibimet contradicere,tibíque id mirificè gratum esse. Quare te quidẽ iustè tũc meo iudicio, irrisit. Nũc verò rursus Pole eadẽ cõtigerunt:quẽ in hoc minimè probo,quod tibi cõcesserit iniuriã turpius esse facere quã pati:ob eã enim cõcessionẽ impeditus à te,quæ cogitauerat,explicare nõ potuit. Tu verò reuera,ô Socrates,in scrupulos cõcionalésq; difficultates audientes adducis,dũ veritatem sequi te profiteris. Affers vtiq; in mediũ quę natura quidẽ pulchra nõ sunt,sed lege. Plerũq; verò accidit vt cõtraria sint inter se lex atq; natura,siquis igitur rubore suffusus,nõ audeat quæ intelligit exprimere,cõtraria sibimet afferre compellitur[a] Tu verò astutius animaduertens,insidiaris in verbis. Si quis enim secundum legẽ loquatur, tu deinceps secundum naturam interrogas. Si verò secundum naturam ille,ipse secundum legem,quemadmodum de inferenda, vel sustinẽda iniuria modò fecisti Cũ enim Polus,secundum legem inferre turpius esse diceret,ipse legẽ es prosequut⁹ *transferens quæ legu sunt,ad naturam.*[b] Natura.n.quicquid peius est,idẽ & turpius,quale iniuriã pati,lege verò inferre. Nõ.n.

[a] *Distinctione legu & naturæ superiorẽ redargutionẽ seu elenchũ quo Polũ Socrates redarguerat,cõuellere conatur Callicles.*

[b] *De mere Legu & Naturæ opposito sophistarum.*

viri est iniurias pati, sed mancipij cuiusdam, cui mortuum esse quàm viuere præstet: quod quidem contumeliis iniuriisque affectum neque sibi neque suis potest opitulari. Verùm, vt ego arbitror, qui leges condunt, imbecilliores sunt, & de vulgi numero. Itaque vtilitati consulentes suæ, leges constituunt, & secundũ illud suum commodum laudes vituperationésque disponunt [tum iniicientes metum robustioribus, & qui plus ipsis possunt habere, ne illi aliqua re ipsis superiores sint] aiunt turpe iniustúmque esse aliis plus habere, idque delinquere iniuriam facere: plus videlicet quàm alij vt habeas, quærere. Satis enim sibi factum putant, si quum inferiores sint, æquam habeant portionem. Ob hanc igitur rationem lege quidem id iniustum turpéque dicitur, quærere vt plus quàm cæteri possideas? atque hanc vulgò iniuriam nominant. Natura verò ipsa, veluti puto, demonstrat æquum esse, vt præstantiores potentioréque omnia cæteris habeant superiora. Ostendit verò multis hæc modis, tum in cæteris animãtibus, tum in cunctis ciuitatibus atque gentibus, apud quas iustum esse censetur, vt potentior infirmiori dominetur, plúsque possideat. Nam quo iure Xerxes aduersus Græcos duxit exercitum, vel pater eius contra Scythas, aut innumerabiles alij, quos referre quis posset? Sed hi, vt arbitror, iuxta naturam iuris ipsius, ac per Iouem iuxta ipsius naturæ legem hæc agunt: non tamen fortasse iuxta leges has à nobis conditas, per quas præstantissimæ ac validissimæ indolis adolescentes ab incunabulis tanquam leones vincientes, quasi quibusdam magicis carminibus fascinamus, seruilémque in modum subiici-

iicimus, dicentes æquitatem esse seruandam, idque pulchrum iustúmque esse. At si quis præstantis naturæ vir insurgat, ac literas fascinationes, incantationésque huiusmodi vestras pessundans atque discindens, legésque omnes quæ desciscunt à natura, subuertens, & conculcans, cæteris dominetur, in eo iam naturæ ipsius ius effulgeret. [a] Videtur autem mihi Pindarus hæc eadem in quodam cantu ostendere: vbi *legem* ait *omnium esse reginam mortalium atque immortalium: eámque ius agere violenter præpotenti manu.* Idque coniectare se dicit ex rebus gestis ab Hercule: qui, etsi carmen ipsum haud satis memoriter teneo, memini tamen ipsum dicere: Herculem neque emptos, neque donatos Geryonis boues abegisse: vtpote naturali ipso iure dictante, & boues, & cætera omnia quæ ab hominibus possidentur, illius qui præstantior sit, atque valentior esse debere. Veritas igitur ita se habet, idque planè cognoscas, si ad maiora iam, dimissa philosophandi cura, te conuerteris. Nam [b] philosophia quidem, ô Socrates gratiosa res est, & venusta, si quis illam moderatè in adolescentiáque attingat. Sin autem supra modum tempus in ea contriuerit, hominum est corruptela. Quamlibet enim quis bono à natura sit ingenio præditus, tamen si diutius per ætatem iam prouectam philosophetur, necessariò omnium rerum imperitus euadet: quarum omnino clarum, bonum, excellentem virum habere peritiam oportet: nam & legum ciuilium, & verborum, quibus in cõsuetudine cœtúque hominum tam publicè quàm priuatim vti decet, voluptatum præterea cupiditatúmque humanarum, & vt

a *Autoritate Pindari probare nititur Callicles legẽ vim afferre iuri naturæ.*

b *Philosophia oportunè & moderatè suscepta vtilis est ad omnia.*

breuiter comprehendam, morum prorsus hũc ignari. Quocirca quoties ad aliquam rem gerendam, vel publicam vel priuatam sese conferunt, habentur ridiculi, quemadmodum & ciuiles viri si in vestras exercitationes disputationésque descendant. [a] Euenit enim ille Euripidis, *qua in re clarus quisque est, ad eam properat: & diei partem illi plurimam impertit, vt ipse se supere.* Vbi verò inferior sit, inde fugit, illúdque vituperat: aliud verò laudat, quadam sui ipsius beneuolentia existimans seipsum ita laudare. Verùm præstare arbitror amborum participem, fieri philosophiæ quidẽ quatenus [ad eruditionem expedit,] nec turpe quidẽ est adolescenti philosophari, sed cum grãdior natu philosophiæ adhuc incumbit, res est, Socrates, valdè ridicula. Equidem similiter affectus sum erga illos qui philosophiæ dant operam, atque illos qui balbutiunt ac ludunt. [b] Quoties enim aspicio puellum cui decorum adhuc est loqui ita balbutientem ludentémque delector, festiuúmque & liberale mihi videtur, puerilémq; decere ætatem. Quoties verò puellum audio verba expeditius exprimentem, molestum quiddam mihi oboritur, auréque offendit meas: atque seruile quippiam præ se ferre videtur. Cæterũ quum virum quis vel audit balbutientem, vel videt ludentem, ridiculũ id quidem, à viróque alienum, ac dignum plagis apparet. Idem igitur erga philosophantes mihi euenit. In adolescente enim philosophiã dum cerno, valde delector, decénsque iudico, atque ingenuum esse hominem hũc existimo: eum verò qui non philosophetur, illiberalem, nec vnquam præclarum aliquid ac generosum de seipso præstiturum. [c] Sed quando grandiorẽ

[a] *Quisque studiũ illud in quo aliquid præstare potest, laudat.*

[b] *Philosophia studiũ iuuenes decet, viros autẽ dedecet.*

[c] *Philosophiæ studij vituperatio in viro.*

natu

natu philosophantē animaduerto, neque dū studia eiusmodi deserentem, verberibus iam hunc virum, Socrates, indigere censeo. Quippe quòd, quemadmodum modò dicebam, huic accidat homini, vt etiam si bene natus sit, tamen iners atque ignauus euadat, fugit enim mediam ciuitatem, forensésque consuetudines, in quibus poeta inquit viros fieri præstantissimos: abscondítque sese cum tribus vel quatuor pueris, & in angulis susurrando vitam ducit, nihil vnquam liberale aut magnificum prolaturus. Erga te autem Socrates bene atque amicè affectus sum. Itaque idem mihi erga te quod & Zetho erga Amphionem apud Euripidem, cuius modò mentionem feci, accidisse arbitror, talia enim nunc mihi quædam aduersus te dicere venit in mentem, quali a aduersus fratrem ille dicit. Profectò ea Socrates negligis, quæ curæ esse tibi conueniebat, atque adeò generosæ mentis præstantiam specie quadam puerili conformas, vtpote qui nec in iudiciis consultationibúsque, si vsus poscat, verba rectè facere, neque conueniens quicquam probabiléque eligere, nec aliis promptè consulere possis. Quare amice Socrates, ne mihi succenseas benevolentia enim erga te mea ad hæc proferenda nunc me adducit. Nónne turpe ducis sic comparatum te esse, quemadmodum arbitror, & te & alios omnes qui philosophiam diutius persequuntur? Nempe si te nunc quis, aut alium è cœtu vestro quempiam comprehendat, inque carcerem trahat, atque te iniuriam quamuis nullam inferas, inferre tamen accuset, certè quid ageres, non haberes: sed vacillares vertigine laborans osci-

tarésque,defensionis tuæ prorsus ignarus,proinde adductus in iudicium, vel ab ignauo abiectóque accusatore,vltimo supplicio,si modò illi placeret,afficerêris.Iam verò quomodo id ad sapientiam spectat,ô Socrates,si qua ars ingenuę mentis nacta virum,reddit deteriorem: adeò vt nec ipse sibi opem ferre valeat: nec ex grauissimis periculis se,aut alium quenquã seruare, sed inimicorum raptorúmque exponat iniuriis inglorium in ciuitate degentem? Iam verò eiusmodi virum, etsi dictu sit agrestius,licet super genam impunè pulsare. Quáobrem bone vir me audi, ac iam in vanis versari argutiis desine: decora rerum gerendarum exerce officia, atque ea ex quibus sapere videaris:ista verò arguta, siue deliramẽta appellari oportet, siue nugas, vnde vacuæ habitandæ tibi domus sunt,aliis relinque. denique imitare,non eos qui hæc exigua captãt, sed eos quibus victus, & gloria, & alia bona adsunt complurima. SOCR. Si aurea mihi, ô Callicles, anima foret, nónne arbitraris me libenter reperturum aliquem ex his lapidibus, per quos probari aurum solet optimum, ad quem animam admouens meam, si ab ipso quasi rectè sanata approbaretur, certò scirem me satis habere, nec probatione vlterius alia indigere. CAL. Quorsum hæc,ô Socrates? SOCR. Dicam equidem. Nempe arbitror, cùm te nactus fuerim, me iam pretiosum hunc lapidem esse nactum. CAL. Quam ob causam? SOCR. Quoniam certò scio ea quæ tu mecum senseris,in his quæ meus animus opinatus, fore procul dubio vera. Censeo namque in eo qui alicuius probaturus sit animam, vtrum illa quidem rectè instituta sit, néc-

ne,

ne,[a]tria potissimum requiri, quæ in re sunt omnia: scientiam primò:[deinde beneuolentiam,tertiò loquendi libertatem.] Nam multos equidem reperio qui me propterea recto examine probare non possunt, quòd sapientes non sunt,quemadmodum tu esse videris. Alij verò sapientes quidem sunt, sed veritatẽ mihi dicere nolunt,ex eo quòd mei curam nõ gerunt,vt tu geris. Peregrini verò isti, Gorgias,& Polus, sapientes quidem sunt, méque diligunt:verùm libertate loquendi minus valent, verecundioréque sunt, quàm oporteat. Quod quidem cuínam dubium esse possit? Quippe cùm eò vsque processerint verecundiæ,vt vtríque ob ipsam verecundiam in præsentia multorum hominum ausi fuerint sibiipsis de rebus maximis contradicere. Quibus omnibus quum alij careant, ipse habes.Principio es abundè liberaliter institutus, quod multi, si opus sit, confirmarent Athenienses, mihíque beneuolus, quod qua coniectura intelligam,tibi dicam. Noui equidem Callicles, quatuor vos in sapientiæ studio socios: te scilicet & Tisandrum Aphidnæum & Andronẽ Androtionis, Nausicydémque Cholargeum: atque cùm aliquando inter vos agitaretur, quousque sapientiæ studendum foret, ciusmodi apud vos vicisse sententiam audiui:non esse ad exactam philosophiæ diligentiam cõtendendum,sed cauendum ne vltra quàm deceat, sapientes facti clàm vosipsos deprauaretis.Quum igitur audio idem te mihi dare consilium,quod amicissimis tuis abundè magnum argumentum est veri amoris erga me tui. Postremò quòd non desit tibi libertas loquendi, nec te pudor impediat,& tu ipse affirmas, &

[a] *Tria requiruntur in eo qui ad aliorum animas probãdas sit lapis Lydius futurus.*

otatio quam paulò antè hîc habuisti, testatur. Cùm hæc igitur ita se habeant, siquid tu mihi in disputando concesseris, satis iam nobis probatum erit: neque oportebit ad examen aliud id referre: alioquin tu nunquam id mihi concessisses, vel sapientiæ defectu, vel verecundia adductus, vel decipiendi causa. Amicus enim mihi es, vt ipse ais. Reuera igitur mea tuáque confessio finem iam veritatis habebit. Harum verò consideratio rerum in quibus meipse corripuisti, omnium Callicles pulcherrima est: qualem esse virum deceat: quídque, & quousque tam in iuuentute quàm in senectute exercere cõueniat. Ego verò siquid in vita mea minus rectè ago, certum habeo me non sponte mea, sed inscitia potius aberrare, quamobrẽ tu quemadmodum admonere cœpisti, perge quæso, planéque mihi demonstra quídnam sit istud, & qua via consequi valeam, quod mihi quærendum arbitraris. Quòd si me consentientem tibi nunc habebis, postea verò quæ assensus fuerim minus præstare deprehendas, vecordem omnino ignauúmque me putato, neque vlterius in me admonendo quasi omnino perdito operam perdas. [a] Resume verò mihi ab initio, quemadmodum tu & Pindarus dicebatis: iustum id esse natura potentiorem per vim offerre ea quę imbecilliorũ sunt, & dominari meliorem deteriori, plúsque habere eum qui præstantior sit, quàm qui abiectior. Nunquid aliud dicis esse iustum? an rectè memini? CAL. Hęc & tunc dicebam, & nũc dico. SOC. Vtrum verò meliorem vocas eundẽ atque potentiorem? Neque enim tunc planè quid diceres intelligere potui, num validiores appellas potentiores? oportétque validioribus

[a] *Resumitur post digressionẽ disputatio, inter Callicle & Socratẽ qua examinatur superius allata distinctio inter ius naturæ & ius legis.*

bus infirmiores obtemperare? Quemadmodũ tunc videris demonstrauisse, cùm dicetes magnas ciuitates aduersus paruas naturali iure insurgere, propterea quòd potentiores atque validiores essent: quasi idem sit potentius validiúsque, & melius. An fieri potest vt aliquis melior quidem sit, inferior tamen atque imbecillior? Similitérque vt potentior sit, deterior tamen? Vel eadem melioris atque potentioris est definitio? Hoc ipsum mihi apertius explica, idémne an aliud sit potentius, & melius, atque valentius. CAL. Equidem manifestè tibi asserò idem esse. SOCRAT. Nónne multitudo ipsa natura vno potentior est? quæ quidem leges constituit super vnum, quemadmodum nuper ipse dicebas? CAL. Quídni? SOCRAT. Multitudinis ergo leges potentiorum sunt. CAL. Omnino. SOCRAT. Nónne igitur & meliorum? Qui enim potentiores sunt, vt ipse ais, multò sunt meliores. CAL. Sic certè. SOCRA. Nónne horum institutiones natura sunt rectæ, cùm potentiores sint? CAL. Sic affirmo. SOCRAT. Nónne multitudo statuit, quemadmodum nuper ipse dicebas, iustum esse seruari inter omnes æqualitatem: atque esse turpius iniuriam inferri quàm pati? Estne ita an aliter? Ac vide ne hîc tu quoque ob verecundiã capiaris. Constituit multitudo ista nécne? videlicet iustum esse seruari æquitatem, nõ autem aliũ alio plus habere: atque turpius esse facere iniuriam quam accipere? Nulla te Callicles inuidia quæso quo minus ad hæc respondeas detineat: vt si mecum sentias, abs te confirmer, tanquã viro ad iudicandum abũde sufficiente. CAL. Sic vtique statuit multitudo

[a] *Redarguitur Callicles & cogitur fateri nõ lege sola sed etiã ipsa natura turpius esse, facere iniuriam quàm pati.*

SOCR. [a] Non ergo lege sola, & turpius est facere iniuriam quàm pati, & iustum est æquitatem seruare, sed etiam ipsa natura. Quapropter videris in superioribus non verè dixisse, neque me rectè accusauisse: cùm contrarias inter se esse legem atque naturam affirmares, méque hæc animaduertentem Veteratorem in disputando præbere: atque si quis secundũ naturam loquatur, ad legem, si quis verò secundum legem, ad naturam deducere. CAL. Hic vir nunquam desinet in nugis versari Dic mihi Socrates, nónne te pudet tam grandem natu venari nomina? Atque si quis verbo excidat, tanquam id tibi lucro veniat, impensè captare! Putas me aliud dicere potentiores esse quã meliores? Nónne dudum dico idem esse melius atque potentius? An putas me dicere si fæx seruorum hominúmque vndique vilissimorum in vnum confluat, hos præterquàm fortasse corporis viribus esse potentiores: & quæ hi statuant esse iura? SOCR. Agedum, ô sapientissime Callicles, itáne dicis? CAL. Et maximè quidem. SOCR. At ego beate vir, iamdudum coniecto tale aliquid te potentius appellare: atque interrogo cupiens quid velis apertè cognoscere. Nónne enim duos meliores esse vno iudicas? neque seruos tuos te meliores, quia videlicet robustiores sint? Verùm rursus à principio dicas quos tandem velis esse meliores, quando non validiores: & vide precor, ô vir mirifice, vt mitius me doceas, ne à scholis tuis aufugiam. CAL. Ironicè loqueris. SOCR. Non per Zethum Callicles, quo tu fretus multa vsus aduersus me nunc es ironia. Verùm dic age, quósnam meliores appellas? CAL. Præstantiores equidem. SOCRAT.

VI-

Vides ergo te nomina duntaxat dicere:oſtendere verò nihil?non aperis meliores potentioréſque, [a] vtrum prudentiores an alios quoſdam eſſe dicas. CAL. Per Iouem hos dico,& maximè quidem. SOC. Sæpe igitur vnus prudens compluribus imprudentibus iuxta ſermonem tuum potentior eſt: atque hunc par eſt dominari, cæteros verò ſubeſſe, plúſque habere eum his quibus imperat. Hoc enim dicere mihi velle videris(neque verba aucupor.) ſi quidem vnus ſit multis potentior. CAL. At hæc ipſa ſunt quæ dico. Hoc enim arbitror ius eſſe natura:eum videlicet qui melior prudentiórque ſit,imperare, atque plus inferioribus poſſidere. SOCR. Siſte paruper, quid tandem ſentias,ſi hoc in loco,vt nunc congregati eſſemus multi:foréntque nobis communia eſculenta,& poculenta complurima: nos verò ex variis hominum generibus eſſemus conflati, partim quidem valid, partim verò imbecilles: vnus autem noſtrûm omnium circa hæc prudentiſſimus fortaſſe medicus: ac foret hic, vt conſentaneum eſt,aliis quidem robuſtior, aliis verò debilior:nónne hic prudentior, prę terea melior,quantum ad hæc pertinet, & potentior erit? CAL. Omnino. SOCR. Vtrum verò horum eſculentorum propterea plus illum quàm nos,quia ſit melior,capere decet? An potius ob eius præſtantiam omnia diſtribuere debet, neque in diſtribuendo pro ſe plus retinere (alioquin multandus ſit) ſed aliis plus, aliis minus habere: ac ſi omnium debiliſſimus ſit minimum ſibi quamuis optimo tribuere debet Callicles? nónne ita dicendum eſt ô bone? CAL. [b] De eſculentis,& poculentis,& medicis atque huiuſmodi nugis verba facis: ego

[a] *Excipit ſophiſta induens ſe in laqueũ per potentiores, meliores & prudẽtiores ſe intelligere.*

[b] *Tergiverſatio ſophiſtica impediẽs cõcluſionem elenchi quẽ effugere nõ poteſt.*

verò non de his loquor. SOCR. Vtrum igitur prudentiorem esse meliorem dicis, nécne? Responde. CAL. Equidem. SOC. At non oportet vt melior plus accipiat? CAL. Non de cibis atque potionibus. SOC. Intelligo, fortè enim de vestibus, atque oportet eum qui sit in conficiendis vestibus peritissimus, magnum habere pallium, ac multis pretiosisque ornatum incedere vestibus. CAL. Quas tu vestes mihi narras? SOC. At forsitan in calceis oportet eum plus accipere qui in eis prudentior sit, & melior: ac forsitan ipse coriarius maximos plurésque habere debet calceos, multósque suis pedibus circunferre. CAL. De quibus calceis nunc deliras? SOC. Quòd si nõ talia, saltem eiusmodi quædam dicis, seu virum in colendis agris prudentem, honestúmque & bonum, debere plus reportare feminis, plurimóque in suis agris vti. CAL. Quàm semper eadem dicis, ô Socrates! SOCR. Non solùm eadem Callicles, sed eisdem quoque de rebus. CAL. Per deos semper tu cerdones, coriarios, fullones, coquos medicos habes in ore, quasi de his instituta nobis disputatio fuerit. SOCR. Nónne ergo ipse dices aliquando, quibus in rebus potentior atque prudentior iustè possidere plus debeat? Vel neque me permittes dicere, neque ipse dices? CAL. At ego id iamdiu dico: primò quidem qui potentiores sint non enim cerdones dico, neque coquos, sed eos qui in administranda republica sint prudentes; neque prudentes solum, verumetiam fortes, qui ad ea quæ excogitauerunt perficienda aptissimi sint, neque animi mollitie vlla succumbant. SOCR. Aduertísne Callicles, non de eisdem me ab te, atque vicissim te à me accusa-

ris? Tu quidem me accusas quasi semper eadem repetam: ego verò te [a] contrà tanquam de rebus eisdem nunquam eadem afferentem, siquidem aliàs meliores atque potentiores esse definis validiores, aliàs autem prudentiores. Nunc præterea aliud quiddam affers. Fortiores enim nunc quidem abs te potentiores melioresque nominantur. Verùm age, ô bone, tandem explica, quos potissimum & ad quid meliores potentioresque appellas. CAL. Iam dixi, prudentes videlicet in reip. administratione atque fortes. Hos enim decet ciuitatibus imperare: idque iustum est, vt plus aliis habeant dominantes videlicet subiectis. SOCR. Quid verò? [istos dicis sibi imperare debere an verò parere?] CAL. Quomodo dicis? SOC. Dico num sibi quisque debeat imperare, an nihil opus sit, vt sibi quidem imperet, sed aliis duntaxat? CAL. Quomodo sibimet imperare dicis? SOCRAT. [b] Nihil obscurum dico, sed quemadmodum dicunt multi, temperatum, & sui ipsius compotem, voluptatibus suis cupiditatibúsque dominantem. CAL. Quàm festiuus es, Socrates! Stupidos homines nominas temperatos. SOCRAT. Quid ais? nemo est quin norit mē id minimè dicere. CAL. [c] Imò valdè quidem, ô Socrates. nam quomodo beatus esse potest qui alicui seruiat? [d] Cæterùm hoc est natura iustum atque pulchrum, quod tibi nunc audacter dico, oportere illum qui rectè vitam acturus sit, permittere cupiditates suas summopere augeri, nec eas vllo modo cohibere: atque his quàm maximis quicquid petunt subministrare ob fortitudinem atque prudentiam: & quemlibet earum affectum prorsus explere.

[a] *Sophistæ nunquā sibi constant, sed modò hoc, modò illud dicunt.*

[b] *Quid sit sibiipsi imperare.*

[c] *Quā cauet sophista ne redarguatur.*

[d] *Voces hominum iusti & iniusti, turpis & honesti discrimen omne tollentium.*

Quod quidem quia multi consequi nequeunt eos vituperant qui id assequuntur, ob verecundiam suam impotentiam abscondentes: ferúntque intemperantiam esse turpem, quemadmodum in superioribus ipse dicebam. Præterea in seruilem habitum deducunt melioris naturæ homines: ipsique cùm libidines suas explere nequeant, temperantiam atque iustitiam probant propter ignauiam. Verùm si his à principio contigisset, vt vel regum essent filij, vel ipsis natura sufficeret ad imperium, aut tyrannidem aut potestatem aliquam sibi comparandam, profectò nihil turpius peiúsque esset, quàm huiusmodi temperantia: qui cùm liceret ipsi frui bonis, nec impedirentur ab vllo, ipsi sibi dominam præfecerint multitudinis legem sermonémque, & vituperationem. Quo enim modo non miseri sint? Siquidem propter quandam iustitiæ, temperantiæque honestatem, nihil plus amicis quàm inimicis tribuerent, etiam dum in ciuitate sua dominarentur. Cæterùm, ô Socrates, veritas ipsa quam te sequi affirmas, ita se habet: luxuria, intemperantia, libertas, modò facultas suppetat, virtus est, atque felicitas. Cætera verò isthæc specioſa præter naturam adinuenta, hominum deliramenta sunt, & nugę penitus contemnendæ. SOCR. Non ingenerosè, ô Callicles, audacia vsus in disputando procedis. Sanè apertè nunc ea dicta sunt abs te, quæ alij cogitant quidem, dicere tamen nolunt: quamobrem te vt nullo modo desistas obsecro, vt reuera certiores efficiamur, qua sit ratione viuendũ. Dic ergo mihi, cupiditaes ais non esse coercẽdas, siquis optet esse talis, qualem oportet esse: imò permittendum mihi illas summopere auge-

augerisatque earum expletionem aliunde cõparandam: idq; ais esse virtutem? CAL. Aio equidem. SO. Si ita esset, non recte diceremur beati, qui nullius indigeant. CA. Alioquin & lapides & mortui felicissimi forent. SO. Veruntamen & illa quã tu dicis, grauis est vita. [a] Neque admirarer si ea de re verum Euripidis dictum esset, [b] *Quis nouit vtrum viuere quidẽ mori sit: mori autem viuere?* Et nunc fortè reuera mortui sumus. Audiui iam equidem à sapiente quodã nos nunc mortuos esse, corpúsq; nostrum sepulchrum esse nobis: partémque illã animæ in qua cupiditates sunt, [ita se habere quemadmodum persuasionibus aut impellitur aut reuocatur, ideoque illam sui dẽque agitari.] Itaque elegans quidam vir Siculus fortasse vel Italus fabulis veritatem adumbrans in hoc argumento hanc animi partem propter τὸ πιθανὸν & πειστικὸν, id est suasionem crudelitatémque lubricã alludens nomini, πίθον, id est dolium appellauit: Dementes verò prophanos [& sacris minimè initiatos.] [c] Horũ autẽ hanc animi partem quæ libidinib. agitatur, tanquã futilem ob incontinentiã inexplebilem perforatum esse dolium, inquit. Quãobrem hic vir contrarium tibi ostendit: eorum qui apud obscuros sunt inferos, eos esse miserrimos, qui tanquam omnino prophani damnati sunt, atque aquam in vas perforatum alio etiam perforato vase inferre coguntur. Esse autem hoc aliud vas, siue cribellum, vt dicebatis qui me docuit, dementium animum, quem ideò perforato vasi assimilauit, quòd propter diffidentiam obliuionémque nequeat infusum aliquid continere. Videbuntur hæc alicui quodammodo mira: demonstrant ta-

[a] *Testimoniis fabulis & similitudinibus conatur refellere Socrates famosam sententiam Sophistæ, & ostẽdere nihil miserius esse homine, cui cupiditates & voluptates imperãt.*

[b] *Viuere nostrum mors est.*

[c] *Anima libidinibus & cupiditatib. seruiens dolio pertuso similis.*

men quod volo, siqua ratione valeam persuadere tibi, vt mutata sententia pro inexplebili & incontinenti vitam moderatam præsentibúsque semper contentam rebus eligas. sed vtrum per hæc tibi aliquid persuadeo? vt mutata sententia beatiores qui temperatè viuant quàm qui intemperatè putes? an nihil etiam proficio? atque licet [multis eiusmodi fabulis veritatem adumbrem,]nihilò magis es sententiâ mutaturus? CA. Hoc,ô Socrates, verius sub iunxisti. SO. Agedum tibi similitudinem aliã ex eodem gymnasio adducã. Attende vtrum perinde de vtriusque vita,tẽperati scilicet atq; intemperati statuas,ac de duob. qui multa haberẽt vasa: & alter quidem integra atque plena partim vini,partim mellis, partim lactis, aliáque similiter aliorum : sint verò singuli hi liquores rari quidem & inuẽtu difficiles multísque & grauibus laboribus comparati. Is ergo cui plena sunt vasa,nihil superinfundere omnino curet: sed quantũ ad hæc attinet, quietem agat. Alteri verò liquores sint quemadmodum alteri : qui comparari quidem, sed tamen cum difficultate possint:vasa verò perforata atque fracta,ac die noctéque continuè illa implere cogatur,aut extremis molestiis agitetur. Quare cum talis sit vtriusque vita, temperatine an intemperati beatiorẽ esse ais? An persuadeo tibi his verbis,vt vitã hominis moderati meliorẽ esse quàm immoderati concedas?vel nondum persuadeo? CA. Nequaquam, ô Socrates. Nam illi cui plena sunt omnia,nulla amplius est voluptas:sed quemadmodũ modò dicebam quasi lapis viuit, postquàm semel impleuerit, neque voluptatem sentit amplius, neque molestiam. Dulcedo autem vitæ in multa

multa continuáque infusione consistit. SOC. An non necesse est si multum influat, multum vicissim effluere? latáque effluxui patere foramina? CA. Prorsus. SO. Charadrii auis tu rursus vitam dicis: non autē mortui aut lapidis: atque mihi respondē, nū tale aliquid dicas velut esurire atque esurientem comedere? CAL. Dico equidem. SOC. Et sitire sitiēmq; bibere? CA. Dico equidem: atque reliquis similiter cupiditatibus affectum esse, expleréque eas posse cum voluptate, beatam esse vitam affirmo. SOCRAT. Euge virorum optime, perge, vt cœpisti: nec te pudeat. Oportet autem, vt videtur, me quoq; pudore nō detineri, ac primùm mihi dicas vtrum scabiosum qui sese fricet, idque continuè facere queat, beatè viuere putandūm sit? CA. Quam ineptus es, ô Socrates, ac reuera popularis concionator! SO. Profectò, ô Callicles, Polum quidē & Gorgiam conterrui, & erubescere compuli. Tu verò caue ne terrearis, neque pudore impediare. Fortis nanque es, sed duntaxat respondē. CAL. Dico vtique fricantem quoque voluptuosè viuere. SO. Nónne si voluptuosè, etiam beatè? CAL. Proculdubio. SOCR. Vtrum si caput duntaxat fricet, vel amplius aliquid, à te quæro? Vide quid respondeas Callicles, si quis te deinceps quæ consequuntur interroget: atque his quasi capitibus concessis cinædorum istorū vita nequaquam grauis, turpis, infelix dicenda erit: an ipse audebis eos beatos dicere, si ad votum his, quæ cupiunt, potiantur? CALLI. An non te pudet, ô Socrates, ad ista sermonem deducere? SOCR. Egóne, ô generose vir, deduco? an ille potius qui adeò impudenter asserit eos qui oblectantur, quocunque modo

oblectentur, esse beatos? neque distinguit quæ voluptatum bonæ sint, & quæ malæ? [a] Verum nunc saltem dic, vtrũ idem esse asseras voluptatem atque bonum: an esse aliquid voluptuarium quod non sit bonũ? CAL. Ne mihi nõ cõsentiat sermo, si aliud esse dixero, idem esse dico. SOCR. Peruerti Callicles, illa quæ prius dicta sunt: nec amplius idoneus es ad illa quæ perscrutamur inuestiganda, siquidem aliter quàm tibi videtur es respõsurus. CAL. Enimuerò tu quoque Socrates. SOCR. Atqui neque ego rectè facio, si id facio: neque tu. Sed, ô beate, vide ne non sit hoc bonum omnino gaudere: alioquin quæ nunc obscurè significauimus multa & turpia atq; alia insuper quãplurima euenire videntur, si hoc ita se habeat. CAL. Vt tu quidem putas, ô Socrates. SO. Tu autem reuera hæc affirmas? CAL. Affirmo equidem. SOC. Vis ergo quasi te seriò loquente, disputationem aggrediamur? CA. Volo certè. SO. Age iam cũ huiusmodi sentẽtiæ sis, distinctè ad hæc mihi respõde. Vocásne aliquid scientiam? CAL. Voco. SO. Nónne fortitudinem quandam paulò antè scientiã esse dicebas? CAL. Dicebam sanè. SOC. Nunquid aliud fortitudinem, quàm scientiam, quasi duo hæc sint, dicebas esse? CAL. Maximè. SO. Voluptatem verò atque scientiam, idémne an aliud esse? CAL. Aliud sapientissime vir, dicebam. SOC. Num & fortitudinem à voluptate differre? CAL. Quídni? SO. Age itaque, vt hæc meminerimus. Callicles quidẽ Achatneus voluptatem bonúmque idem esse dixit: sed scientiam & fortitudinem tum inter se, tum à bono differre. Socrates autem Alopecæus ista concedítne, an non? CAL. Non

[a] *An Iucundũ & Bonũ Vnum & Idem sint: id affirmãs Callicles redarguitur postea à Socrate.*

conce-

concedit. SOC. Arbitror autem neque Callicle talia conceſſurum, vbi ſeipſum rectè conſiderauerit. Dic mihi enim, felices, & infelices nõne contrario modo affici putas? CAL. Puto equidem. SOC. [a] An non ſi contraria hæc eorúmque affectiones inuicem ſunt, neceſſe eſt ea ita ſe habere, quemadmodum ſanitas atque morbus? non enim aliquis ſanus ſimul eſt atque ægrotat, neque ſimul ceſſat ſanitas atque morbus. CAL. Quo pacto dicis? SO. Aſſumpto toto ſi vis corpore ita conſidera, ægrotátne alicuius oculi eo morbo, qui ophthalmia nominatur? CAL. Eſto. SOC. Nunquid ſimul ſani ſunt? CA. Non. SO. Quãdo verò eo morbo quis liberatur, nunquid tunc ſanitas oculorum ceſſat? & tandem morbus ſimul ſanitáſque diſcedunt? CAL. Minimè. SOC. Mirum nanque, vt arbitror, abſurdúmq; id foret. CA. Nimium quidem. SOC. Sed, vt puto, ex parte capit, & amittit vtrunque. CAL. Aſſentior. SOC. Robur quoque imbecillitatémque ſimiliter. CAL. Certè ſimiliter. SOC. Velocitatem rurſus, & tarditatem. CA. Certè. SOC. Nónne & bona felicitatémque, & horũ contraria mala videlicet atque miſeriam, per vices accipit vtraque, per vices amittit? CA. Omnino. SO. Siqua ergo reperiamus à quibus aliquis liberatur ſimul & habet, nimirum hæc nõ ita ſe habent, vt alterum quidem eorum bonum ſit, alterum verò malum, hæcne confitemur? Quid reſponſurus ſis, conſidera diligenter. CA. Fateor proculdubio. SO. Age vtique ad illa quę prius conceſſimus, reuertamur. Eſurire voluptuarium dixiſti eſſe, an moleſtum? De fame ipſa interrogo. CA. Moleſtum equidem. SOC. Tamen eurientem comedere voluptuarium?

[a] *Contraria non ſunt ſimul in eodẽ ſubiecto.*

CA. Affirmo. SO. Intelligo at verò fames ipsa molesta est, an non? CAL. Molesta. SO. Nónne & sitis? CAL. Vehementer. SO. Vtrũ ergo amplius à me quæri vis? an confiteris indigẽtiam omnem atque cupiditatem doloris esse participem? CA. Confiteor: ne vltra quæras. SO. Esto. Sitientem verò bibere voluptuariũ esse dicis? CA. Dico. SO. Ex hoc ergo quod ais sitientem quidem esse, doloroſum est. CA. Est. SOCR. Bibere verò expletio est indigentiæ atque voluptas. CA. Ita. SO. Nunquid ergo qua ratione bibit, gaudere dicis? CA Maximè. SO. Quatenus verò sitit, dolere? CA. Certè. SO. [a] Sentis igitur quid sequatur? videlicet fateri te dolentem gaudere simul quando sitientẽ dicis bibere? An non simul id enenit eodem in loco atque tempore? sine animâ siue corpus respicias? Nihil enim refert, vt arbitror. Itáne est an aliter? CA. Ita. SO. Veruntamen felicem esse simul & infelicem, impossibile esse dixisti. CA. Equidem. SO. At verò dolentem gaudere posse confessus es. CA. Apparet. SO. Quapropter gaudere non idem est atque esse felicem: neque dolere idẽ quod infelicem esse. Ideóque aliud voluptas est quàm bonũ. CAL. [b] Nescio quid commenteris. SO. Imò scis, sed fateri non libet: at perge quæso respondendo, vltrò enim deliras, vt quàm sapiens sis agnoscas, qui me castigas. Nónne vnusquisque nostrum sitire desinit, atque simul gaudere propter potum? CA. Nescio quid dicas. GOR. Nequaquam ita ô Callicles: Imò responde nostri gratia, vt disputatio concludatur. CAL. At enim semper talis est Socrates, ô Gorgia. Exigua enim, & nullius momenti perquirit atque redarguit. GOR. Quid tua refert? non enim hoc

[a] *Redarguitur Callicles eo quod dixerat Bonũ & iucundũ vnum & idem esse. hæc enim posito vno & eodẽ tempore, eũdem, secundum idem beatum & miserum esse sequetur.*

[b] *Tergiuersationis sophisticæ exemplum.*

hoc tuum officium est, sed [pollicitus es Socra-
i te permissurũ,] vt arguat arbitratu suo. CA.
Quære igitur Socrates de angustis ac vilibus i-
tis, quãdo id Gorgiæ placet. so. Beatus es, ô
Callicles, qui magna consecutus * mysteria sis * locus.
pri⁹ quã parua? Ego verò id fas esse nõ iudica-
bã. Sed iam resumens vbi reliquisti respondε.
An non simul desinit quis sitire atque gaude-
re? CA. Cõcedo. so. Nõnne & famescere aliás-
que cupiditates habere simul atq; voluptates
desinit? CA. Ita est. so. An non ergo dolores,
& voluptates simul habere desinit? CA. Ita. so.
Veruntamẽ à bonis, & à malis nõ similiter ces-
sat: vt tu modò fatebaris. Nũc verò nõ cõfite-
ris? CA. Equidẽ. Sed quid tum? so. Nempe nõ
eadẽ sunt ô amice bona, & voluptuaria: neque
mala eadem atque molesta. Ab his enim quis
simul cessat: ab illis verò nequaquam, vtpote
aliis. Quánam igitur ratione voluptuaria eadẽ
sint atque bona? vel molesta eadem atque ma-
la? a Iam verò si vis, hoc rursus pacto conside-
ra. Arbitror enim nec hac ratione te tibi ipsi
consentire. Attende igitur: bonos viros nónne
bonorũ præsentia bonos vocas? quemadmodũ
pulchros eos quibus pulchritudo adsit appel-
las? CA. Equidem. so c. Quid verò? bonos vi-
ros appellas dementes & timidos? non certè
paulò antè, imò fortes prudentésque dicebas.
Nónne hos ipsos nuncupas bonos? CA. Om-
nino equidem. so. Dementem autem puerum
vidisti vnquã voluptate perfundi? CAL. Vidi.
so c. Virum autem dementem vidisti aliquan-
do affici voluptate? CA Opinor me vidisse. Sed
quorsum hæc? so c. Nihil refert sed respondε.
CA. Vidi. so. Quid verò? sanæ mentis virum
dolentem vidisti atque gaudentẽ? CA. Certè.

a *Alio modo redarguitur Callicles, eadem thesin.*

SOC. Vtri verò magis gaudent atque dolent, prudentésne, an imprudentes? CAL. Haud multum differre arbitror. SO. Satis est istud. In bello autem vidistíne vnquam virum timidum? CAL. Quídni? SOC. Quid verò cùm recederent hostes, viri videbantur tibi magis gaudere, timidíne, an fortes? CAL. Vtrique mihi magis gaudere, vel saltem similiter. SOC. Nihil refert. gaudent igitur & timidi. CAL. Magnopere. SOC. Et dementes, vt apparet. CAL. Et isti SO. Cùm verò hostes aduentant, solíne dolent timidi an etiam fortes? CAL. Vtrique. SOC. Num similiter? CAL. Fortè magis timidi. SO Abeuntibus autem nónne magis gaudent? CAL. Fortè. SOC. Non igitur dolent atque gaudent imprudentes atque prudentes, timidíque & fortes similiter, vt ipse ais: magis autē timidi quàm fortes? CAL. Aio equidem. SOC. Veruntamen prudentes quidem, & fortes boni sunt: timidi verò atque imprudentes mali. CAL. Ita est. SOC. Quamobrem æquè gaudent atque dolēt, & boni, & mali. CAL. Assentior. SO. An ergo æquè boni malíque sunt hi qui boni sunt, & qui mali? an potius boni duntaxat qui boni sunt, mali verò qui mali? CAL. Per Iouem nescio quid dicas. SOC. An ignoras dixisse te bonos bonorum præsentia esse bonos: malos verò malorum? Bona autem voluptates esse: mala verò dolores? CAL. Equidē. SO. Nónne igitur his qui oblectantur adsunt bona, videlicet voluptates? si quidem oblectantur. CAL. Quid prohibet? SO Nū præsentibus bonis boni sunt qui delectantur? CAL. Sunt. SO. Et dolentibus adsunt mala, scilicet ipsi dolores? CAL. Adsunt. SOCR. Malorum verò præsentia malos esse dicis qui mali sunt, nónne adhuc dicis?

CAL.

CAL. Equidem. SOC. Boni ergo sunt qui gaudent: mali verò qui dolent. CAL. Maximè. SO. Et qui magis, nimirum magis, quive minus, & hi minus: & qui pariter, æquè. CAL. Ita. SOC. Nunquid ais ita gaudere atque dolere prudẽtes vt imprudentes: turſúſque timidos atque fortes? an magis etiam timidos? CAL. Aio. SOC. Reputa igitur vnà mecum quid nobis ex his quæ conceſſa ſunt eueniat. * Bis enim atque ter pulchrum eſſe ferunt ea quæ pulchra ſunt dicere atque conſiderare. Bonum quidem eſſe prudentẽ fortémque diximus, néne? CAL. Diximus. SO. Malum verò imprudentem & timidum? CAL. Prorſus. SO. Bonum autem rurſus eum qui gaudeat? CAL. Ita. SO. Malum verò eum qui doleat? CAL. Neceſſe eſt. SOC. Dolere verò atque lætari bonum malúmque ſimiliter: forte etiam magis malum? CAL. Certè. SOCR. Similiter ergo quis bonus fit, & malus bono, vel potius ipſe malus fit magis bonus, an non hęc & ſuperiora illa ſequuntur, ſiquis voluptuaria eadem eſſe dixerit atque bona? An non neceſſariò hæc ſequuntur Callicles? CAL. [b] Iamdudũ te auſculto Socrates, tibíque concedo, animaduertens ſiquis vel ioco aliquid tibi dederit, id puerorum more libentius te arripere: quaſi verò exiſtimare debeas vel me vel alium quenquam non arbitrari alias voluptates eſſe meliores: alias verò deteriores. SOC. Hui, hui ô Callicles, quàm aſtutus es! me quaſi puerum ludis, quandoque in hunc modum rem habere aſſerens, quandoque aliter, me decipiens, atqui non arbitrabar ab initio vltro deceptũ iri abs te, cũ ſis amicus. Nunc autem nimium me fefelliſti: atque, vt videtur, quemadmodum vetus habet prouerbium, ne-

* Εἰς καὶ τρὶς τὸ καλὰ prou.

[a] *Redarguitur Callicles, & cùm poſuerit bonum & voluptatẽ idẽ eſſe in abſurdum deducitur, nempe malos magis bonos ipſis bonis fore, quia interdũ plus gaudeãt, quàm boni.*

[b] *Elẽchũ ſuperiorem effugere conatur Callicles obiecta diſtinctione inter bonas & malas voluptates.*

Proverb. cessariò adducor vt eo quod adest pro viribus bene vtar: & quod tu das accipiam. Est autem, ni fallor, quod nunc affers, eiusmodi: voluptatum alias quidem bonas esse, alias verò malas, nunquid? CAL. Proculdubio. SOC. Bonæ verò nonne quæ vtiles? Malæ autem quæ noxiæ? CAL. Ita certè. SOCR. Vtiles autem quæ boni aliquid afferunt: Noxiæ verò quæ mali nonnihil? CAL. Assentior. SOCR. Num igitur tales dicis, velut in corpore quas modò dicebamus, edendi bibendique voluptates? Nunquid enim ex his illæ quæ valetudinē præstant corpori, aut robur, aut aliam quandam corporis virtutem, bonæ sunt: quæ contrariæ, malæ? CAL. Prorsus. SOC. Et dolores eodem pacto alij boni sunt, alij mali? CAL. Nihil prohibet. SOC. Bonas quidem voluptates & dolores bonos eligere oportet & prosequi. CAL. Prorsus. SOC. Contrà verò nequaquam. CAL. Manifestum est. SOC. Nempe bonorum gratia agenda esse omnia ego & Polus consensimus, an meministi? & tibi similiter videtur hic esse finis omnium actionum: [a] ipsum scilicet bonum eiusque gratia cætera omnium facienda, non autem ipsum gratia reliquorum? An tertius in hanc sententiam nobis accedis? CAL. Equidē. SOCR. Quamobrem bonorum gratia oportet & alia, & voluptates sequi, non autem bona gratia voluptatum. CAL. Prorsus. SO. An ergo cuiusque viri est eligere quænam ex rebus quę delectant bonæ sunt, quæve malæ? An potius artificiosi viri opus est vtrunque? CAL. Artificiosi. SOCR. Recordemur ergo illorum quæ ad Polum Gorgiámque dixi. Nam si meministi, esse facultates quasdam dicebam [quæ parent & conficiant: aliæ quidem voluptatem

[a] *Bonū finis est omnium actionū humanarum.*

duntaxat, quid melius deteriúsve sit ignorantes, aliæ verò quid bonum malúmve sit cognoscentes.] Ponebam præterea earum quæ circa voluptates versantur, coquinariam circa corpus peritiam, sed non artem: earum verò quæ ad bonum intendunt, medendi artem. Et per Iouem amicitiæ præsidem precor, ô Callicles, ne aduersus me ioceris: neque quicquid tibi occurrit respondeas, neque etiam rursus hæc à me veluti iocum accipias. [a] Vides enim ea de re nobis esse sermonẽ, qua nihil magis nosse virsanæ mentis contendat: quemadmodum videlicet sit viuendum: vtrum quemadmodũ tu hortaris, illa agẽdo quæ viri dicis esse officia, dicentem ad populum, & Rhetoricam exercentem, rem præterea publicam gubernantem, ceu vos in præsentia gubernatis: an potius vita sit hęc philosophica capessẽnda, & qua in re hæc vita differt ab illa. [b] Fortè verò operæpretium est, quemadmodũ incœperam paulò ante distinguere: atque deinde cùm nobis de distinctione conuenerit, si hæc duplex vita est: considerare quid interſit, & qua potius viuendũ. Fortassis nondum quid dicam intelligis. CAL. Nondum certè. SOCR. At planius dicam, postquam confessi vterque sumus, esse quidem aliquid bonum, esse quoque aliquid voluptuarium: sed aliud voluptuarium esse, quàm bonum: atque vtriusque horum studium, & apparatum quendã esse ad ea comparanda: alterã videlicet venationem boni, alteram voluptatis: hoc ipsum primò antequã vlterius procedam, assentiris mihi nẽne? CAL. Assentior. SOCR. Age de illa quæ ad hos dicebã mihi assentire, si modò vera esse loqui tibi sum visus. Constanter enim affirmabam non videri mihi

[a] *Grauis est deliberatio quæ de vita rectè instituẽda suscipitur.*

coquinariam esse artem, sed experientiã quandam. Medicinam verò esse artem, propterea quod medicinæ facultas illius quod curat naturam, & causam eorum quæ agit expendit, ac horum cuiusque reddere rationem potest. Altera verò voluptatis facultas ad ipsam voluptatẽ circa quam totum eius versatur studiũ, omnino absque arte procedit, neque voluptatis ipsius naturam considerans, neque causam: temeraria prorsus, vt ita dixerim, neque pensi habens quicquã, sed vsu quodã atque experiẽtia & memoria eius quod accidere consueuerit solũ freta, voluptates studiosè parat. Hæc ergo primùm perpende, nũ sufficienter tibi dicta videantur. Nunquid præterea esse putes tales quasdã circa animã facultates, alias quidẽ artificiosas, videlicet eius quod sit animæ optimũ curã gerentes: alias verò id negligentes, dũ solùm cogitant quemadmodum & de corpore diximus, quo pacto oblectare animũ queant. Quæ quidem vtrum melior an deterior sit voluptas, minimè cogitant: neque aliud quicquã curãt, quàm vt oblectẽt, siue melius id sit, siue deterius. Mihi quidem videntur esse tales aliquæ facultates, vniuersúmque id ministeriũ adulationem esse duco, tam circa animam, quàm circa corpus: & omnino circa aliud quodlibet cuius voluptatem quis affectat, nulla prorsus melioris deterioris ve adhibita ratione. Tu verò vtrum in eandem nobiscum sententiam conuenis, an dissentis? CAL. Minimè quidem, imò consentio, vt tibi quandoque disputatio concludatur, & huic Gorgiæ gratificer. SOCRAT. Nunquid hoc circa vnam quidem est animam? Circa verò duas, vel plures non est? CAL. Non ita, sed & circa duas, &

duas,& circa multas.SOC. Nónne & multis in vnũ conueniẽtibus,gratificari quis poteſt abſque vlla eius quod eſt optimum ratione?CAL. Sic arbitror. SOC. Potéſne dicere quæ ſtudia ſint quæ hoc efficiant? Imò ſi vis me quærente, eam quidem quæ talis tibi videtur, concede eſſe talem. Quæ verò non talis,nega. Principio tibicinariam conſideremus, an non tibi hæc videtur eſſe talis, vt aliud nihil quàm aures delectare curet? CAL.Mihi quidem.SOC.Nũ & aliæ omnes eiuſmodi, qualis citharíſtica qua in certaminibus vtuntur?CAL.Certè. SOC. Quid doctrina chori dithyrãborũmq; poeſis, nónne eiuſmodi tibi eſſe videtur? An putas Cineſiã Meletis filiũ, vt tale aliquid dicat,vnde audientes meliores reddantur ſpectare?Vel potius vnde ſpectatorũ turbæ placere poſſit? CAL. Manifeſtum quidem hoc eſt,ô Socrates, de Cineſia.SOC. Pater verò eius Meles,an ad id quod optimũ eſſet, proſpicere videbatur, cùm ad citharã caneret?Vel ipſe profectò ne ad voluptatem quidem? nam moleſtus audiẽtibus erat. Verùm conſidera,nónne citharœdica facultas omnis,dithyramborúmque poeſis oblectandi gratia tibi videtur inuenta? CAL. Mihi quidem. SOC. Quid autem præclara hæc tragœdia atque admiranda poeſis molitur? Nunquid ſtudium eius conatúſque ad audientium voluptatẽ ſolùm tendit? vel ſi quid voluptuarium quidem atque gratum ſit, ſed tamen malum, id cauebit ne vnquam dicat? Contrà verò, ſi quid moleſtum,attamen vtile fuerit, id & dicet, & canet, oblectentur nécne audientes? Sed quídnam tragœdorũ poeſis elaborare maximè tibi videtur? CAL. Conſtat eam ad voluptatem gratiámque ſpectantium potius

declinare. SOC. Hoc ipsum paulò antè adulationem esse diximus. CAL. Planè. SOC. [a] Age vtique, si quis auferat ex tota poesi concentũ, & rhythmum, atque mensuram, aliúdne quicquam præter sermones quosdã supererit? CA. Idipsum. SOCR. Profectò ad turbam populúmque hi sermones habentur. CAL. Proculdubio. SOC. Popularis ergo oratio quædam est poesis. CAL. Apparet. SOC. Nónne rhetorica quoque popularis est oratio? An nõ rhetorica in theatris vti poetæ tibi videntur? CAL. Mihi quidem. SOCR. Nunc ergo inuenimus rhetoricam quandam ad populum talem, qualis est puerorum simul & mulierum virorúmque, & seruorum atque liberorum. Quam quidẽ haud valdè probamus: quippe cùm adulatoriam eam esse confessi sumus. CAL. Sic est profectò. SO. Agedum, quid de ea dicemus rhetorica, qua ad Athenienſium aliarúmque ciuitatum populos ex viris liberis conflatos vtuntur? Qualis ea est? Vtrum tibi videntur oratores ad id semper quod optimum sit, verba dirigere: id duntaxat spectantes, qua ratione ciues quàm optimi ex eorum orationibus euadant? an potius hi quoque gratiam auditorum aucupantur boni duntaxat proprij gratia, publico interim neglecto commodo? Nam perinde atque pueros, populũ tractant, intenti duntaxat ad gratiam: nihil verò curantes, vtrũ ob hoc meliores, aut deteriores reddantur. CAL. Haud simplex id est quod interrogas. Sunt enim qui in orãdo vtilitati ciuiũ consulũt: sunt & alij tales, quales ipse narras. SOC. Satis est. Si enim & hoc est duplex, alterum quidem eius membrum adulatio erit turpísque concionatio: alterum verò pulchrum, studere videlicet,

[b] *Poesis tragadorũ imprimis & Rhetorica ad voluptatem multitudinis duntaxat comparata.*

vt

vt animi ciuiũ quàm optimi fiant, ſemper pro audientiũ vtilitate certando, ſiue placeant, ſiue diſpliceant quæ dicuntur. Verùm tu certè rhetoricam eiuſmodi vidiſti nunquã. Quod ſi inter oratores talem quempiam habes, cur non & eum mihi oſtendiſti? CAL. Per Iouem ex oratoribus qui nunc ſunt, talem habeo nullũ. SOC. Num autem inter veteres aliquem indicare potes, per quem Athenienſes facti aliquando ſint meliores, poſtquàm ille orare cœperit, cùm praui antea fuerint? Ego enim quis ſit talis, ignoro. CAL. Quid verò Themiſtoclem? non audis virum bonum fuiſſe? & Cimonem, & Milciadem, atque Periclem hunc nuper vita functum? quem ipſe quoque orantem audiſti. SOCR. Siquidem eſt, ô Callicles, vera virtus, quam in ſuperioribus ipſe dicebas, cupiditates videlicet ſuas, aliorúmque explere. At ſi id alter habet, atque veluti poſteà in diſputando fateri cõpulſi ſumus cupiditates illas quæ meliorem efficiunt virũ, exequi oportet, alias verò minimè atq; huius rei cùm ars quædam extet, artificémne eius aliquẽ demonſtrare mihi potes? CAL. Non habeo equidem quid dicam. SO. At verò ſi ritè quæſiueris, inuenies. Videamus iam ſic ſedatè & quietè conſiderantes, num aliquis horum talis extiterit. Dic age, bonus vir atque ad id quod optimũ ſit, verba faciens, non temerè dicet. ſed ad aliquid certè proſpiciet: quemadmodum & alij omnes artifices, quorum ſuũ quiſque opus obſeruat, nec caſu quod ad ipſum opus conferat, eligit, ſed quemadmodum ad propoſitum ſibi exemplar opus ſpeciem aliquẽ conſequatur. Veluti ſi intueri placet pictores, & architectos, & fabros nauiũ, alióſque omnes artifices: quiuis eorum

in ordinem quendam singula vbiq; disponi cogítque alia aliis conuenire atq; congruere, donec totum constituatur quodã ordine exornatum. Id ergo omnes agunt artifices, atque hi quos in superioribus dicebamus, pædotribæ & medici similiter faciunt circa corpus. Ornãt .n. ipsum atque cõponunt. Confitemur id ita se habere, nécne? CA. Sic ita. SO. Domus igitur ornatum & ordinem assecuta, bona erit. si minus, mala. CA. Assentior. SOC. Et nauigiũ eodem pacto. CA. Eodem. SO. Atqui & corpora nostra similiter. CA. Similiter. SO. Quid verò animus, si ordinis fuerit expers, num bonus erit? an potius si ordinis ornamentiq; cõpos? CAL. Necessariũ est ex superioribus hoc quoque fateri. SOC. Quod ergo nomen est ei quod in corpore ex ordine ornatúque efficitur? CAL. Sanitatẽ & vires fortasse dicis. SO. Dico equidem, quod verò nomen ei quod in animo ex ordine fit atque ornatu, conare inuenire atque exprimere huius quemadmodũ & illius: CAL. Cur non ipse dicis Socrates? SO. Si ita tibi placet, dicam: tu verò si vera loqui videbor, concedito: sin minus, reprobato: nec vllo modo cõdonato. Mihi quidẽ videtur ordinationi corporis nomen esse sanum, ex quo in ipso fit sanitas, aliaque corporis virtus. Itáne est an aliter? CAL. Ita. SOC. [a] Animi verò ordinationi atque ornatui, legitimum léxque esse nomen, vnde legitimi fiunt homines atq; decori, hæc verò sunt iustitia atq; temperãtia. Assentiris, nécne? CA. Esto. SOC. An non igitur ad hæc artificiosus ille rhetor & bonus respiciens, verba sua hominum animis adhibebit: actionésque omnes, & quicquid vel concedet aliquãdo, vel negabit, ad id semper intendet,

[a] *Legitima ordinatio animi est iustitia et tẽperantia cæteraruṁque virtutũ chorus, ad quas in animis auditorũ ingenerandas tendere debet bonus orator.*

det,vt ciuium animis iustitia quidem insit,iniustitia verò absit: rursus adsit temperãtia,intemperantia verò eiiciatur, cæteræque virtutes colantur, prauitas expellatur? Concedis nécne? CAL. Concedo equidem. SO. Quidnã enim confert, ô Callicles, corpori ægrotanti maléq; affecto, cibos multos suauissimósque præbere,aut potum,aut aliud quippiam quod non sit profuturum plus quàm contratiũ: aut etiã minus,secundum iustã rationẽ? Sunt hæc, vel non? CA. Sint. SO. Non enim prodesse arbitror hominiin afflicto corpore viuere. Sic enim necesse est viuere malè,nõne ita est? CA. Ita. SOC. Nónne & cupiditatibus satisfacere, veluti esurientẽ comedere quantũ vult, vel sitientẽ bibere quatenus placeat, sanũ quidẽ hominẽ medici plerunque permittunt: ægrotantẽ verò nunquã, vt ita dixerim, appetitus suos implere permittunt? Concedis hoc & ipse? CA. Concedo. SOC. [a] Ad animum quod attinet, an non eadem est oratio? Quatenus enim prauus sit & demens,atque intẽperãs iniustúsque & impius,coercendus nimirũ est à cupiditatibus,neq; permittendus alia facere quàm illa ex quibus euadat melior. Consentis nécne? CA. Consentio. SOC. Ita enim ipsi animo expedit. CA. Prorsus. SOC. Nónne coercere, est his quæ cupit,continere? CA. Est. SO. Continentia igitur melior est animo quàm incontinentia, quemadmodum ipse modò statuebas. C[illegible]elcio quid dicas Socrates, itaque alium quemuis interroga SO. Hic non sustinet vt ipsi quod vtile sit,afferatur, atque eam de qua nunc sermo habetur, continentiã cõsequatur. CA. Nulla omnino tuorũ mihi verborũ cura est, ô Socrates, atque hactenus Gorgiæ gratia

[a] *Vt corpori ita etiã animo ægroto sui arbitriũ non est relinquendum.*

tibi respondi. SO. En quid ergo agemus? nunquid sermonem medium abrumpemus? CAL. Ipse videris. SOC. At nefas esse aiunt in medio relinquere fabulas, imò colophonem imponẽdum esse, ne absque capite oberrent. Respondeergo ad reliqua vt sermo hic noster caput sortiatur. CAL. Quàm violentus es, ô Socrates! Profectò si mihi credis, hanc disputationem iam dimittes, vel cum alio disputabis. SOCR. Quisnam vult alius, ne imperfectum relinquamus sermonem? CAL. An non ipse sermonem potes percurrere, vel enarrando, vel tibimet respondendo? SO. Ne mihi Epicharmi illud accidat, quæ prius narrabant duo, nunc ad illa vnus sufficiam. Veruntamen videtur sic omnino necessarium esse. Si tamen id faciemus, puto equidem oportere nos omnes certatim ad id contendere, vt quid in his quæ dicimus, verũ quidue falsum sit, cognoscatur. Commune enim est hoc in omnibus bonum, vt hoc vnicuique constet: prosequor igitur ego ipse sermonem, quo pacto se habere videtur. Quòd sicui vestrûm fortè mihi ipsi quæ vera non sint, videbor concedere, vestrum erit obiicere atque redarguere. neque enim tanquam sciens dico illa, sed verum vobiscum communiter indagans. Quapropter siquid rectè dicere videbitur qui me repræhenderit, ego primus assentiar. Hæc tamen ea mente dico, si modò sermonem perficiendum esse putatis. Sin minus, omittamus iam atque abeamus. COR. At enim nondum mihi abeundum videtur, imò disputationem à te esse perficiendam. Puto autẽ cæteris quoq; idem videri, & ipse percupio reliqua ex te ipso audire. SO. Atqui, ô Gorgia, libenter adhuc cum Callicle disputarẽ, do-

donec pro Zethi oratione Amphionis dictum illi redderem. Sed quando tu Callicles disputationem recusas perficere mecum, saltem ausculta atque argue, siquid minus rectè dicere tibi videbor, quòd si me redargueris, haud infestus ero tibi, quemadmodum mihi tu, sed pro maximo beneficio id adscribam. CAL. Dic tu ipse bone vir, & quod instituisti absolue.

SOC. [a]Audi me igitur disputationem ab initio repetentem. An idem est voluptas atque bonū? certè non idē, vt ego & Callicles confessi sumus. An voluptatem boni gratia, vel bonū gratia voluptatis sequi debemus? CAL. Voluptatem certè gratia boni. SO. Est autem voluptas qua præsente gaudemus. Bonū verò quo præsente boni sumus. CAL. Prorsus, SO. Boni verò sumus, & nos & quæcunq; alia ob præsentem virtutem quandā. Sic enim, ô Callicles, necessarium esse mihi videtur. At virtus cuiusque siue instrumenti, siue corporis, siue animę siue animantis non temerè vtique optimè adest sed ordine, rectitudinéque, & arte quæ horum cuiq; tradita sit. Nunquid hæc ita se habent? CAL. Mihi quidem sic se habere videntur. SO. Quāobrē ordine ordinatū ornatúmq; esse est cuiusq; virtus. CA. Nēpe sic ego faterer. SO. Itaq; ornatus quidā proprius vnicuiq; insitus, quodlibet efficit bonū. CA. Mihi quidē sic apparet. SOC. Quapropter anima quę proximū habet ornatū, melior est illa quæ natus est expers CA. Necesse est. SO. Iāverò quę habet ornatū, ornata est atq; modesta. CA. Quídni? SO. [b]Talis verò est & temperās. CA. Necesse est omnino. SO. Quæ verò tēperans, est & bona. Equidē, ô amice Callicles, quo pacto aliter dicam, non inuenio. Tu verò siquid habes aliud, doce.

[a] *Complexio est & recapitulatio quædam tertiæ disputationis quæ cōtinet integrū elenchū superiorū opinionū quas defenderat Callicles, & assertionē oppositarū sententiarum.*

[b] *Verus ornatus animæ constat ex omnium virtutum simul connexarū choro.*

CAL. Dic tu bone vir. SOC. Dico igitur si temperatus animus bonus est, consequi vt qui cõtrà atque temperatus affectus est, sit malus. Est verò talis intemperatus animus & incontinens. CAL. Sic est omnino. SOCR. Temperatus autem agit decentia erga deos atque homines. Non enim temperatus esset, nisi decorum seruaret. CAL. Necesse est sic esse. SOCR. Proinde qui decentia inter homines agit, iustè agit: & agens similiter erga Deos, agit piè. Eum verò qui iusta piáque agit, necesse est esse iustum atque pium. CAL. Sic veritas habet. SOCRAT. Præterea fortem hunc esse necesse est. Non enim temperati viri est, vel prosequi, vel fugere aliter quàm decet, imò oportet & res singulas, & homines ipsos, & voluptates atque molestias, tum fugere, tum prosequi, tum etiã tolerare vbi sit opus. Quamobrem omnino necessarium est temperatum virum, cùm, vt diximus, iustus & fortis sit & pius, esse perfectè bonum. Bonum verò bene honestéque agere quicquid agat. Eum autem qui bene agit, felicem esse atque beatum. Improbum verò ac malè agentem esse miserum. Talis autem est qui aliter est affectus quàm temperatus: videlicet qui intemperatus est, quem ipse laudabas. Ego igitur hæc ita statuo, & esse vera sentio. Quãobrem si ita se res habet, quicunque optat beatus fore, temperantiã sequi exerceréque debet: intemperantiam verò fugere, quantum cuiusque nostrum pedes valent: atque ita sese cõparare, vt non indigeat castigatione atque pœna: si verò indigeat vel ipse, vel alius quiuis familiarium, siue priuatus, siue ciuitas, adhibita pœna coercendus est, si modò futurus sit beatus. Hoc mihi videtur esse signũ ad quod prospi-

spicientes dirigere vitam debēmus. omnia tā publica quā priuata ad hoc referentes, vt iustitia & temperantia illi adsit qui futurus sit felix: non autem cupiditatibus omnia permittenda sunt: quas explere conari: inexplebile malum est. latroniſque more vitam agere. [a] Neque enim cuiquā hominum is qui eiusmodi est, charus vnquam erit, neque Deo: quippe cui societas cū aliis nulla esse possit. Cui verò non sit societas, ei nec amicitia vnquam constabit. Tradunt autem sapientes, [b] cœlum & terram, Deósque & homines societate quadam & amicitia, modestóque ornatu & temperantia & iustitia contineri: atque id vniuersum propterea [c] mundum ornatúmque appellant, non immunditiam, neque intemperantiam. Quæ tu quamuis sapiens, mihi videris animaduertisse nunquam. Nam te latuit [d] geometricam æqualitatem in Diis atque hominibus valere quàm plurimùm. At verò tu in rebus omnibus pleonexiam, id est præstantiam, siue primas partes exercendam putas: Geometriam namque contemnis. Age itaque vel refellendus est ille sermo noster, quasi non iustitiæ temperantiæque possessione beati fiant quicunque beati, prauitatis verò miseri: vel si verus est, considerandum est quid sequatur. Nēpe priora illa consequentur omnia, in quibus à me an seriò loquerer, inquirebas. [e] Ego verò accusandum esse & seipsum & filiū & amicum, si quid iniustè fuerit perpetratum, atque ad id vtendum esse rhetorica, asserebā. Et quæ tu Polum verecundia adductum putabas concessisse, vera vtique erant: videlicet iniuriam facere, quantò turpius est quàm iniustinere, tantò etiam deterius: atque eum qui re-

[a] *Cū eo qui virtutu expers est, nulla nec cum Deo, nec cū hominib. societas intercedit.*

[b] *Inter deos & homines cōmunis est societas.*

[c] *Mundus vnde dictus*

[d] *Geometrica æqualitas.*

[e] *Ex superioribus necessaria cōsequētia colligitur, quis sit verus & legitimus usus Rhetorica.*

ctus futurus sit orator, oportere iustum esse, & quæ iusta sunt, scire. Quod quidem rursus Gorgiam ob verecundiam concessisse Polus ait. Cum verò hæc ita se habeant, considere-mus quæ sunt illa in quibus me ipse vituperas, num rectè dicatur, nécne: me videlicet non posse vel mihi, vel amicis atque domesticis opem ferre, neque ex maximis periculis liberare: at esse me in potestate libidinéque cuiusque [non secus ac sacti & detestabiles homines] siue pulsare velit quis, vt tu iactabundus dicebas, super genam, siue pecunias rapere, siue vibe expellere, siue vltrò supplicio afficere? Ita verò comparatum esse, rem turpissimam omnium esse dicebas. Mea verò sententia iam sæpius dicta, atque rursus nullo prohibente dicenda, contrà se habet: videlicet non esse turpissimum iniustè genam percuti, vel corpus marsupiúmue cædi, sed percutere iniustè atque cædere, mihi, meisque turpius atque deterius. Item furari, & in seruitutem adducere, muróque suffodere, atque summatim quamlibet iniuriam facere, esse ei qui facit deterius simul & turpius quàm accipere. *Hæc superius à nobis concessa, vt ego asserо, continentur atque vinciuntur, & si dictu rusticius est, ferreis adamantinísque rationibus, quibus, vt ita sentiam adducor. Quas nisi tu aut aliquis te robustior dissoluat, fieri non potest vt aliter quàm vt nunc ipse dico, rectè dicatur. Nã mihi quidem semper idè permanet sermo: me videlicet hęc nescire quo pacto se habeant: attamen nullum eorum qui cum hactenus loquutus sum, quemadmodum modo vobiscũ, potuisse vnquam aliter dicendo non ridiculũ apparere. Quamobrem hæc iterum statuo ita

* *Conclusio quæ expressis necessariò sequuntur ferreis & adamantinis vinculis est vincta.*

se

se habere. Quòd si ita se habeant, atque iniuria maximum ei qui eam facit est malorum: illud insuper maius est iudicandū, videlicet ipsum qui fecerit, nunquam dare pœnas: quod tandem auxilium erit illud, quod quidem qui sibimet afferre non possit, reuera sit contemnēdus? Nónne hoc quidem quod maximum à nobis amouerat detrimentum? Profectò necesse est hoc esse turpissimum, non posse auxilium eiusmodi præstare sibiipsi, amicisque ac propinquis. Secundum verò auxilium aduersus malum secundum: tertium contra tertium, cæteráque similiter, prout cuiusque mali magnitudo se habet, ita & pulchrum est opem afferre posse ad singula, & turpe non posse. Nunquid aliter quàm sic se res habet Callicles? CAL. Certè non aliter. SOCR. Cùm igitur hæc duo sint facere iniuriam, ac pati: maius vtique malum esse dicimus inferre, minus autem pati. Quódnam igitur auxilium sibi comparans aliquis [opitulabitur sibi, quò vtrumque hoc emolumentum consequi possit,] vt neque inferat iniuriam, neque accipiat? vtrum potentiam, an voluntatem? Sic autem dico, vtrum si nolit pati, iniuriam non patietur: an si potentiam sibi comparauerit, ita duntaxat non patietur? CAL. [a] Constat certè si potentiam. SOCR. Quid autem in inferendo? vtrum siquis iniuriam inferre nolit, satis erit remedij? Neque enim iniuriam inferet. An ad hoc insuper potentia quædam & ars est comparāda, quam nisi quis didicerit atque exercuerit, iniuriam faciet? Cur non mihi ad id saltem respondes Callicles? vtrum ego atque Polus tibi videmur rectè superioribus coacti rationibus consensisse nécne? quando confessi sumus,

[a] *Ad iniuriā à se propulsandā opus est potētia, vt verò abstineat aliquis ab iniuria alijs inferenda, id penes voluntatem eius est.*

neminem volentem iniuriam facere, sed inui-
tos hanc inferre quicunque inferant. CAL. Es-
to tibi id ita Socrates, vt disputationem hanc
concludas. SOCRA. Ad hoc itaque potentia
quædam & ars comparanda videtur, ne cui
faciamus iniuriam? CAL. Omnino quidem.
SOCR. Quænam igitur ars est ad facultatem
comparandam, per quã vel nullam quis, vel mi
nimam iniuriam patiatur? Considera vtrum
tibi idem videatur quod & mihi. Mihi quidem
ita videtur, vel oportere principatũ in republ.
obtinere, vel vsurpare tyrannidem, [aut eius
potestatis quę rerum potiatur socium & ami-
cum esse.] CAL. Vides, ô Socrates, quàm para-
tus sim, siquid rectè dixeris, comprobare. Pro-
fectò id mihi rectè nimium abs te dictũ fuisse
videtur. SOCR. Considera præterea hoc si re-
ctè dicere tibi videor. Amicus mihi videtur
quisque esse cuique maximè, quemadmodum
antiqui sapientésque tradunt, [a]similis simili,
nónne & tibi idem videtur? CAL. Mihi qui-
dem. SOCR. Nónne vbi tyrannus ferus rudis-
que dominatur, siquis ea in vrbe multo me-
lior sit, tyrannus hunc formidat, atque huic
nunquam tota mente amicus esse poterit?
CAL. Sic accidit. SOCR. Neque si multo sit
deterior? contemnet enim eum tyrannus, ne-
que vnquam tanquam erga amicum afficie-
tur. CAL. Vera narras. SOCR. Solus ergo ami-
cus huic esse poterit apud eum existimatione
dignus, qui cum moribus similis sit, eadém-
que laudet atque vituperet, subesse velit do-
mino & parere. Hic nimirum magnam in ea
ciuitate habebit potentiam, hunc iniuria im-
punè nullus afficiet, nónne ita se res habet?
CAL. Ita. SOCR. Siquis ergo in hac vrbe ex i-

[a] *Similis simili est amicus.*

ipsa

ipsa iuuentute cogitet, qua potissimum ratione magnam comparare potentiam valeat, adeò vt nullus iniuriam ipsi queat inferre: hæc ipsa, vt videtur illi, via est, statim ab adolescentia seipsum assuefacere, vt eiusdem gaudeat atque doleat, quibus & dominus: atque ita se comparare vt illi sit quàm maximè similis, nónne ita? CAL. Ita. SOCR. Hic ergo, vt præsens sermo significat, assequetur, vt iniuria inferri ipsi non possit, magnámque habeat in ciuitate potentiam. CAL. Prorsus. SOCR. Nunquid etiam assequetur vt iniuriam inferat nemini? an potius multum abest? siquidem iniusto principi similis erit, magnæque autoritatis apud eum. Verùm puto eiusmodi vitæ statum huic ad id accommodatissimum esse, vt quàm maxime facere iniurias possit, pœnásque iniuriarum penitus deuitare. nónne ita? CAL. Apparet. SOCR. An non hic malo occupabitur maximo, cum flagitiosus sit, animúmque læsum habeat ob imitationem domini similémque potentiam? CAL. Nescio quomodo sermonem, ô Socrates, sursum deorsúmque vertas. An nescis eum qui sic imitatur, posse eum qui non imitatur, occidere, modò velit, fortunísque expoliare? SOCR. Scio equidem, ô bone Callicles, nisi surdus sim: cùm non solum abs te, verumetiam à Polo paulò antè, & à cæteris fermè omnibus in ciuitate idem frequenter audiuerim, at ipse me audi, profectò interficiet, modò velit: sed malus honestum atque bonum. CAL. At hoc ipsum grauiter est ferendum. SOCR. Non certè viro mente ac ratione prædito, vt & tuus sermo significat. [a] An putas in hoc ipso multum ab homine laborandum,

[a] *Nequaquã id homini maximè laborandũ vt quã diutiss. mè viuat.*

vt quàm diutissimè viuat, eásque artes meditetur, quę nos seruare semper à periculis possint, qualis rhetorica est, ad quam tu me capessendam exhortaris, eò quod in iudiciis nos sæpe seruet? CAL. Per Iouem tibi rectè consulo. SOCR. Quid verò vir optime? nandi peritia præclara tibi videtur? CAL. Non per Iouem. SOCR. Attamen seruat hæc homines ab interitu, quoties illuc inciderint, vbi eiusmodi arte sit opus. Quòd si hæc tibi videtur exigua, ego maiorem hac adducam, gubernatoriam scilicet, quæ non solùm vitam, verumetiam corpora & pecunias ab extremis seruat periculis, non secus quàm rhetorica, atque hæc tamen humilis est atque modesta, non iactabunda, neque ampullosa, quasi magnificum quiddam atque excelsum tractet. Sed cum eadem efficiat quæ rhetorica, si ab Ægineta hucusque nos seruet, duos duntaxat exigit nummos. Si verò ex Ægypto, vel Ponto salua reduxerit quę modò dicebã, nos & filios vxorésque & diuitias, duas drachmas expostulat: atque ipse hac arte præditus, quiue hæc perfecerit, descendés, in litoréque secus mare nauémque deambulans, nequaquam se effert, neque inflatur. [a] Animaduertit enim, vt arbitror, incertum esse vtrum profuerit vel obfuerit illis quos seruauit, ne fluctibus mergerentur: intelligens se nihilo vel corpore, vel animo meliores reduxisse illos quàm acceperit ab initio nauem ingredientes. Cogitat ergo si quis magnis insanabilibúsque morbis corporis pressus in mari non pereat, hunc ideò miserum esse, quia non petiit, nec vllam ab ipso suscepisse vtilitatem. Si quis autem animo, qui corpore pretiosior est, multos insanabilésque habet morbos, nũquid huic

[a] *Causa cur vilis sit & abiecta ars nautarum quamuis in traiiciendo seruet vitã vectorum.*

huic viuendum est? eíque vtilitatem afferret, siue ex mari siue ex iudicio, siue aliunde quis ipsum seruet? Sed profectò nouit, flagitioso homini vt viuat non expedire. Necesse est enim vt malè viuat. Quamobrem nulla extat lex per quam gubernator quamuis non seruet, gloriari possit, atque in honore haberi. Cæterùm ipse, ô vir mirifice, machinarum faber, qui nedum gubernatore, sed etiam exercitus duce, vel quouis alio non minus interdum seruare potest, eò quòd ciuitatibus interdum totis salutem præstet, nunquid causidico æquiparandus esse videtur? Qui si vellet hîc quemadmodum vos rem suam extollere, nimirum vos verbis obrueret, exhortans omnes vt fabri machinarum efficiantur: quasi nullius momenti sint cætera. Non enim ipsi deesset materia. Veruntamen hunc ipse artémque eius nihilo minùs contemneres, ac velut per contumeliã machinariũ vocitares, nec eius filio collocare in matrimonium filiam tuam velles, neque etiam filiam tu eius ducere. Quamuis tu qui quibusdam rationibus facultatem tuam laudas, quónam pacto vel machinarium, vel alios quos paulò antè commemorauí, iustè poteris aspernari? Dicturum te scio, meliorem esse te, atque ex melioribus ortum. Ipsum verò quod melius dicitur, si non est id quod ego dico: sed hoc ipsum virtus est, seruare seipsum qualiscunque sit, atque sua, certè ridicula tibi vituperatio est aduersus machinarium vel medicum aliáue artes, quotcunque salutis gratia sunt inuentæ. Cæterũ, ô beate, vide ne aliud sit generosum atque bonum, quã seruare atque seruari [a] Neque enim viuere hîc quantumcunque tempus optandum est viro qui verè sit

[a] *Vita nõ simpliciter & quæuis, sed optima & quidem Dei arbitrio optãda.*

vir: neque vita hæc amanda est, sed hæc Deo cura relinquenda: mulieribúsque adhibenda fides, quæ dicunt neminem vitare posse fatũ: & post hoc cuique considerandum, qua ratione hoc ipso tempore quo vita fungitur, quàm optimè viuat: [vtrum consequi id possit similem se præstando iis penes quos summa est rerum illic vbi habitat?] & nunquid oporteat te nunc similimum euadere Athenienſiũ populo, si amicus huic sis futurus: magnæque in ciuitate autoritatis? Considera igitur vtrum id tibi mihique expediat, nécne: Néue id nobis, ô beate vir, eueniat, quod Thessalicis mulieribus deducentibus lunam euenire tradunt, cum amicissimis optio nobis sit huius potentiæ. Si autem ipse putas quempiam hominum artem quandam eiusmodi traditurum, per quam in ciuitate hac potens efficiaris, quamuis [iis penes quos est summa Reipub. sis dissimilis, siue in melius siue in deterius,] haudquaquam rectè. vt mihi videtur, ô Callicles, cogitas. Non enim imitatorem, verùm ipsa natura persimilem esse iis oportet, si magnum aliquid ad beneuolentiam Athenienſis populi comparandam sis consecuturus, ac per louem insuper Pyrilampi filij. Quisquis te his efficiet simile, is faciet quemadmodum cupis, vt ciuilis sis, atque rhetoricus. [a]Nempe omnes ea oratione quæ suis moribus consentanea sit delectãtur, alienam autem æquis auribus non audiunt. Nisi tu fortè, ô lepidum caput, aliud afferas. Dicemúsne aliquid ad hæc Callicles? CAL. Nescio quomodo bene dicere mihi videris, ô Socrates. Euenit mihi tamen, quod multis accidere aliis consueuit: nam haud magnam tibi habeo fidem. SOCR. Amor populi, ô Callicles,

[a] *Omnes delectãtur ea oratione, quæ suis moribus est cõsentanea.*

tuo

tuo insitus animo, resistit mihi, verú si sæpius meliúsque hæc eadem considerauerimus, tibi fortè probabilia videbuntur. [Recordare igitur duo à nobis commemorata esse artificia tã ad corporis quàm ad animi cultum pertinentia?] Quorum alterum quidem tendat ad voluptatem, alterum verò ad id quod melius est, non gratificans, sed repugnans. Nónne hæc in superioribus definiuimus? CAL. Prorsus. SOC. Et quod declinat ad voluptatem, seruile: neque quicquam aliud quàm adulatio est, nónne ita? CAL. Esto, si quidem ita tibi placet. SO. Alterum verò studet, vt quàm optimum fiat, siue anima sit, siue corpus id quod curamus. CAL. Omnino. SOCR. Igitur sic reipublicæ ciuiúmque capessenda nobis est cura, vt ciues ipsos bonos efficiamus. Alioquin quemadmodum superius inuenimus, nihil prodest beneficium aliud conferre, nisi honesta & bona sit mens eorum qui accepturi sunt, vel pecunias multas, vel imperium, vel aliam quamlibet potestatem. Ponimus sic esse, nécne? CA. Prorsus, si tibi placet. SOCRAT. [a]Sic ergo nos inuicem, ô Callicles, cohortaremur, publicè ciuilia pertractantes ad murorum, vel naualiũ, vel templorum ingentia ædificia extruenda, nunquid necesse esse considerare nosipsos atque dispicere: primùm quidem an eius artis peritiam habeamus, nécne, à quo didicerimus, an ita oporteret id fieri aut minus? CAL. Prorsus. SOCR. Secundò verò, si quando priuatim nobis vel amicis aliquod construximus ædificium, ídne pulchrum sit vel turpe. Quòd si inuenerimus magistros nobis bonos præstantésque fuisse, multáque ædificia atque præclara, tum vnà cũ magistris, tum à nobis ipsis pri-

[a] *Ad Remp. nemo accedere debet, qui non priuatim periculum fecerit, an meliores homines efficiendi scientia & facultate sit præditus.*

uatim, posteaquam à magistris discessimus, ædificata, tunc demum rationi consentaneum esset ad publica nos conferre. At si neque magistrum nostrum possimus ostendere? ædificia quoque aut nulla, aut non bene constructa, stultum certè foret, opera aggredi publica, nósque ad ipsa inuicem cohortari. Fatemur rectè hæc dici, nécne? CAL. Prorsus. SOC. Nónne similiter & in cæteris omnibus atq; [si nos ad publicè medicinam faciendam, tanquam idoneos medicos mutuò cohortaremur] ita cõsideraremus & ego te & tu me. Age per deos, ipse Socrates quónam pacto affectum ad sanitatem corpus habet, vel quísnam alius Socratis opera euasit à morbo siue liber, siue seruus? Et ego quoque de te eadem ratione iudicarẽ: atque nisi aliquem per nos vel peregrinorum, vel ciuium, siue virum, siue mulierem sanatũ esse comperiremus, per iouem valde ridiculũ foret eò amentiæ prouehi, vt nullis priuatim tentatis, nullísque perfectis rebus, necdum arte exercitata, figulariam, vt dici solet, in dolio discere aggrederemur, & ipsi publicè medicinam exercere aggredientes, & ad eam alios prouocantes. Nónne id conari stulti hominis esse putares? CAL. Nimirum. SOCR. Nunc verò, ô vir optime, cùm nuper administrare rẽpubl. cœperis, ac me insuper exhorteris, quódue id non faciam reprehendis, nónne ita inter nos considerare debemus? Agedum Callicles, quémnam suorum ciuium reddidit meliorem? Estne quisquam, qui cũ antea improbus & iniustus & incontinens atque imprudens esset, tandem verò Callicles opera honestus bonúsque euaserit, siue peregrinus, siue ciuis, siue seruus, siue liber? Dic, si quis id abs te exi-

exigat, quidnam sis responsurus? quem adduces aliquando factum tua consuetudine meliorem? An exponere piget si aliquod eiusmodi est opus priuatim à te confectum, priusquã ad rempubl. te conferres? CAL. Contentiosus es Socrates. SOC. At non contentionis causa id requiro, sed reuera cupiditate discendi quẽadmodum administranda nobis publica censeas: an alia curanda sunt rempubl. adeuntibus, quàm vt optimi ciues efficiantur: an non sæpius iam confessi sumus id esse ciuili homini faciendum? Num confessi sumus? Responde quæso, profectò confessi sumus, vt ego pro te respondeam. Si igitur ad id in sua ciuitate virum bonum incumbere decet, nunc in memoriam reuocans mihi dicas velim, nunquid illi quos paulò antè commemorasti adhuc tibi boni ciues fuisse videantur, Pericles, Cimõ, Milciades, Themistocles? CAL. Mihi quidem. SOCR. Nónne si fuere boni, vnusquisque illorũ ciues ex deteriorib. reddidit meliores? Nõne ita? CAL. Ita. SO. Si ita est, ergo quando Pericles primò orare cœpit ad populum, deteriores erant Athenienses, quàm cùm postremam ad eos habuit orationem. CAL. Forsitan. SOCR. Non licet, vir optime, dicere forsitan. Nam ex his quæ concessimus necessariò sequitur: si quidem bonus ille ciuis fuit. CAL. Quid tum? SOCR. Nihil, verùm ad hæc id mihi dicas: nunquid dicantur Athenienses Periclis opera meliores esse redditi, aut omnino contrà ab illo corrupti? Sanè Periclem audio Athenienses fecisse pigros, timidos, loquaces, auaros: primúmque mercenaria stipendia induxisse. CAL. Ab his qui fractas habent aures hæc audis, ô Socrates. SOCR. At hæc non am-

a Ei qui Rẽpub. administrat hoc curandũ est vt optimi ciues efficiantur.

plius audio, sed apertissimè scimus vterque videlicet Periclem ab initio magno in pretio fuisse habitum, neque turpem sententiam adversus eum vllam tulisse Athenienses, dum praui erant: postquā verò honesti & boni ab ipso facti sunt, in extremo eius vitæ peculatus ipsum condemnauisse, parúmque abfuisse quin vltimo supplicio quasi malum virum afficerent. CAL. Quid tum? malúsne propterea Pericles vir extitit? SOCR. Talis quidem asinorum curator & equorum atque boum malus videtur, si cum eos acceperit, neque calcitrosos, neque cornu petentes, neque mordaces, effecerit vt hæc ob feritatem habeant vitia. An non tibi videtur ille cuiuslibet animalis malus esse curator, qui cū acceperit mansuetum, magis ferum reddiderit quàm accepit? Videtur tibi nécne? CAL. Concedo equidem vt tibi gratum faciam. SOC. In hoc præterea gratificare mihi, respondens vtrum homo vnum sit animalium nécne? CAL. Quídni? SOC. Nónne hominum curam Pericles habebat? CAL. Habebat. SOCR. Quid ergo? an non oportebat ipsos quemadmodum modò consensimus, iustiores ex iniustioribus ab illo fuisse factos? siquidem ille qui curabat eos, in rebus ciuilibus peritus erat CAL. Prorsus. SOCRA. Nónne iusti mansueti sunt, vt ait Homerus? Tu verò quid ais? Nónne similiter? CAL. Aio. SOCR. Veruntamen feros magis ipsos reddidit quàm acceperat: idque aduersus seipsum, quod quidem minimè voluisset. CAL. Visne tibi assentiar? SOCR. Si videor tibi vera loqui. CAL. Sint ista. SOCR. Proinde si magis feros, ergo iniustiores atque deteriores. CAL. Esto. SO. Quamobrem non bonus ad rempubl. administran-

a Periclē & alios magnos viros qui Rēp. Athenu gesserint emuscie tiæ quā pfiteatur veritos fuisse negat Socr. quod sub eorū āministratione Athen. deteriores euaserint.

b Pericles sub extremū vitæ tēpus peculatus ab Athenienss. damnatus est.

strandam ciuis Pericles erat, vt ratio hæc ostendit. CA. Non vt ipse ais. SOC. Per Iouem neq; vt tu inquis, per ea quæ confiteris. Rursus autem mihi de [a]Cimone dicas: nónne relegauerunt eum illi quos ipse curauerat, vt vocem eius decennio non audirent? Præterea aduersus Themistoclem idem fecerunt, atque exilio insuper damnauere. [b] Miltiadem verò qui in Marathone pugnauit, in barathrum detrudere decreuerunt, ac nisi obstitisset summus magistratus, proculdubio immissus fuisset. At verò si boni, vt ais, hi fuissent viri, talia nûquã illis accidissent. Etenim aurigæ boni, nequaquam ab initio quidẽ non excidunt: postquã verò equos curauerint, eiúsq; artis fuerint peritiores, tum excidunt: id enim neque in auriga ria, neque in alio quouis opere accidere solet: an tibi videtur? CA. Minimè. SOC. Vera igitur erãt quæ à nobis in superioribus dicebantur, nullũ videlicet in hac ciuitate nos virum scire extitisse, qui in rep. bonus ciuis esset habendus. Tu verò confessus es nullũ ex his qui nunc sunt esse talem: ex his autẽ qui præcesserunt, extitisse nonnullos, atque inter eos quidẽ hos vicos præ cæteris elegisti. Hi verò non aliter se habere hac in re quã qui nunc sunt Rhetores apparuerunt. Quapropter si hi oratores fuerunt, neq; vera rhetorica vsi sunt, alioquin nûquã cecidissent, neq; adulatoria. CA. Multũ tamen abest, ô Socrates, vt quisquã eorum qui nũc sunt, talia gesserit, qualia istorũ quiuis gesserit. SOC. O beate, nec ego, quantum ad ciuitatis administrationẽ pertinet, istos vitupero, imò verò hac in re mihi videntur diligẽtiores quã hi nostri fuisse, aptioréque ad illa conficienda quæ ciuitas cupiebat. [c] Verùm in eo quòd

[a] *Cimon & Themistoclet Ostracismo relegati.*

[b] *Miltiades prope in barathrum.*

[c] *Præcipuum boni ciuis & ciuilis viri officium.*

reuocare & sensim flectere ciuium cupiditates oporteat, neque illis obsecūdare, & persuadendo & cogendo ad hoc ipsum perducere vnde meliores reddantur ciues: nihil, vt ita loquar, inter hos atque illos interest, quod quidē solū est boni ciuis officiū. Attamen tibi cōfiteor illos his aptiores fuisse ad naues, naualia, mœnia, aliáque ciusmodi multa reip. cōparāda. Rē ergo ridiculā in hac disputatione egimus: siquidem in omni hac disputatione in idem assiduè circumferimur, quid dicamus ignari. Ego enim te sæpius cōcessisse arbitror, atque cognouisse geminā hanc esse facultatem circa corpus & circa animā curatricem. Et alteram quidem ministram, per quam quæ corpus cupiat, comparentur: veluti si famescat, cibi: si sitiat, pot⁹: si frigeat, vestes, stragula, calcei, cæteráque quæ ad vsum corporis exiguntur. Et profectò dedita opera eadē per imagines tibi loquor: vt facilius intelligas. Horum enim esse paratorē, vel cauponem, vel mercatorem, aut opificē alicuius istorum: videlicet pistorem, aut coquum, aut textorem, aut calceorum sutorem, infectorémque coriorū, nihil mirum est eum qui talis sit, videri corporis curatorem tam sibi quàm aliis qui nesciunt esse præterea artem quandam gymnasticam atque medicinā, in quibus curatio corporis reuera consistit. Quas decet huiusmodi artibus imperare, earúmque operibus vti, propterea quòd scientiā habeant boni atque mali, quantum ad corporis pertinet alimenta atque valetudinē, quod quidem ab aliis omnibus ignoratur. Quā ob causam dicendum est, has quidē seruiles ministráſque illiberales esse circa corporis cultum: gymnasticam verò & medicinam his meritò dominari.

Hæc

Hæc igitur eadem esse etiam circa animum videtis mihi interdum cognoscere, mihique concedis tanquam quid dicam intelligas. Verùm paulò pòst adducis in medium vitos præclaros & bonos in hac ciuitate quondam fuisse: atque me quærente quinam isti fuerint, videris simillimos proferre homines circa rẽp. ac si me percontante quinam fuerint aut sint boni circa gymnasticam corporum curatores, respõderes mox, idque seriò. [a] Thearió pistor, & [b] Mithæcus qui de Siculorũ arte coquinaria scripsit, & Sarambus caupo, quasi hi mirabiles corporum cultores extiterint, quorum hic suaues panes, ille epulas, ille vinum præparabat. Fortasse igitur indignè ferres, si gymnasticam te non intelligere diceremem. Nam ministros in medium affers, cupiditatúmque paratores: qui quod honestum bonúmve sit in his, nequaquam diiudicant, sed vtcunque contingit, corpora hominum implent, cáque saginant. Hi laudantur ab ipsis, cùm tamen ob nimiam impletionem carnes ipsorum veteres absumant. Atque postea quum ingruunt morbi, qui ita nutriti sunt, eos quidem qui [tunc ipsis adsunt & aliquid consulunt] ob ignorantiã accusant: eos verò qui ad libidinem nutriuere, nequaquam. Cùm enim repletio talis tandem intulerit morbum, vt quæ absque vllo sanitatis tutore facta sit, hos qui bona consilia suggerunt in præsentia criminantur & improbant, atque iniuria insuper si queant afficiunt, priores verò illos qui causam morbi dedere, laudibus efferunt. Et tu nunc, ô Callicles, simillimum quiddam facis, dum eos laudas, qui hos nutriuere, atque his rebus quarum cupido incesserat, impleuere, quos aiunt

[a] *Thearion pistor.*

[b] *Mithæcus de Siculorũ arte coquinaria scripsit.*

magnam effeciſſe ciuitatem: quòd autẽ tumẽs & intus malè ſana iam ſit ob antiquos illos, non ſentiunt. [a] Abſque enim tẽperantia & iuſtitia, portibus, naualibus, mœnib. tributis, vectigalibus, & huiuſmodi nugis ciuitatem hanc impleuerunt. Quando igitur morbus erumpit tunc illi qui in præſentia gubernant rempr. improbantur. Themiſtocles verò ipſe & Cimo & Pericles qui malorũ cauſa fuere, laudantur. Quamobrem tu forſitan niſi caueas capieris, & amicus meus Alcibiades, quando præter illa quæ acquiſita erant, vetera quoque fuerint amiſſa, quamuis malorum cauſa vos non ſitis, ſed vnà forſan cum cæteris cauſa. Atqui ego rem ſtultam & nunc cerno, & de antiquis illis audio. Sentio enim quando ciuitas aliquẽ ex his qui in repub. verſantur iniuſtitiæ damnare aggreditur, grauiter eos ferre atq; diſcruciari animo, quaſi iniqua patiantur qui beneficia in rẽp. multa cõtulerint. Nẽpe aiunt iniuſtè ſe ab illa damnari. Quod omnino falſum eſt. Nũquã enim reipub. gubernator iniuſtè damnatur ab ea cui præeſt ciuitate. Videtur autem idem euenire his qui in republ. verſantur, atq; ſophiſtis. [b] Sophiſtæ enim quamuis in cæteris ſapientes, in hoc tamen vno abſurdè ſe gerũt, quòd cùm ſe docere virtutes affirment, ſæpe tamen diſcipulos velut ingratos accuſant atq; iniuſtos, qui cùm bona ab eis reportarint, mercedem tamen nullam aut gratiam referant. Quo quidem ſermone nihil à ratione eſt alienius, quod videlicet viri boni iuſtique facti, & ab iniuſtitia præceptoris opera remoti, atq; iuſtitia præditi, iniurias ea ipſa iniuſtitia quã nõ habent, præceptorib. inferãt. an nõ videtur tibi, ô amice, id abſurdũ? Reuera cõcio

nari

a *Abſque iuſtitia et tẽperantia nihil proſunt, ſed maximè nocent ciuitatibus cætera ornamenta belli vel pacis.*

b *Ridiculi ſunt Sophiſtæ quam cõquerũtur ſibi iniuriam fieri à diſcipulis quos ſe virtutem docere profitẽtur.*

nari me coegisti,ô Callicles,dũ respõdere recu sas. CA. Tu verò per teipsum dicere non potes nisi quis tibi respondeat? so. Videor equidẽ,& nunc frequentes iã extendo sermones, dũ ipse mihi nõ respondere dignaris. Sed, ô bone vir, per Iouẽ, amicitiæ præsidẽ mihi dicas, an non præter rationẽ tibi videtur,vt is qui dicat se bo num aliquem reddidisse ,de eodem conqueratur?quasi qui bonus ab ipso factus est,sit & ma lus? CA. Mihi quidem videtur. so. Nónne audis illos qui docere virtutem profitentur,ta lia conqueri? CA. Equidem,sed quídnã de hominibus nullius pretii dicere potes? so. Quid verò de illis diceres qui reip. præesse sẽ aiunt, atq; vt illa quàm optima sit diligenter excogitare : rursúsque ipsam accusant prout accidit, tanquã pessimã?putásne hos ab illis differre? Idẽ profectò,ô beate,est sophista ac rhetor, vel propinquũ aliquid atq; simile, quẽadmodũ ad Polum dicebã. Tu aũt propter ignorantiã præclarũ quiddã putas esse rhetoricã,sophisticam verò cõtemnis. Sed reuera pulchrior est sophistica quã rhetorica: quò & pulchrior est conditrix legũ quàm iudiciaria,& gymnastica quã medicina. Solis aũt concionatorib.& sophistis minimè arbitror cõcedẽdũ, vt de eo quod ipsi docent,quasi sibi sit malũ,conquerãtur. Alioquin in eadem ipsa accusatione seipsos pariter criminentur, quasi nihil illis profuerint quib. vtilitatẽ attulisse se dicunt, nónne ita se res habet? CA. Ita prorsus. so. Et contulisse beneficium absque mercede,vt consentaneũ est solis istis conueniebat , siquidem vera dicerent. Nam alia quidem beneficia cum quis acceperit , veluti per gymnasii magistrum celer factus, fortè vtiq; gratiam non referret, nisi ca-

ueretur, vt mercedem solueret quàm primum celet satis euaserit. Non enim tarditate, vt arbitror, homines, sed iniustitia iniuriam faciunt. Nónne? CAL. Ita. SOC. Si quis igitur hoc ipsum auferat, scilicet iniustitiam, discrimẽ iam iniuriæ deuitauerit. Verũ per id solũ in tuto collocari beneficium potest, si quis eos quibus confert, bonos reuera possit efficere. Nónne? CA. Consentio. SO. Propterea vt videtur in aliis contractibus, turpe non est sibi cauere veluti pro ædificiis cæterisque artificiis. CA. Apparet. SO. [a] Pro hac aũt facultate, scilicet vt bonus quis fiat, optiméq; familiam suã gubernet atq; remp. turpe existimatur nihil prius velle docere, quàm de pecunia caueatur. Nónne. CA. Certè. SOC. Constat enim hanc esse causam: quia solum hoc ex aliis beneficiis eũ qui acceperit, facit referẽdæ gratiæ cupidũ. Quapropter præclarũ videtur esse argumentũ, si is qui officiũ eiusmodi præstiterit, vicissim ipse recipiat: contrà verò nequaquã. Nũ hæc ita se habent? CA. Ita. SO. Ad vtrã igitur me cohortaris ciuitatis curã? age mihi dennis, ad eãne per quã cum Athenienſib. pugnẽ, cõtendámq; vt quã optimi fiãt, tanquã medicus: an ad eã per quam tanquã minister voluptatis fiã, & ad gratiã loquar? Et mihi vera dic, ô Callicles: decet enim te quẽadmodũ incœpisti audacter prosequi, mihi, liberè exprimẽdo quę sentis. Et nũc ergo bene generoséq; respondè. CA. Ad ministeriũ profectò te exhortor. SO. Ad adulationem ergo me, ô vir generosissime, prouocas. CA. Nisi tibi iucundius est Mysorũ præda fieri, ô Socrates, si non hæc facies. SOC. Ne obiicias mihi nunc quod iam sæpius obiecisti, quòd interficiet me quicunque voluerit,

[a] *Soli qui virtutem se docere profitentur, nõ debent sibi a suis discipulis de mercede cauere.*

rit,ne ego iterum ita respondeam:at malus bonum:neq; iterũ dicas,auferent tibi si quid habes,ne ego quoque respondeã: at verò qui auferet,nesciet illis tanquam sibi vtilibus vtis sed quemadmodum iniustè à me abstulerit, sic ipse vtetur iniustè,quòd si iniustè,ergo & turpiter,denique si turpiter,malè. CA. Videris mihi opinari,nihil eiusmodi accidere tibi posse, perinde ac si procul hinc habites, neque deduci posse in iudicium putas ab ignauissimo quoq; nulliúsq; pretii homine. SO. Amẽs certè forẽ, ô Callicles, nisi putarem in hac ciuitate vnũquéque quodlibet eiusmodi pati posse. Hoc tamẽ certò scio,si in iudicium venero perfclitãs ob ea quæ tu affers,improbũ fore qui me accusauerit. Nullus enim bonus hominem accusat insontem. Et nihil mirum foret si morte damnaret. vis tibi dicam quam ob causam hæc expectem? CAL. Volo equidem. SOCR.[a] Arbitror equidem me vnà cum paucis Atheniensibus, ne dicam solùm, ciuilem disciplinam teuera tractare, méque solùm ex omnibus qui nunc sunt ciuilia exercere: vtpote qui non ad gratiã verba facio, quæ & frequentissimè facio sed ad id potius, quod optimũ sit quàm quod dulcissimum: nec volens ea ad quæ quasi præclara quædam te nunc monendo exhortaris, facere, nimirum quod potissimum in iudicio dicam, non habebo. Et nunc quidem recurrit mihi rursus in mentem quod ad Polum dixeram. Ita enim de me iudicaretur: quemadmodum inter pueros de medico quem accusauerit coquus. Considera enim qua se ratione defenderet medicus,die sibi apud pueros dicta, si quis eum his verbis accuset, Vir iste,ô pueri, multa vobis intulit mala. Nam &

[a] *Socrates præsagit se in iudicium pertractũ iri ab Athenien. sib. & cur.*

vos & minimos natu ex vobis secando vtendóque contorquet, & attenuans suffocánsque afflictat, præterea amarissimos præbet potus, & ad famen sitimque vos vrget. Ego verò contrà multa & varia suauiáq; vobis paro. Si hæc, inquam, coquus deferat accusator, quídnam censés hoc circumuentum malo medicum respondurum? an fortè vera fatebitur dicens: hæc equidem, ô pueri, omnia sanitatis vestræ gratia feci? At enim quàm vehementer putas iudices eiusmodi reclamaturos? CAL. Vehementer fortassè putandum est. SOCR. Nónne igitur in maxima eum ambiguitate inopiáque suæ defensionis tunc detineri existimas? CAL. Prorsus. SOC. Idem mihi scio, si in iudiciũ traherer, euenire: neque enim voluptates vllas à me ad eorũ libidinem inuentas cõmemorare possem, quas ipsi beneficij vtilitatísq; loco existimant: ego verò nec inuentores quidẽ earũ probo, neque eos quibus præbentur, feliciores existimo. Præterea si quis me dicat vel corrũpere iuuentutẽ in ambiguitatẽ inopiãque deducendo, vel increpare redarguerésque seniores, acerbis ac mordacibus quibusdã verbis vel priuatè, vel publicè, non dabitur mihi veri dicendi facultas: me videlicet iustè hæc omnia dicere, eorúmque ipsorũ duntaxat vtilitati cõsulere: neque aliud quicquã afferre facilè potero. Quamobrẽ forsitan quicquid contigerit patiar. CAL. Videtur ergo tibi bene se habere qui in ciuitate talis sit, vt sibiipsi nequeat præsidio esse? SOC. [a] Modò hoc sit in ipso, ô Callicles, quod tu sæpius consensisti, vt sibimet id auxilij præstare possit, quod neq; aduersus homines, neque aduersus deos iniustè aliquid faciat, aut dixerit. Hoc enim auxilij genus præstare

[a] *Quodnam magis vtile potissimùm, vt nobis præstare debeamus.*

ſtare ſibi, ſæpius iam conſenſimus optimum eſſe. ſi quis igitur me conuincat, eiuſmodi auxiliũ mihi vel aliis afferre non poſſe, proculdubio, erubeſcerem ſiue inter multos, ſiue inter paucos, ſiue ſolus à ſolo fuerim redargutus. Itaque ſi propter hanc impotentiam morerer, grauiter ferrem. Sin autem ob adulatoriæ rhetoricæ defectum vltimo ſupplicio afficerer, certò ſcio me mortem perfacilè ferentem te perſpecturum. Nam mori quidem nullus formidat, niſi omnino rationis expers atq; ignauus, iniuſtè autem agere veretur. Multis enim peccatis refertam animam ad inferos deſcendere, extremum omnium eſt malorum. Proinde ſi quamobrem ſic ſe res habeat, cognoſcere cupis, rationem tibi exhibebo. CAL. Imò verò cùm cætera perfeceris, hoc etiam perfice.

SOC. Audi igitur, vt aiunt, pulcherrimum fermonẽ, quem te arbitror fabulã putaturum: ego verò non fabulã, ſed fermonem. Nam tanquã vera quæ dicturus ſum, tibi narrabo. Profectò quemadmodũ ait Homerus, Iupiter, Neptunus & Pluto regnũ quod acceperunt à patre, inter ſe diuiſerunt. Extabat autẽ lex de hominibus ſub Saturno, & ſemper nunc etiã extat apud deos: vt quicunque homines iuſtè piéque vitã egiſſent, cùm è vita migrarent, ad beatorum inſulas profecti, in omni felicitate viuerent, à malis longè ſeiuncti: qui verò iniuſtè impiéque vixiſſent, in punitionis iuſtíque ſupplicij carcerem, quod appellant Tartarum, irent. Horum verò iudices ſub Saturno, atque etiam ſub ipſo Ioue regnare nuper incipiente, viuentes erant atque viuentiũ, atq; ea die, qua mortem quis obiturus fuerat, iudicabant, quapropter iniuſtè iudicabant. Igitur Pluto atque

a Qua ratione exerceatur apud inferos iudiciũ animarũ à tribus iudicibus Radamãtho, Aacho, & Minoë.

beatarum curatores insulatum louem adeuntes retulerunt,indignos ad eos vtrinque homines deuenire.Ad quos sic,inquit Iupiter. At ego remedium adhibebo. Nũc enim propterea iudicatur iniquè,quòd vestiti atque circundati singuli iudicantur,quoniam ante obitum iudicantur. Itaque multi prauas circunferentes animas circundati sunt corporis forma,& genere,atque diuitiis.Præterea quando iudicium imminet,confluit multitudo testium asserentiũ eos iustè vixisse, Quò fit vt iudices ob hęc obstupescant.Accedit quod & ipsi vestiti atq; circundati iudicant, oculos & aures & totum corpus quasi animæ velamen habentes. Hæc enim omnia illis obstacula sunt,videlicet tam sui quidem quã eorum qui iudicãtur,amictus. Principiò prouidendum est,inquit, ne homines mortem suam præsenti.intrnũc enim præuident, & mandatum est Prometheo, ne eos præsentire permittat.Deinde nudi his omnib. sunt iudicandi Sunt enim iudicandi post obitum.Iudicem quoque ipsum esse nudum oportet,mortuum videlicet & ipso dũtaxat animo animum ipsum inspiciẽtem statim post insperatum cuiusque obitum,animũ inquam, à cognatis omnibus desertum, omnémque ornatũ exteriorem relinquentem in terra, vt iudiciũ iuste procedat. Ego igitur vtpote qui ante vos hæc præuiderem constitui iam meos filios iudices,duos quidem ex Asia, Minoẽ videlicet, & Radamanthum:vnum verò ex Europa,Æacum. Hi ergo postquàm mortui fuerint,iudicabunt in prato quodam,ibíque in triuio, ex quo geminæ tendunt viæ:altera quidẽ ad tartarum,altera verò ad insulas beatorũ.Et Asiaticos quidem Radamanthus; eos verò qui ab Euro-

Europa venient, Æacus iudicabit. Minoi autẽ id munus iniungam, vt ipse diiudicet si quid ab aliis ambiguum fuerit, vt iustissimè, rectéq; de transmissione animarum iudicetur. Hæc sunt, ô Callicles, quæ audiui veráque esse credo, atque ex his sermonibus adductus ita me cum reputo. Mors quidem est, vt mihi videtur, nihil aliud quàm rerum duarum, animę scilicet atq; corporis, à se inuicem dissolutio. Cũ verò duo hęc disiuncta sunt inuicem, nõ multum abest quin vtrunque ipsorum habitũ seruet eundem quem viuẽte homine possidebat. Principiò corpus tam naturam suam quã culturam passionésque prætert. Veluti si magnum erat alicui corpus vel natura, vel alimonia, vel vtrisque dum viuebat, mortuo etiam homine erit magnũ. Item si crassum fuerat, erit & crassum cæteráque similiter. Præterea si comandi studiosus homo fuerat, seruabit comam. Rursus si quis erat verbero, multáque plagarũ vestigia corpori habebat impressa vel à verberibus, vel à vulneribus dum viueret, huius quoque mortui corpus eadem retinere videmus. Et si qua in parte fractum erat, aut distortũ eo quoque mortuo eadem hęc apparent: atque vt summatim dicã, qualecunque viuentis erat corpus, talia ipsius mortui omnia vel plurima ad tẽpus apparent. Idem quoq; mihi videtur, Callicles, de anima sentiendum: cuncta enim apparent in anima cũ corpus exuerit, tã quę ex natura, quàm quæ ex affectibus inerant, quæ ob rei cuiusq; studium in ea homo contraxit. Cũ igitur ad iudicem peruenerunt, Asiatici quidem ad Radamanthum, Radamanthus eos sistens vniuscuiusque animam intuetur, cuius tamen anima illa fuerit, non animad-

uertit. Sed plerunque magni Persarū regis, aut alterius regis, siue potentis obuium animum contēplatus nihil in eo reperit sani: sed periuriis atque iniustitia quasi quibusdā verberibus cicatricibúsque infectū, qualia cuiusque actio contraxit impressitque animo, omniáque obtorta mendaciis atque vanitate, nihilque recti habentem, quia sine veritate fuerat educatus: præterea ob peccandi licentiā & petulantiam mollémque lasciuiā, & in actionibus singulis intemperantiam, incompositum penitus atque turpem. Animū igitur contēplatus sic affectū, ignominiosè rectà in custodiam transmittit, vbi meritas subire pœnas oportet. Conuenit autem omnē qui ab aliquo rectè punitur, vel ipsum fieri meliorē vtilitatémque percipere, vel cæteris exēpla dare, vt alij pœnas eius conspicientes meliores ob timorē efficiantur. Qui verò apud deos & homines ita dant pœnas, vt vtilitatem inde aliquam referant, hi sunt qui peccata sanabilia commiserunt, quibus dolor cruciatúsq; prodest & apud homines & apud inferos. Non enim aliter quis potest ab iniustitia liberari. Qui autē extrema iniustitia detinentur, ac propter eiusmodi delicta sunt insanabiles, ex his exempla sumuntur, ipsíque nullam amplius vtilitatem inde reportant, vtpote qui sanari non possint: sed prosunt duntaxat aliis per exemplū, qui eos intuentur propter flagitia maximis acerbissimísque & terribilissimis pœnis omni tempore cruciatos, tanquam exemplum monimentúmque & spectaculum apud inferos in carcere præbentes iniustis omnibus qui ad ea loca descendūt. Quorum vnum dico fore Archelaum, si vera narrat Polus, & alium quicunque tyrannus talis extiterit.

terit. Arbitror autem in eorum numero qui solùm exempla tradunt, plurimos esse tyrannos, reges, potentes, ciuitatum gubernatores. Quippe cum hi ob ipsam peccandi licentiam grauissima prophanissimáque peccata committant. Attestatur autem nobis Homerus, qui reges & potentes inducit apud inferos omni tempore cruciatos, ceu Tantalum, Sisyphũ, & Tityum. Thersitem verò, & si quis alius priuatim fuit malus, nullus vnquam velut insanabilẽ magnis fecit pœnis torqueri, quippe cùm facultatem vt arbitror, non habuerit: quamobrem felicior erat illis, quibus potestas sceleris perpetrandi dabatur. Profectò Callicles, ex his qui potentiam habent, sunt qui nimium praui fuerunt. Nihil tamen prohibet inter hos etiam bonos quosdam esse viros: & certè qui talis fuerit, mirificè est colendus. Nempe arduum est, ô Callicles, ingentíque laude dignũ, vt quis in magna peccandi licentia constitutus iustam transigat vitam: paucíque tales reperiuntur. Fuere tamen & hîc & alibi, atque vt arbitror, erunt nonnulli præclari boníque viri, hac videlicet virtute pręditi, per quã ea quorum sibi concessa est autoritas, iusta tractarẽt. Vnus autẽ Græcorum omnium probatissimus Aristides Lysimachi filius extitit. Plerique autem, ô vir optime, potentũ improbi sunt. Quãobrem, vt dicebã, quando Rhadamanthus aliquẽ eiusmodi depræhendit, nihil aliud in ipso nouit, neque quisnã sit, neq; ex quibus ortus, sed vtrũ sit malus: cũque id cõpererit, dimittit in Tartarũ, obsignãs, vtrũ sanabilis vel insanabilis videatur. Ille verò illuc transmissus meritas subit pœnas. Interdum verò alium intuitus animũ vel priuati, vel alicuius alterius qui

Odyss. λ.

piè atque integrè vixerit: quod quidem philosophis potissimùm contingere arbitror, rem suam agentibus, neque multis se negotiis implicantibus, applaudit huic & transmittit ad insulas beatorum. Hęc eadem Æacus efficit. Vterque verò ipsorum virgam tenet, dum iudicat. Minos autem considerans sedet solus, aureum habēs sceptrum, quemadmodum de hoc apud Homerum inquit Vlysses, videlicet illum vidisse sceptrū aureū tenentem, iuráque mortuis dantem. Ego igitur, ô Callicles, ab huiusmodi sermonibus hector, & iā considero qua ratione iudici saniſſimū animū ostendere possim. Quamobrem omnes populi spernens honores, veritatémque considerans, conabor reuera, quā maximè potero bonus viuere atque mori. Cohortor autem & cæteros omnes quātū possum. Te quoque ad huiusmodi vitā reuoco atque certamen, quod equidē asſero præ aliis certaminibus in hac vita esse homini subeundum. Quapropter & te obiurgo, qui nō poteris tibiipsi opem ferre, quando de te iudicabitur, instabítque sententia quam modò dicebā. Sed cū peruenieris ad iudicem Æginetæ filium, illéque te apprehensum ducet, oscitabis vacillabísque illic non minus quàm ego hîc apud iudices vestros. Ibi forsitan percutiet te aliquis turpiter super genam, & cōtumelia iniuriáque prorsus afficiet. Hæc forsitan anilis quędam fabula tibi videtur, & quæ dicta sunt contemnis: sed profectò nihil mirabile foret hęc spernere, siquo pacto perquirentes meliora his & veriora inuenire possemus.

Odyss. λ.

a Cōclusio totius dialogi quæ ex omnib. quæ in medium allata sunt, illud maximè firmum esse docet, peiue esse iniuriā facere, quā patiendi, qui improbus fuerit, præstare: et pœnas det, quā vt effugiat.

a NVNC verò vides cùm tres viri sitis omniū qui nunc sunt Græcorum sapientissimi, tu scilicet, & Polus, & Gorgias, non posse vos tamen ostendere

ostendere alia esse ratione viuendum, quã ea quæ illuc quoque conducere videatur. Imò verò in tot sermonibus cùm cæteri redarguti fuerint, solus hic remanet firmus: scilicet cauendum esse iniuriam facere magis quàm pati: idq; verò præ cæteris omnib. meditãdũ, nõ vt bonus quidẽ videatur, sed vt reuera sit bonus publicè atq; priuatim: Si quis autem malus quodã modo fuerit esse puniẽdũ. Idq; secũdo loco bonum esse post id quod est esse iustum, videlicet fieri castigatione bonum, pœnásque iniustitiæ luere: omnem præterea adulationẽ circa seipsum & alios, siue paucos, siue multos fugiendam esse: Rhetorica denique omníque alio actionis genere pro iustitia duntaxat vtendum. Quas ob res mihi credens, sequere me illuc, quò cùm perueneris & viuẽs & mortuus beatus eris, quemadmodum tuus quoque sermo significat. Atque permitte vt aliquis te cõtemnat vt stultum, iniuriisque si libet, afficiat, & per louem in gena plaga illa ignominiosa cædat. Nihil enim graue patieris, si reuera honestus bonúsque sis, virtutémque exerceas. Postquam verò sic vnà exercitati fuerimus, tũc si tibi operæpretium esse videbitur, ad publica iam nos negotia conferemus, aut ad quodcunque nobis deliberantibus tum, quando melius deliberare poterimus, visum fuerit. Turpe enim est cùm tales simus, quales nunc esse videmur, iactare se verbis quasi aliquid simus: quibus nunquam de rebus eisdem & quidem maximis eadem iudicantur: in tãtum processimus reditatis. Hanc igitur rationem, quæ nunc nobis innotuit, tanquam ducem sequamur, ostendentem nobis hunc optimum esse viuendi modum, vt iustitiam cæte-

ráſque virtutes colentes,& viuamus,& moriamur. Huic igitur obtemperemus, aliósque ad hanc adhortemur.Non aũt pareamus illi, qua tu confiſus ad eandẽ me exhortaris.Nullius enim, ô Callicles, eſt pretii.

COMMENTARIVM MARSILII FICINI FLORENTINI in conuiuium Platonis, de Amore.

CAP. I.

PLATO *philoſophorum pater annos vnum & octoginta ætatis natus, ſeptimo Nouembris die,quo ortus fuerat, diſcumbens in conuiuio remotis dapibus expirauit. Hoc autẽ conuiuium, quo & natalitia,& anniuerſaria Platonis pariter cõtinẽtur,priſci oẽs Platonici,vſque ad Plotini & Porphyrij tẽpora,quotannis inſtaurabant. Poſt verò Porphyrium mille ac ducentos annos, ſolennes hæ dapes prætermiſſæ fuerunt. Tãdem noſtris temporibus vir clariſſimus Laurentius Medices Platonicum conuiuium innouaturus, Franciſcum Bandinum Architriclinum conſtituit. Cùm igitur ſeptimum Nouembris diem colere Bandinus inſtituiſſet, regio apparatu in agro Caregio nouem Platonicos accepit cẽnuuas: Antonium Allium epiſcopum Feſulanum, Ficinum Medicum, Chriſtophorum Landinum poetã, Bernardum Nutium rhetorem, Thomam Bentium, Ioannem*

Ioannem Caualcantem familiarem nostrũ, quẽ propter virtutẽ animi, & egregiã indolẽ Heroem conuiuæ nuncupauerunt: Marsupinos duos, Christophorũ Carolúmq; Caroli poetæ filios. Me denique nonum Bãdinus esse voluit, vt Marsilio Ficino superioribus addito musarũ numerus impleretur. Remoto dapib. Bernardus Nutius Platonis accepit librũ, qui Conuiuiũ de Amore inscribitur: legítque oẽs sympositi huius orationes quib lectis reliquos conuiuas orauit, vt singuli singulas orationes exponerẽt. Assensere cẽs, iactísq; sortibus prima illa Phædri oratio, Ioãni Caualcãti obtigit exponẽda. Pausaniæ oratio, Antonio Theologo. Eryximachi Medici, Ficino Medico. Poetæ Aristophanis, Christophoro Poetæ. Agathonis adolescẽtis, Carolo Marsupino. Thomæ Bẽcio data est Socratis disputatio. Alcibiadis verò Christophoro Marsupino. Sortẽ huiusmodi probauere omnes. Verùm episcopus ac medicus, alter ad animorũ, alter ad corporũ curam abire coacti, partes in dicendo suas Ioanni Caualcãti reliquerũt. Cæteri ad hũc cõuersi sunt, paratiq; ad audiendum conticuere. Tunc heros ille hunc in modum est exorsus.

QVA REGVLA LAVDANDVS SIT AMOR. QVAE SIT EIVS DIgnitas & magnitudo.

CAP. II.

GRatissima mihi optimi conuiuæ, sors ista hodie obtigit, qua effectũ est, vt personã Phædri Myrrhinusii gererẽ. Phædri illius inquã, cuius familiaritatẽ tanti fecit Lysias Thebanus sũmus orator, vt oratione lucubratoria. multu cõposita, eã sibi cõciliare cõtẽderit, cuius indolẽ Socrates adeò admiratus est, vt eius splẽdore quãdoq; iuxta Ilyssum fluuiũ cõcitus altiúsq; sublatus mysteria diuina cecinerit: qui an- Qui fuerit Phædrus.

tea non solùm cœlestium, sed inferiorũ quoq; omnium se inscium prædicauerat. Cuius ingenio adeò delecta tus est Plato, vt primitias studiorũ suorũ Phædro dicauerit. Ad hũc epigrãmata, ad hũc elegia Platonis, ad hunc primus eius de pulchritudine liber, qui Phædrus inscribitur. Cùm igitur huius Phædri me similẽ, nõ ego quidẽ, non vsurpãtũ mihi arrogo, sed fortuito casu primò, & vester deinde applausu iudicauerit, hu felicib. auspicijs eius in primu orationẽ libẽter interpretabor. Deinde Antonij & Ficini partes pro ingenij viribus exequar. Tria in omni re, viri optimi, pisi sopinus quisq; Platonu imitator, considerat quæ antecedũt, quæ comitãtur, & quæ sequuntur. Hæc si bona sint, rẽ ipsã laudat: sin mala, vituperat. Ea igitur ꝓfecta laudatio est, quæ præcedentẽ rei recẽset originẽ, ꝓsentẽ formã narrat, sequẽtes ostendit euẽtus. Ab antecedentib. res quæque laudatur, vt nobilis: à præsentib. vt magna: à sequentib. vt utilis. Quare ex trib. illis tria hæc in laudib. concludũtur. Nobilitas, magnitudo, atq; vtilitas. Ideò Phædrus noster in primis ꝓsentem Amoris excellentiã eõtemplatus, Magnum Deũ vocauit: adiunxit, Diis hominibusq; mirandũ. Nec iniuria. Nã ea propriè quæ magna sunt admiramur. Magnus ille quidẽ, cuius imperio homines & dij, vt amnt omnes subiiciũtur. Nam tã dij apud veteres quã homines amant, quod Orpheus Hesiodusq; significant, dicentes mortaliũ & immortaliũ mentes amore domari. Admirandus ꝓterea dicitur, quoniã illud quisq; amat, cuius pulchritudinem admiratur. Dij quidem, siue vt nostri dicunt Angeli, diuinam pulchritudinem: Homines corporum species admirantur, & amant. Atque hæc quidem laus Amoris est, à præsenti excellentia quæ ipsum comitatur deducta. Laudat deinde ab antecedentib. Phædrus, cùm deorum omnium esse asserit antiquissimũ. In quo nobilitas amoris effulget, cùm prisca eius origo nar-

Quæ proba lautio.

go nar-

go narratur. Laudabit & tertio à sequentibus, vbi mirifica eius ab euentu apparebit vtilitas. Sed de prisca & nobili eius origine primùm: deinde de futura vtilitate tractabimus. Orpheus in Argonautica, cùm de rerum principijs coram Chirone heroibúsque cantaret, Mercurij Trismegisti theologiam sequutus, Chaos ante mundum posuit, & ante Saturnum, Iouem catenósq; deos, Amorem in ipsius Chaos sinu locauit, laudauitque his verbis. Orpheus de rerum principio.

ORIGO AMORIS EX CHAOS.

CAPVT III.

ANtiquissimum, seipso perfectum, consultissimumq; Amorẽ, Hesiodus in Theogonia: & in libro De natura Parmenides Pythagoricus, Acusilaúsq; poeta, cũ Orpheo & Mercurio cõsenserunt. Plato in Timaeo chaos describit similiter: & in eo locat amorẽ. Atq; idẽ in cõuiuio Phædrus recensuit. Chaos Platonici informẽ mundum vocant: Mundũ verò formatũ chaos. Tres apud eos mundi sunt tria itidẽ Chaos erunt. Primũ omniũ est Deus vniuersorũ autor, quod ipsum bonũ dicimus. Hinc mentẽ primò creat angelicã: deinde mũdi huius animã, vt Plato vult: Postremò mundi corpus. Summũ illũ Deũ, non mundũ dicimus: quia mundus ornamẽtum significat ex multis compositum, ille verò penitus simplex esse debet. sed mundorũ omniũ principiũ atq; finẽ ipsum asserimus. Mens angelica primus mundus est à deo factus: Secundus vniuersi corporis anima: Tertius tota hæc quã cernimus machina. In iis itaq; mundis trib. tria & chaos cõsiderantur. Principiò deus mẽtis illius creat substantiãq; etiã essentiã nominamus. Hæc in primo illo creationis suæ momẽto informis est, & obscura. Quoniã verò à deo nata est, ad deũ sui principiũ ingenito quodã appetitu cõuertitur. Cõuersa mentis

ipsius radio illustratur. Radij illius fulgore ille suus appetitus accenditur. Accensus appetitus deo totus inharet: inhærendo formatur. Nam deus qui potest omnia in mente sibi inhærente creandarum rerum naturas affingit. In ea igitur spiritali quodam modo pinguntur, vt ita loquar, omnia quæ in corporibus ista sentimus. Illis cœlorum elementorúmque globi, sydera, vaporum natura, lapidum metallorum, planetarum, animaliũ forma gignuntur. Huiusmodi rerũ omnium species dei fomente quodam in superna mẽte conceptas, Ideas esse non dubitamus: & formã illã ideámque cœlorum sæpe deum Cœlũ vocamus. Formam planetæ primi Saturnum deum: Secundum Iouem, atq; in sequentibus planetis eodem pacto. Ignis quoque huius ideam illam, Vulcanum deum: Aeris Iouem atque Iunonem: Aquæ Neptunum: Terræ Plutonem. Quare dij omnes certis inferioris mundi partibus assignati, Ideæ illarum partium sunt in superna illa mente collectæ. Sed eam idearum conceptionem à formante deo perfectã præcessit illa mentis ad deũ appropinquatio. Hanc præcessit appetitus incendiũ, hoc infusio radij, hanc prima illa appetitus conuersio hanc informis mentis essentia. Porrò essentiam istam nondum formatam chaos esse volumus. Primã ipsius in deum conuersionem, amoris ortum: radij infusionẽs amoris pabulum, incendium sequens, amoris dicimus incrementum: appropinquationem, amoris impetum: formationem, amoris perfectionem. Formarum omniũ, idearúmque cõplexionem, Mundũ Latinè, Græcè κόσμον, id est ornamentum vocamus. huius ornamenti gratia pulchritudo est. Ad quam amor ille statim natus traxit mentem: atque perduxit mentẽ antè deformem, ad mentem eandem deinde formosam. Ideo amoris conditio est: vt ad pulchritudinem rapiat, ac deformem formoso coniungat. Quis igitur dubitabit, quin amor statim chaos sequatur, præcedátque

dàtque mundum, & deos omnes qui mundi partibus distributi sunt? Cùm mentis ille appetitus ante sui formationem sit, & in mente formata dij mundúsque nascantur. Meritò igitur antiquissimum hunc Orpheus nominauit. Præterea seipsò perfectum: quasi dicat seipsum perficientem Quoniam primus ille mentis instinctus suapte natura a Deo perfectionē suam haurire videtur: atque eam menti, quæ inde formatur, & dijs qui inde gignuntur, præbere. Consultissimum insuper nominauit, nec iniuria. Nam omnis sapientia cuius proprium est consilium, ideo mens data est: quia amore in Deum conuersa, ipsius fulgore refulsit. Eodémque modo mens ad Deum, quo ea lumen solis dirigitur oculus. Hinc enim aspicit primò, videt deinde solis lumen: tertiò in solis lumine rerum colores figuráque comprahendit. Quare oculus obscurus primò, & chaos instar informis, lumen amat dum aspicit, irradiatur aspiciendo, radium accipiendo rerum coloribus figurisque formatur. Quemadmodum verò in deum mens illa statim nata & informis amore conuertitur & formatur: sic mundi anima in mentem, deúmque illinc genita se reflectit. Et cùm primò informis sit, & chaos amore in mentē directa, acceptis ab ea formis sit mundus: non aliter & mundi huius materia, cùm principio sine formarum ornamento informe chaos iaceret, illico amore sibi ingenito, in animam se direxit sibi illi obedientem præbuit: atque hoc amore conciliante, ab anima formarum omnium quæ in mundo videntur nata ornamentum, mundus ex chaos effecta est. Tres igitur mundi, tria & chaos. In omnibus denique amor chaos comitatur, præcedit mundum, torpentia suscitat, obscura illuminat, vnificat mortuos, format informia, perficit imperfecta. Quibus laudibus nulla fermè maiores aut dicinari excogitari possunt.

DE VTILITATE AMORIS.

CAPVT IIII.

SED de origine eius, & nobilitate hactenus. De vtilitate iam arbitror differendum. Singula quidem amoris beneficia generi humano collata referre superuacuũ est: præsertim cum summatim cõprehendi omnia possint. Omnia enim in eo consistũt, vt vitatis malis bona sequamur. Mala hominũ & turpia eadẽ sunt. Bona itidẽ eadem atque honesta. Profectò nihil aliud leges & doctrina omnes contendunt, quàm ita homines instituere, vt declinent à turpib. agant honesta. Hoc autẽ ipsum, quod innumerabiles penè leges & artes vix tandem longo tẽpore assequuntur, Amor ipse vnus breui tẽpore perficit. Nã à turpibus pudor absterret: ad honesta excellendi studiũ prouocat. Duo hæc nihil aliud facilius ac citius q̃ amor hominibus exhibet. Cum amorẽ dicimus, pulchritudinis desideriũ intelligẽte. Hæc enim apud omnes philosophos amoris definitio est. Pulchritudo verò gratia quadã est, quæ vt plurimũ in cõcinnitate pluriũ maximè nascitur. Ea triplex est: siquidẽ ex pluriũ virtutum concinnitate in animis gratia est. Et pluriũ colorum linearúmque cõcordia, in corporib. gratia nascitur. Gratia item in sui maxima ex vocũ pluriũ consonãtia. Triplex igitur pulchritudo, animorũ, corporum atq; vocũ. Animorũ mente cognoscitur, Corporum oculis. Vocũ auribus solis percipitur. Cùm ergo mẽs visus, auditus sint quibus solis frui pulchritudine possumus: Amor verò sit fruendæ pulchritudinis desiderium: Amor semper mentis, Oculus, Auribus est contentus. Quid olfactu? quid gustu? quid tactu opus est? Odores, Sapores, Calorẽ, Frigus, Mollitiẽ & duritiem, horũq; similia sensus isti percipiunt. Istorũ nullũ humana pulchritudo est, cùm formæ simplices sint: humani autẽ corporis pulchritudo mẽbrorum requirat dimensorum

diuersorum concordiã. Amor tanquã eius finẽ fruitionem respicit pulchritudinis: ista ad mentẽ, visum, auditũ pertinet solùm. Amor ergo in trib. in terminatur. Appetitio verò, quæ reliquos sequitur sensus, non amor: sed libido rabiésque vocatur. Præterea si amor erga hominẽ pulchritudinem ipsam desiderat: humani autẽ corporis pulchritudo in quadã conciunitate consistit: cõcinnitas tẽperantia est: sola quæ tẽperata, modesta, decora sunt, exigit amor. Voluptates itaque gustus & tactus, quæ vsque adeò vehementes furiosáq; sunt, vt mentẽ è suo statu dimoueãt, hominémq; perturbent, amor non modò non cupit, sed abominatur & fugit, vtpote quæ propter intẽperantiã pulchritudini sunt contraria. Rabies venerea ad intẽperantiã trahit, ideóq; ad inconcinnitatẽ: quare ad deformitatẽ similiter videtur allicere: Amor autẽ ad pulchritudinẽ. Deformitas & pulchritudo cõtraria sunt. Motus igitur huiusmodi, qui ad ea rapiũt, inter se videntur esse contrarij. Quapropter libido, coitus, & amor non modò non idem motus, sed & cõtrarij esse monstrantur. Testantur hoc & theologi veteres, qui amoris nomen deo tribuerunt. Quod etiã posteriores theologi summopere confirmarunt. Nulli verò deo congruum nomen cum reb. turpibus est cõmune. Ideo sanæ mentis quisque cauere debet, ne amorem, diuinum nomen, ad insanas perturbationes temere transferat. Erubescat Dicæarchus, & si quis alius Platonicam maiestatem quòd amori nimium indulserit, carpere non veretur, Nam decoris, honestis, diuinis affectibus, nec nimium, nec satis vnquam possumus indulgere. Hinc efficitur vt omnis amor honestus sit, & omnis amator iustus. Pulcher enim est omnis atq; decorus, & decorum propriè diligit. Turbulentus autẽ ardor, quo ad lasciuiã rapiuntur, cùm ad deformitatẽ trahat, amori contrarius iudicatur. Vt igitur ad amoris vtilitatẽ aliquãdo redeamus,

In quib. libidinẽ amor.

pudor qui à turpibus nos abſterret, & ſtudium quod ardẽtes efficit ab honeſta, ab amore facilè, citóq; proficiſcuntur. Primò quoniam amor, qui pulchra petit, decora ſemper appetit atque magnifica: & qui odit deformia, neceſſariò turpia obſcœnaque fugit. Deinde ſi duo aliqui ſe mutuò diligunt, alterutrum ſe obſeruant & placere ſibi inuicem cupiunt. Prout alter ab altero obſeruatur, vtpote qui teſte nunquam careant, à turpibus abſtinent. Prout ſibi inuicem placere conantur, magnifica ſemper ardenti ſtudio aggrediuntur, ne contemptui amato ſint, ſed amoris viciſſitudine digni putentur. Sed hanc rationem copioſiſſimè explicat Phædrus: vbi exempla ponit amoris tria. Vnum amoris, fœmina ad maſculum: vbi de Alceſte Admeti vxore loquitur, quæ prò marito mori voluit. Alterum amoris maſculi ad fœminam, vt Orphei ad Eurydicen. Tertium amoris maſculi ad maſculum, vt Patrocli ad Achillem: vbi oſtendit nihil fortiores homines reddere, quàm amorem. Allegoriam verò, vel Alceſtis, vel Orpheis in præſentia perſcrutari non eſt conſilium. Vehementius enim iſta vim amoris & imperium exprimunt, ſi tanquam hiſtoria geſta narrentur, quàm ſi per allegoriam dicta putentur. Erga amorem eſſe Deum magnum atq; mirandum, nobilem præterea & maximè vtilem, ſine controuerſia fateamur: atque ita amori indulgeamus, vt ſine ſuo, qui pulchritudo ipſa eſt, contempti ſimus: At nos ea parte fruimur, qua cognoſcimus, cognoſcimus mente, viſúque & auditu. Hu itaq; fruimur, cæterũ ſenſibus non pulchritudine, quam deſiderat amor, ſed quibus alio potius quo corpus indiget, vtimur. Igitur his tribus venabimur pulchritudinẽ: & per eam quæ in vocibus corporibúſque elucet, tanquam per veſtigia quædam, animi decorem inueſtigabimus. Illam laudabimus quidem, iuſtũ probabimus: hæc ſemper id obſeruare conabimur, vt tantus

amor

amor sit, quanta fuerit pulchritudo. Et vbi corpus quidem pulchrum, animus minimè, tanquam vmbratilem & fluxam imaginem pulchritudinis vix & leuiter diligamus. Vbi solus animus pulcher stabilem hunc decorem animi ardenter amemus. Vbi verò vtraque pulchritudo concurrit, vehementius admiremur: atque ita ex Platonica familia reuera nos esse testabimur: ea quippe nihil nouit nisi festum, lætum, cæleste, supernum. Sed hæc iam de Phædri oratione sufficiant. Ad Pausaniam veniamus.

ORATIO SECVNDA.

DEVS BONITAS, PVLCHRITVDO IVSTITIA, PRINCIPIVM, medium, finis.

CAPVT I.

TRinitatem Pythagorici philosophi rerum omnium mensuram esse voluerũt ob eam arbitror rationem, quòd deus ternario numero res gubernat, atque etiam res ipsæ ternario numero terminantur. Hinc Maronis illud, Numero deus impare gaudet, Nempe summus ille autor, primò singula creat: secundò rapit: tertiò perficit. Singula quoque in primis ab illo perenni fonte effluunt, dum nascuntur, deinde in eũdem refluunt, dum suam illam originem repetunt: postremò perficiuntur postquam in suum in principium redierunt. Hoc vaticinatus Orpheus, leuẽ principium, medium, & finem vniuersi vocauit. Principium vt producit. Medium vt productа retrahit ad seipsum: Finem prout redeuntia perficit. Hinc regem illum vniuersorum, Bonum, Pulchrum, Iustum, quod sæpe apud Platonem dicitur, possumus nuncupare. Bonum, inquam, vbi creat: vbi allicit, pulchrum: vbi pro cuiusque merito perficit, iustum. Proculdubio igitur, cuius allicere proprium est, inter bonitatem iu-

stitiámque locatur : à bonitate quidem affluit, profluit ad iustitiam.

QVO PACTO DIVINA PVLCHRITVDO AMOrem parit.

CAP. II.

Diuina verò hæc species in omnibus amorẽ hoc est sui desiderium procreauit, Quoniam si Deus ad se rapit mundum, mundúsque rapitur: vnus quidem continuus attractus est à deo incipiens, transiens in mundum, in Deum denique desinens: qui quasi circulo quodam in idem vnde manauit, iterum remeat. Circulus itaque vnus & idem à Deo in mundum, à mundo in Deum, tribus nominibus nuncupatur. Prout in Deo incipit & allicit, pulchritudo: prout in mundum transiens ipsum rapit, amor: prout in autorẽ remeans ipsi suum opus coniungit, voluptas. Amor igitur in voluptatem à pulchritudine desinit. Id sibi voluit Hierothei & Dionysij Areopagitæ hymnus ille præclarus, vbi sic hi theologi cecinerunt. Amor circulus est bonus à bono in bonum perpetuò reuolutus. Necessariò enim bonus est amor, cũ à bono natus reuertatur in bonum. Id enim deus est: cuius speciẽ desiderant omnia: in cuius possessione omnia requiescũt. Inde igitur desiderium nostrũ accenditur, sibi amantiũ ardor quiescit, nec extinguitur, sed impletur. Nec iniuria soli Deũ cõparat Dionysius: quia quemadmodum sol illuminat corpus & calefacit: ita Deus animis veritatis claritatẽ præbet, & charitatis ardorem. Hanc vtique comparationem ex Platonis libro De republica sexto hoc quo dicã modo colligimꝰ, Sol profectò corpora visibilia, & oculos videntes procreat, oculis vt videant lucidum infundit spiritum: corpora vt videantur coloribus pingit. Neque tamen pro-

prius

prius oculi radius, propriũe emperil. coleres ad visionem perficiendam sufficiunt, nisi lumen ipsum vnũ supra multa, à quo multa & propria lumina oculis & corporibus distributa sunt, actuemque illustret, excitet atque roboret. Eodem modo primum ille actus omnium, qui deus dicitur, speciem, actúmque rebus singulis producendo largitus est. Qui sanè actus cũ in re creata & in subiecto patiente susceptus fuerit, debilis est, & ad operis executionem impotens. Sed diuini solis perpetua & mutabilis lux vna semper omnibus adstat, fouet, vinificat, excitat, complet & roborat. De quo diuinè Orpheus, Cuncta fouens atque ipse ferens super omnia sese. Vt est actus omnium roborátque, bonum dicitur. Vt vinificat, lenit, mulcet & excitat, pulchrum. Vt in obiectis quæ noscenda sunt tres illas cognoscentes animæ vires, Mentẽ, Visum, Auditum allicit pulchritudo. Vt in cognoscente potentia eam applicat cognitio, veritas. Denique vt bonum, procreat, regit, & complet. Vt pulchrum illuminat, gratiámque infundit.

PVLCHRITVDO EST SPLENDOR DIVINAE BONITATIS, ET Deus est centrum quatuor circulorum.

CAP. III.

NEque ab re theologi veteres Bonitatẽ in centro, pulchritudinẽ in circulo posuerunt. Bonitatẽ inquam in centro vno in circulis autem quatuor pulchritudinem. Centrum vnum omnium Deus est. Circuli quatuor circa id assiduè reuoluti, Mẽs, Anima, Natura, Materia. Mens stabilis circulus. Anima per se mobilis. Natura mobilis in alio, nõ ab alio. Materia ab alio & in alio mobilis. Cæterùm cur Deum quidẽ centrũ, quatuor illa cur circulos appellemus, expenã. Centrũ circuli pũctum est, vnũ, indiuisibile,

stabile. Inde lineæ multæ diuiduæ, mobiles ad eam simulem circunferentiam deducuntur. quæ sanè circunferentia diuisibilis circa centrum quasi cardinē volutur. atque ea est centri natura, vt licet vnum indiuiduum, immobile sit, in multis tamen imò in omnibus lineis diuiduis & mobilibus, vbique reperiatur. Vbique enim est in linea punctum. Quoniam verò à dissimili suo attingi nihil potest, lineæ à circunferentia ad centrum vsque deductæ medium huiusmodi punctum singulæ sui quodā puncto vno simplici & immobili coguntur attingere. Quis negat Deum centrum omnium meritò nominari: cùm omnibus insit vnus penitus, simplex, atque immobilis: cuncta verò ab ipso producta, multa, composita, & mobilia sint, atque vt ab eo manant, ita in eū instar linearum & circunferentiæ refluant? Ita, mens, anima, natura, materia procedentes à deo in eundem redire nituntur: seq; vndique pro viribus in illum circunferunt. Atque vt centrum punctum vbique in lineis & in toto circulo reperitur, pérque, punctū suū singulæ lineæ medium circuli tangunt punctum: ita deus omnium centrum, qui vnitas simplicissima est, actúsque purissimus, sese inserit vniuersis: non ob id solū, quia cunctis est præsens, verumetiam quia omnibus à se creatis parem aliquam, vel potentiā intimam, simplicissimam, præstantissimam indidit: quæ rerum vnitas nominatur: à qua & ad quam tanquam à centro & ad centrum suum rei cuiusq; partes & potentiæ reliquæ pendent. Ad hoc planè suum centrum, ad hanc propriam vnitatem se colligant creata prius oportet, quàm suo hæreant creatori: vt per proprium centrum, quod iam sæpe repetimus, centro omnium hæreant. In apicem suum capitúque mēs angeli antè consurgit, quàm ascendat in deum. Anima quoque & reliqua eodem pacto. Atque illorum inuisibilium circulorum, mentis scilicet, animæ, natu-

ra, visibilis mundi circulus est imago. Corpora enim animarū mentiúmque vmbra & vestigia sunt. Vmbra verò & vestigium figura eius cuius vmbra est, & vestigium refert. Quapropter quatuor illa, nō iniuria circuli quatuor appellantur. Sed mens immobilis orbis, propterea quòd tam operatio eius, quā substātia semper eadem permanet, & similiter operatur: intelligit semper eodem modo, vultq; similiter. Mobilis autem quandoque mens ex eo solū dicē potest, quòd quemadmodū cætera omnia à deo procedens in eundem se vertit. Anima mundi & aliæ quæ, circulus mobilis. Hæc enim sua natura discurrendo cognoscit, & temporum curriculis operatur. Discursio autem ab alio in aliud, & operatio temporalis, motus proculdubio nominatur. Si qua verò in anima cognitione stabilitas est, mentis conflat potius quā animæ beneficio. Natura etiam mobilis est circuitus. Cū animā dicimus, priscorum more theologorū vim in ratione & sensu positam intelligimus: cū naturā, vim animæ in generando locatā. Vim illā in nobis hominem propriè vocauerunt, istam hominis idolum & simulachrum: Hæc sanè generandi facultas ideò mobilis dicitur: quia temporis spatiis suum opus exequitur. Verū in hoc ab illa animæ proprietate discrepat, quòd anima per se & in se mouetur. Per se inquam, quia principium motus existit. In se etiam, quia in ipsa animæ substantia rationis & sensus remanet operatio. Ex iis opus nullum necessariò resultat in corpore. Generandi verò vis illa quā vocamus naturam, per se quidem mouetur: cùm anima per se motæ vis quædā sit. Moueri autem in alio dicitur: quia in mole corporis omnis eius operatio terminatur. Corpus enim nutrit, augétque & generat. Materia verò & corporis moles, orbis est ab alio, & in alio mobilis. Ab alio quidem, quoniā ab anima necessariò agitatur. In alio autem, quia in loci spatio motus corporis agitatur. Iā igitur quā ob causam beni-

tatem in cẽtro, in circulo pulchritudinem theologi collocent, apertè intelligere possimus. Bonitas siquidẽ rerũ omnium unus ipse est deus per quã cuncta sunt bona. Pulchritudo autem dei radius, quatuor illius insitus circulis circa deũ quodãmodo revolutus. huiusmodi radius omnes rerum omniũ species in quatuor illis effingit: species illas in mente ideas in anima rationes, in natura semina, in materia formas appellare solemus. Idcircò quatuor in circulis quatuor splendores esse videtur. Idearũ splẽdor in primo: rationũ in secundo: in tertio seminum, formarum in ultimo.

QVOMODO PLATO DE REBVS DIVINIS exponatur.

CAP. IIII.

HOc mysterium in epistola ad Dionysium regem Plato significauit: cùm deum affirmauit pulchrorũ omnium causam: quasi totius pulchritudinis principium & originem. Circa omnium, inquit, regẽ cuncta sunt: ipsius gratia omnia: ipse causa est pulchrorũ omniũ: Secunda circa secundum. Tertia circa tertiũ. Humanus autẽ animus affectat qualia illa sint intelligere: aspiciens in ea quæ sibi cognata sunt: quorũ nihil se sufficienter habet. Circa verò ipsum regẽ & ea quæ dixi, nihil est tale: quod autem post hoc est, animus dicitur. Circa regem non extra regẽ, sed extra significat. In Deo enim nulla est compositio. Quid verò dictio illa Circa significat, exponit Plato, cum addit: Eius gratia omnia: ipse causa est pulchrorum omnium. Quasi dicat, ideò circa regem omnia sunt, quia ad illum tanquam ad finem pro natura sua omnia revoluuntur, quemadmodum ab illo tanquam principio producta sunt omnia. Pulchrorum omnium, id est, totius pulchritudinis: quæ supra dictis in circulis emicat. Formæ n. corporũ par semina: hæc per rationes,

tiones, hæ per ideas reducuntur in Deum: & iisdē à Deo gradib. producuntur. Propriè verò cùm dicit Cū ea ideas intelligit: nā in his reliqua includuntur. Secunda circa secundum: Tertia circa tertiū. Tres mū di principes posuit Zoroastes, triū ordinum dominos: Oromasin, mithrin, arimanin. Hos Plato, Deum, mentem, animā nuncupat. Tres aūt ordines in diuinis posuit speciebus, ideas, rationes & semina. Prima igitur id est idea, circa primum, id est circa Deum, quoniā à deo menti tributa sunt, & in eundē mentē cui sunt data reducunt. Secunda circa secundum, id est rationes circa mentē: quādoquidē per mētē in animā trāseūt, & in mētē animā dirigunt. Tertia circa tertiū id est semina rerum circa animā: nā per animā trāseunt in naturā, in illam scilicet generandi potentiā, rursūsque naturam, animæ copulant. Eodem ordine à natura in materiā forma descendunt. Sed eas Plato in ordine posito non connumerat, quia de diuinis à Dionysio interrogatus tres ordines ad incorporales species pertinentes tanquam diuinos induxit: Formas autem corporum prætermisit. Noluit autem Deum regem primum vocare, sed omnium regē: ne si primum diceret eum vnà cū sequentibus ducib. in aliqua numeri specie, conditionisq; paritate collocare forsitan videretur. Neque dixit prima circa illum, sed cuncta: ne crederemus eum ordinis alicuius potius quàm cunctorum gubernatorem. Humanus animus affectat qualia illa sint intelligere. Scitè post illos tres diuinæ pulchritudinis splendores tribus in circulis emicantes amorem animi ad illos adiecit. Illinc enim animi ardor accenditur. Quippe par est vt diuinus diuina desideret: aspiciēs in ea, quæ sibi cognata sunt. Quoniam humana cognitio à sensibus oritur: per ea quæ in corporibus præstantiora videmus, diuina iudicare sæpenumero consueuimus: per corporalium rerū vires dei potentiam: per ordinem sapien-

tiam: per vtilitatem, dei bonitatem inuestigamus. Vocat autem formas corporum animæ cognatas, quasi proximè natas. Sequenti enim gradu post animã forma corporum disponuntur. Quorum nihil sufficienter se habet. Forma huiusmodi neque sufficienter sunt, neque sufficienter nobis diuina ostendunt. Verã nãq; res, ideæ rationes, semina sunt. Corporũ verò formæ, vmbræ rerum potius quàm verã res esse videntur. Quemadmodum verò corporis vmbra exactã atque distinctam corporis figuram non indicat, ita corporæ diuinorum naturam propriam non demonstrãt. Circa ipsum regem & ea quæ dixi, nihil est tale. Quo enim pacto mortalia immortalibus & falsa veris similia sint? quod autem post hoc est, animus dicit: id est animus dum diuina per mortalia iudicat, falsè de diuinis loquitur: neque diuina pronunciat, sed mortalia.

PVLCHRITVDO DIVINA PER OMNIA SPLENDET, ET amatur in omnibus.

CAP. V.

CÆterũ vt pauca multa comprahendamus, bonũ quidem ipsa supereminens dei existentia dicitur. Pulchritudo actus quidam, siue radius inde per omnia penetrans: Primò in angelicã mentẽ: Secũdò in animam totius & reliquos animos: Tertiò in naturam. Quartò in materiam corporum. Mentẽ idearum ordine decorat: animã rationum serie complet: naturã fulcit seminibus: Materiam formis exornat. Quemadmodũ verò solis radius vnus corpora quatuor, ignem, aerem, aquã, terrámque illustrat: sic vnus Dei radius, mentẽ, animã, naturã, materiãq; illuminat. Atque in his quatuor elementis quicunq; lumen inspicit, solis ipsius aspicit radium, pérq; ipsum

ad

ad supernam solis lucem intuendam conuertitur. Ita quisquis decorem in quatuor istis, mente, anima, natura, corpore contemplatur, amá que Dei fulgorem in his, pérque fulgorem huiusmodi Deum ipsum intuetur & amat.

PASSIONES AMANTIVM.

CAP. VI.

HInc efficitur vt corporis nullius aspectu vel tactu amatoris impetus extinguatur. Non enim corpus hoc aut illud desiderat: sed superni luminis splendorem per corpora refulgentem admiratur, affectat, & stupet. Quapropter quid cupiant, aut quarant amantes ignorant. Deum namque ipsum ignorant, cuius sapor occultus odorem quendam sui dulcissimũ operibus suis inserit. Quo quidẽ ardore quotidie excitamur. Odorem quidem sentimus: Saporẽ procul dubio ignoramus. Cùm igitur odore manifesto illecti saporem latenter desideremus, meritò quid cupiamus, patiamúrque nescimus. Hinc etiam semper accidit, vt amantes amati aspectum timeant quodãmodo atque venerentur. Quod etiam foriet, dicam equidem, etsi vereor ne quis vestrũm hæc audiens erubescat, & sapiẽtes inquã viri, corã inferiore quouis amato pati consueuerũt. Nempe nõ humanum est quod eos terret, quod frangit, quod occupat. Humana enim vis in fortioribus sapiẽtioribúsq; semper est excellentior. Sed diuinitatis fulgor ille in formosis emicans quasi Dei simulachrum amantes obstupescere, cõtremiscere, & venerari cõpellit. Eadem ratione propter amati præsentiã amator diuitias & honores cõtemnit, & pro nihilo habet. Par enim est, vt diuinæ humanis anteponãtur. Illud quoq; euenire sæpenumero solet, vt sẽ in amati personã quisq; trãsferre cupiat.

Nec immeritò Deus nanque pro homine fieri cupit, atque conatur. Quis autem pro Deo hominem nõ cõmutet? Fit etiã vt amore illaqueati vicissim suspirent & gaudeant. Suspirant quòd sepsos amittũt & perdunt, quòd pereunt. Gaudent quòd in melius quiddam se transferunt. Calent quoque vicissim & frigent: instar eorũ quos tertiana febru inuadit. Meritò frigent: quia calore proprio deseruntur: necnon & calent, cùm superni radij fulgoribus accendãtur. Frigiditatem timiditas: caliditatem audacia sequitur. Ideò timidi quoq; vicissim & audaces apparẽt. Hebetissimi praterea quiq; acutiores amando reddũtur. Quis n. cœlesti radio aspirante, non acutissimè videat? Verùm de amore ipso & pulchritudine, eiúsq; origine, amantium affectibus ista sufficiant.

DE DVOBVS AMORIS GENERIBVS, AC DE DVPLICI Venere.

CAPVT VII.

DEinceps de duobus Amorum generib. breuiter disputandum. Cupidinem Veneris comitem esse apud Platonẽ Pausanias asserit. Totidémque esse Cupidines quot sint & Veneres, necessarium arbitratur. Veneres autem duas commemorat: quas itidem gemini Cupidines comitentur. Venerem alteram quidẽ cœlestem ponit: alteram verò vulgarem. Cœlestem illam cœlo sine matre natam: Vulgarem ex Ioue & Dione genitam. Cœlum Platonici summum Deum ideò vocãt, quia sicut cœlum istud sublime corpus omnia corpora regit & continet, sic summus ille Deus omnes spiritus supereminet. Mentẽ verò plurimis nominibus nuncupant. Saturnum enim modò, modò Iouem, modò Venerem vocant. Est nanq; mens illa, vivit, intelligit. Essentiã suam Saturnum, Vitã Iouem, Intelli-

Intelligentiam Venerem appellare cõsueuerunt. Animam praterea mundi, Saturnum similiter & Iouẽ vocamus, & Venerem: prout superna intelligit, Saturnum: prout cœlestia mouet, Iouem: Vt inferiora generat, Venerem. Venus prima, quæ in mente est, Cœlo nata sive matre dicitur: quoniam mater apud Physicos materia est. Mens autem illa à materia corporali consortio est aliena. Secunda Venus quæ in mũdi animæ partem, ex Ioue & Dione genita. Ex Ioue id est, ex ea virtute ipsius animæ, quæ cœlestia mouet. Ea simul dẽ sũa creauit potẽtiã, quæ inferiora hæc generat. Matrẽ quoq; illi ideò tribuunt: quia materiæ mundi infusa cũ materia cõmercium habere putatur. Denique vt summatim dicã, duplex est Venus. Vna sanè est intelligentia illa quã in mente angelica posuimus. Altera vis generandæ animæ mundi tributa. Vtraque sui similem comitem habet amorem. Illa enim amore ingenito ad intuendam Dei pulchritudinem rapitur. Hæc item amore suo ad eandẽ pulchritudinem in corporibus procreandam. Illa diuinitatis fulgorem in se primùm complectitur: deinde hunc in Venerẽ secundã traducit. Hæc fulgoris illius scintillas in materiam mundi trãsfundit. Scintillarũ huiusmodi præsentia singula mundi corpora, pro captu naturæ, speciosa videntur. Horum speciẽ corporum humanus animus per oculos percipit. Qui rursus vires geminas possidet. Quippe intelligendi vim habet. Habet & generandi potentiam. Hæ gemina vires duæ in nobis sunt Veneres, quæ & geminis comitãtur amoribus. Cum primũ humani corporis species oculis nostris offertur, mens nostra quæ prima in nobis Venus est, eam tanquam diuini decoris imaginem, veneratur & diligit: pérque hanc ad illius sæpenumero incitatur. Vis autem generandi, secunda Venus formã generare huic similem concupiscit. Vtrobique igitur amor est. Ibi contẽplandæ hîc generãdæ pulchri-

tudinis desiderium. Amor vterque honestus atque probandus. Vterque enim diuinam imaginem sequitur. Quid igitur in amore Pausanias improbat? Dicam equidem. Si quis generationis auidior contẽplationem deserat, aut generationem præter modum cũ fœminis vel cõtra naturæ ordinem cum masculis prosequatur, aut formam corporis pulchritudini animi præferat, is vtique dignitate amoris abutitur. Hunc amoris abusum vituperat Pausanias. Quo qui rectè vtitur, corporis quidem formam laudat: sed per illam excellẽtiorem animi mentisque & dei speciẽ cogitat, eámque vehementius admiratur, & amat. Generationi autem & cõgressui officio eatenus vtitur, quatenus naturalis ordo legésque ciuiles à prudentibus statutæ præscribunt. De his diffusius Pausanias.

EXHORTATIO AD AMOREM, DE AMORE SIMPLICI, AC de mutuo.

CAPVT VIII.

VOs autem amici hortor & obsecro, vt amorem rem profectò diuinam totis viribus cõplectamini, neque vos illud deterreat quod de amante quodam Platonẽ dixisse ferunt. Ille, inquit, amator animus est proprio in corpore mortuus, in alieno corpore viuens. Neque vos etiam turbet quod de amara miseráque amãtium sorte cecinit Orpheus. Hæc enim quomodo accipienda sunt, & qua via his succurrendum, quæso deinde si placet, diligenter attendite. Amorem Platonem amaram vocat: nec iniuria, quia moritur quisquis amat. Hũc & Orpheus γλυκύπικρον id est, dulce amarũ nominat. Quippe cũ amor mors voluntaria sit. Vt mors est, amara res est. Vt volũtaria, dulcis. Moritur aũt q̃squis amat. Eius .n. cogitatio sui

oblita

oblita semper in amato se versat. Si de se nõ cogitat, in se certè non cogitat. Ideo nec in seipso sic affectus animus operatur: cùm præcipua operatio animi ipsa cogitatio sit. Qui non in se operatur, nec in seipso est. Æqua enim inter sese hæc duo, esse, & operatio sunt. nec esse sine operatione est, nec operatio esse ipsum ex eèdit: nec operatur quisquam vbi non est: & vbique est operatur. Non ergo in se amantu est animus quia in seipso non agit: si in seipso non est, nec viuit etiam in seipso: qui non viuit, mortuus est. Quare in se mortuus est quicunque amat. Num viuit saltem in alio? Profectò: Amoris illæ duæ sunt species, amor vnus simplex, mutuus alter. Simplex amor vbi amatus non amat amantem. Ibi omnino mortuus est amator, nam nec viuit in se, vt satis iam demonstrauimus, nec in amato etiam cùm ab eo reiiciatur. Vbi ergo viuit? nunquid in aere, vel aqua, vel igne, vel terra, aut aliquo bruti corpore? Nequaquã. Animus enim humanus, non in alio viuit corpore quàm humano. An fortè in alio quodã corpore hominis non amati vitã ducet? Nec istud quidẽ. Nã si in eo nõ viuit vbi viuere vehementissimè concupiscit, quónã pacto viuet in alio? Nusquam ergo viuit qui amat alium ab alio nõ amatus. Præterea omnino mortuus est nõ amatus amator. Nec reuiuisceret vnquam nisi indignatio susceret. Vbi verò amatus in amore respondet, in eo saltem vitã agit amator. Hic certè mira res fit: quoties duo aliqui mutua se beneuolẽtia cõplectuntur, hic in illo, ille in hoc viuit. Vicissim eiusmodi homines se cõmutant, & seipsum vterq; vtriq; tribuit, vt accipiãt alterum. Quomodo se ipsos tribuant dũ sui obliuiscuntur, video. At quomodo accipiat alterũ, nõ intelligo. Nam qui seipsum non habet, multò minus alium possidebit. Imò verò habet seipsum vterq; & habet alterum. Hic quidem se habet, sed in illo. Ille quoque se possidet, sed in hoc. Equidem dum te amo me a-

mantem in te de me cogitante me reperio, & me à me ipso negligentia mea per alium in te conseruante re cupero. Idem in me tu facis. Marũ rursus & hoc apparet. Nã ego postquàm meipsum amisi, si per te me redimo, per te me habeo, si per te habeo, te prius ac magis habeo quàm meipsum tibi propinquior, quam mihi sum. Quippe cum mihi non aliter quàm per te medium inhaream. In hoc vtique vti Cupidinis à Martis discrepat violentia. Nempe imperiũ sic amóq; differunt. Imperator per se alios possidet, amator per alium se complectitur: & vterq; amantiũ longior à seipso fit propinquior alteri: ac in se mortuus, in alio reuiuiscit. Vna verò duntaxat in amore mutuo mors est, reuiuiscentia duplex. Moritur enim qui amat in seipso semel cùm se negligit. Reuiuiscit in amato statim cum amatus eum ardenti cogitatione complectitur. Reuiuiscit iterum, cùm in amato se denique recognoscit, & amatum se esse non dubitat. O felicẽ mortem, quam duæ vitæ sequuntur! O mirum commercium, quo quis seipsum tradit pro alio, nec habet, nec habere se desinit! O inæstimabile lucrum, quando duo ita vnum fiunt, vt quisque duorum pro vno solus duos fiat & tanquàm gemina ac qui vnam habuerat vitam, vna interueniente morte duas iam habeat. Nam qui semel mortuus bis reuiuiscit, pro vna vita geminam, pro se vnus, duos est consequutus. Iustissima certè est in mutuo amore vindicta. Homicida morte plectendus. Quis enim homicidam esse neget, qui amatur cùm animam ab amante seiungit? Quis iterum mori similiter eundem tegit, cùm similiter amet amentem? Debita nimirum hæc restitutio est: quãdo hic illi & ille huic reddit animã quã accepit. Vterq; amando suam tradit, & redamando ꝑ suã restituit alienã. Quapropter iure ipso amare debet quisquis amatur. Qui verò non amat amantem, homicidij reus est habendus. Imò verò fur homicida, sacri-

sacrilegus. Pecunia à corpore possidetur, corpus ab animo. Qui ergo animum arripuerit, à quo tam corpus quàm pecunia possidentur, animum simul corpúsque & pecunias arripit, à quo tam corpus quàm pecuniæ possidentur. Quò fit vt tanquam fur, homicida, sacrilegus, triplici morti sit obnoxius: ac velut infamis penitus atque prophanus impunè à quolibet interfici possit: nisi ipsemet sibi suæ legem illã impleat, amet videlicet amatorem. Vbi cum semel morietur: semel ipse similiter moritur: cum bis reuiuiscente bis itidem reuiuiscit. Superioribus rationibus ostensum est, amatũ viciſſim amatorem amare debere: non solùm verò debere, sed cogi sic ostenditur, Amorem procreat similitudo. Similitudo natura quadã est in pluribus eadẽ. Nam si ego tibi similis sum, tu quoque mihi es necessariò similis. Eadẽ ergo similitudo, quæ me vt te amẽ cõpellit, te quoq; amare me cogit. Præterea amator se sibi auffert, deditq; amato. Hunc ergo amatus tanquã rem suam curat, charissima enim sua cuique sunt. Accedit quòd amãs amati figurã suo seu pu in animo. Fit itaque amantis animus speculum: in quo amati relucet imago. Idcirco amatus cùm in amante se recognoscat, amare illum compellitur. Vicissitudinem amoris inter illos præcipuam esse astrologi arbitrantur, in quorum genesi luminũ, id est solis & lunæ cõmutatio fuerit. Videlicet si me nascente sol in ariete, luna in libra. Te nascente sol in libra, luna in ariete. Aut quib. signum idẽ similéve, idémq; planeta similisve ascenderit, aut benigni planetæ similiter angulum orientis aspexerint, aut Venus in eadẽ natiuitatis domo, eodémque gradu fuerit constituta. Addunt Platonici, quorum vitam dæmon idem, aut certè similis ducat. Physici verò moralésque, Complexionis, Nutritionis, Eruditionis, Consuetudinis, Consilij similitudinem similis affectus causam esse volunt. Denique vbi causæ plures concurrũt,

ibi vicissitudo vehementior reperitur. Vbi omnes, illic Pyrrhæ & Deucalionis, Pylladis & Orestis, resurgunt affectus.

QVID QVÆRANT AMANTES.

CAPVT IX.

CÆterùm quid isti quærunt cùm se mutuò diligunt? Pulchritudinẽ quærunt. Amor enim fruẽdæ pulchritudinis desiderium est. Pulchritudo autem splendor quidem est humanum ad se rapiens animũ. Nempe corporis pulchritudo nihil aliud est, quàm splendor ipse in colorum lineamentúmq; decore. Animi quoque pulchritudo fulgor in doctrinæ & morũ concinnitate. Lucere illam corporis, non aures, non olfactus, non gustus, non tactus, sed oculus percipit. Si oculus solus agnoscit, solus fruitur. Solus igitur oculus corporis pulchritudine fruitur. Cum verò amor nihil aliud sit, nisi fruendæ pulchritudinis desiderium: hæc autem solo oculo comprehendatur, solo aspectu amator corporis est contentus. Tangendi verò cupiditas non amoris pars est, nec amantis affectus, sed petulantiæ species, & servilis hominis perturbatio. Lucem præterea illam & pulchritudinẽ animi sola mente comprehendimus. Quare solo mentis intuitu contentus est: qui animi pulchritudinem expetit. Pulchritudo denique inter amãtes pro pulchritudine cõmutatur. Iunioris amati pulchritudine vir oculis fruitur. Viri pulchritudinẽ iunior mente cõsequitur: & qui solo corpore formosus est, hac consuetudine fit & animo speciosus: qui solo animo est decorus, corporis oculos explet corporis pulchritudine. Mirifica planè commutatio est utrique honesta, utilis & iucunda. Honesta, si quidem par in utroque: æquè enim honestum est & discere, & docere. Iucunditas in seniore maior, qui aspectu & intelligentia delectatur. In iuniore

verò

verò maior vtilitas: quò enim præstantior est animus corpore, eò pretiosior est pulchritudinis animi quàm corporis consecutio. Pausaniæ hactenus, nunc Eryximachi orationem interpretemur.

ORATIO TERTIA.

AMOR IN OMNIBVS, PER OMNIA CREATOR OMNIVM, MAgister omnium.

CAPVT I.

TRia nobis deinceps ex nostri Eryximachi mente tractanda videntur. Primum quòd amor omnibus insitus per cuncta porrigitur. Alterum, quòd omnium quæ secundum naturam sunt operum, effector est atque seruator. Tertium, quòd artiũ singularum est magister & dominus. Tres profectò rerũ gradus in natura cõsiderantur. Superiora, Inferiora, Æqualia. Qua suprà sunt, inferiorũ sunt causæ. quæ infrà, superiorum opera. Quæ æqualia, eadẽ inter se natura sunt prædita. Causæ verò opera sua quam sui partes & imagines diligunt. Opera quinetiam causas tanquam sui conseruatrices expetunt. Quæ autem in eo ordine locata sunt, ad sese inuicẽ quasi vnius & eiusdem similia membra mutua charitate afficiuntur. Ideo Deus angelos, & angelis cũ Deo simul animas, anima cum illis vnà corpora benuolentia quadam regunt atque gubernant. In quo superiorum ad inferiora dilectio planè conspicitur. Rursus corpora animis suis & iunguntur auidissimè, & ab eis molestissimè seiunguntur. Animi nostri cœlestium beatitudinem cupiunt: cœlestes superni numinis maiestatem feliciter venerantur, atque hic inferiorum ad superna est amoris affectus. Item omnes ignis partes libenter inuicem cohærescunt. Terræ rursus, aquæ, & aeris

partes inuicem: & in qualibet animalium specie, eiusdē speciei animalia sese mutua consuetudine semper adsciscunt. Vbi amor ad æqualia similáque cōspicitur. Cuiuā igitur dubium erit, quin amor omnibus ad omnia sit ingenitus? Atque id est quod Dionysius Areopagita in libro De diuinis nominibus ex Hierotheo mente ita verbis significauit: Amorem, siue diuinum, siue angelicum siue spiritualem, siue animalem siue naturalem dixerimus: sit nam quandam intelligimus commiscentémque virtutem: qua superiora quidem ad inferiorum prouidentiam mouet: æqualia rursus ad socialem sui inuicem communionem conciliat: ac postremò inferiora quæque admonet, vt ad potiora sublimioráq; cōuertantur. Hæc ille.

AMOR EST AVTOR OMNIVM ET SERVATOR.

CAPVT II.

SEcundum verò illud nostræ orationis membrum, quo amor effector omnium & seruator est ductus, ita probatur. Cupiditas perfectionis propriæ propagandæ amor quidem est. Absoluta perfectio, in summa dei est potentia. Eam diuina intelligentia contēplatur: atque inde voluntas eadem cupit extra se propagare: ex quo propagandi amore creata ab eo sunt omnia. Idcirco Dionysius noster Diuinus, inquit, amor non permisit regē omnium sine germine in seipso manere. Idē propagationis instinctus omnibus ab illo primo autore est indutus. Per hunc sancti illius spiritus cœlos mouent, & sequentibus omnibus sua munera adsignantur. Per hunc sydera lumen suum in elementa diffundunt. Per hunc ignis sui caloris communione aerem mouet, aer aquā, aqua terram: ac versa vice terra ad se trahit aquam, hæc aerē, ille ignem. Herbæ quoque ac arbores cupidæ sui seminis propagandi

gendi su similia gignunt. Animalia quoque bruta & homines eiusdē cupiditatis illecebris ad procreandam sobolem rapiuntur. Quòd si amor omnia facit, seruat etiam omnia. Eiusdē enim semper est affectionu & conseruationis officium. Nempe similia similib. conseruantur. Amor autem simile ad simile trahit. Terræ partes singulæ amore mutuo copulatæ ad partes alias terræ sui similes sese conferunt. Tota etiam terra ad simile sibi mundi centrum illius auiditate descendit. Aquæ partes ad sese inuicem similiter & ad totum sibi conuenientem cum tota aquæ corpore perferūtur. Idem partes aeris ignisq; faciunt: ac etiā duo hæc elementa ad supernam regionem sibi congruam & similem regioni illius amore trahūtur. Cœlum etiam, vt Plato in lib. De regno inquit, innato mouetur amore. Anima enim cœli tota simul est in quibuslibet cœli punctis. Cœlum ergo anima fruendi cupidum ideò currit, vt per omnes sui partes vbique tota anima perfruatur. Aduolat autem rapidissimè, vt quoad fieri potest totū sit simul vbique, vbicunque tota simul est anima. Præterea sphæræ maioris concaua superficies minoris sphæræ conuexæ est naturalis. Et quia qualibet huius sphæræ particula aquæ cum qualibet illius particulæ conuenit, qualibet omnes appetit particulas illius attingere. Si quiescat, singulæ tangent singulas, non qualibet cunctas. Currendo fermè assequitur quod assequi quiescendo non posset. Currit autem velocissimè, vt qualibet pars eodem penè tempore pro viribus cunctas attingat. Quinetiam vnitate partium suarum cuncta seruantur, dispersione partium pereunt. Vnitatē verò partium mutuus earundem efficit amor. Quod in humoribus nostrorum corporum & mūdi elementis inuenire licet, quorum concordias vt ait Empedocles Pythagoreus, & mundus & corpus nostrum conflat, discordia dissipatur. Concordiam verò illis

pacis atque amoris præstat vicissitudo. Hinc Orpheus μοῦνος γὰρ τούτων πάντων ἔκηλα κρατύνεις, id est, Solus horum omnium tu regis habenas.

QVOD SIT MAGISTER ARTIVM ET GVBERNATOR.

CAPVT III.

RESTat post hæc vt quo pacto magister artium omniũ & gubernator sit, exponamus. Magistrũ quidem artium esse intelligemus, si modò considerabimus neminẽ vnquam artem aliquã aut inuenire, aut discere posse, nisi inuestigationis oblectatio & inueniendi desiderium incitet: & qui docet, discipulos diligat, ac discipuli eam doctrinã auidissimè sitiant. Gubernator præterea meritò nominatur. Artis enim opera diligenter exequitur, atq; exactè consummat, quicũque & artificia ipsa & personas quibus illa fiũt maximè diligit. Accedit quòd artifices in artib. singulis nihil aliud quàm amorẽ inquirunt & curant. Eas in præsentia nos artes breuiter percurremus: quas Eryximachus apud Platonẽ cõmemorat. Quid enim aliud Medicina considerat: quàm quomodo humores quatuor corporis annei inuicem fiant, atque permaneant? quos cibos ac potus, cæteróſq; viuendi, aut medẽdi vsus amet natura atque requirat? Duos illos hic quoque amores, Cælestẽ & vulgarem, quos Pausanias suprà distinxerat, per similitudinẽ quandam Eryximachus adimunit. Temperata enim affectio corporis moderatum, atque ad res moderatas, conuenientẽſque habet amorẽ. Intemperata contrarium, & ad contraria continet. Illi quidem indulgendum, huic nunquam obtemperandum in gymnastica etiam exercitatione inuestigandum, qui corporis habitus, quos exercendi modos, quos gestus amet & postulet. In agricultura, quod solũ, quæ semina qualẽm-

ve

ve culturam exigat: quíve colendi modus à singulis arboribus diligatur. Idē in musica obseruatur: cuius artifices, qui numeri, quos numeros, aut magis, aut minus diligant, inuestigant. Ij inter vnū ac duo, atque vnū & septē minimū amorem inueniunt. Inter vnū verò, tres, quatuor, quinque, sex, amorē vehementiorem reperiunt. Inter vnū & octo vehementissimū. Ij voces acutas, & graues natura diuersas certis interuallis & modulis sibi inuicem magis amicas faciūt. Ex quo harmoniæ cōpositio & suauitas nascitur. Tardiores etiā motus & velociores ita inuicē tēperant, vt amici potissimū fiant, & rhythmū concinnitatēq; exhibeant. Musicæ autē melodiæ genera duo traduntur. Est enim graue quoddā & constans: est & aliud molle atque lasciuū. Illud vtentib. vtile: hoc noxium & libris De republica & legib. Plato iudicat. Illi in conuiuio Vraniam musam, huic Polymniam præfecit. Alij primum illud genus, alij secundū amant. Illorum amori obtemperandum, adhibendíque soni sunt, quos expetunt: horum appetitui obsistendum. Illorū nanque amor cœlestis est: horum verò vulgaris. Inest syderib. & elementis quatuor amicitia quadam, quam astronomia considerat. In his duo illi quodāmodo amores reperiuntur. Est enim hic moderatus amor, quando inuicē mutuis viribus tēperatissimè consonant. Est & amor immoderatus, quando vnū aliquid illorum sēipsum amat nimiis, alia quodāmodo derelinquit. Ex illo aeris grata tēperies, aquæ tranquillitas, terrarū fertilitas, animaliū sanitas: ex hoc cōtraria proficiscuntur. Vatū postremò, Sacerdotúmque facultas in hoc potissimū versari videtur: vt quæ hominum officia deo amica sint, qua ratione homines Deo amici fiant, nos doceant, qui amoris, charitatísque modus ad Deū, ad patriā, ad parentes, ad alios tam ad viuos, quā ad defunctos sit adhibēdus. Idem in cæteris artibus coniectari licet, atque summatim

concludere amorem in omnib. ad omnia esse omnium autorem, seruatorémque existere, & artium vniuersarum dominum & magistrum. Hunc meritò diuus Orpheus appellauit Solertem, bigenũ, omnium claues habentem. Quomodo enim gemina natura sit, à Pausania primum, deinde ab Eryximacho audiuistis. Qua etiam ratione claues mundi tenere dicatur ab Orpheo, ex superioribus satis comprahendere possumus: quippe sicut ostendimus desiderium hoc perfectionis propria propagandæ cunctis ingenitum, latentem implicatam cuiusque fœcunditatem explicat: dum semina in germen pullulare compellit, & vires cuiusque eius educit sinu, fœtũque concipit, & quasi claustris quibusdam conceptus aperiendo producit in lucem: quamobrem omnes mundi partes, quia vnius artificis opera sint, eiusdem machinæ membra inter se in essendo & viuendo similia mutua quadam charitate sibi mutuo vinciuntur, vt meritò dici possit amor nodus perpetuus, & copula mundi partiũque & eius immobile sustentaculum, ac firmum totius machinæ fundamentum.

NVLLVM MVNDI MEMBRVM ODIT ALIVM MEMBRVM.

CAPVT LIIII.

QVod si ita est, nulla operis huius membra inimica esse inter se vllo pacto possunt. Nõ enim ignis aquam, aqua odio fugit sed suipsius amore: ne ab aquæ frigore extinguatur. Neque ignem aqua odio ignis extinguit: sed quodam amplificandi proprij frigoris appetitu trahitur ad aquam sibi similem ex ignis corpore procreandam. Nam cùm omnis appetitus naturalis ad bonum vtilẽque ad malum tendat: aquæ propositum est, non ignem extinguere, quod est malum, sed aquam sui similem, quod

quod bonum est, generare. Quòd si absque igne interitu explere posset, ignē vtiq; non consumeret. Eadem de cæteris quæ contraria & inimica videntur, ratio assignatur. Porrò agnus lupi vitam, figuramq; non odit, sed sui perniciem quæ à lupo infertur, exhorret: neque lupus agni odio, sed amore sui eum lacerat atq; deuorat. Neq; homo hominē, sed vitia hominum horret, neq; potentior huc, aut acutioribus dentes suas illorum odio, sed nostri benevolētia inuidemus, metuētes ne illis penitus succūbamus. Quapropter nihil obstat quin amor in omnib. sit, perq; omnia penetret. Hunc igitur tantū deum, quia vbique est, omnium insidet penetralib. tanquā potentem dominum, cuius imperium effugere non valeamus, tanquam sapientissimum iudicē, quem cogitationes nostræ latere non possunt, proculdubio metuamus, hunc quia creator est omnium atque seruator, tanquam patrem veneremur, tanquā tutorem, præsidiumque colamus: hunc, quia artes singulas edocet, tanquam præceptorē sequamur: quo autore sumus & viuimus: quo seruatore perpetui permanemus: quo præside & iudice gubernamur: quo præceptore ad bene beatēq; viuendum instruimur, & formamur.

ORATIO QVARTA.

NARRATVR TEXTVS PLATONIS DE ANTIQVA HOminum natura.

CAPVT I.

HIs dictis familiaris noster verbis finē imposuit. Eum Christophorus Landinus v. v doctrina excellens, quē potissimū cognouimus nostris temporibus Orphicum Platonicumq; poetam, sequutus est in hunc modum, obscuram & implicatam Aristophanis

sententiam explicaturus. Quãquam Ioãnes Caualcantes sua nos diligentia longa disputationum ambagibus liberauit. Aristophanis tamen sentẽtia verbis obscurissimis inuoluta enodationem adhuc aliquam lucẽmque requirit. Est, inquit Aristophanes, amor præ cæteris deis summopere generi humano beneficus curator & tutor hominũ, atq; medicus. Oportet primùm qualis hominũ quondam fuerit natura quæue illius passiones animaduertere. Neque enim qualis nunc est olim erat, sed longè diuersa. Principiò tria hominũ erant genera: non solum qua nunc duo, mas & fœmina: verumetiam tertium quoddam aderat ex utrisque compositum. Præterea integra erat cuiusque hominis species, atque rotunda, dorsum & latera circum habens: manus quatuor: & paria manibus crura. Vultus item duos tereti ceruice connexos & omnino cõsimiles. Masculinũ genus sole genitũ erat: Fœmininũ terra. Luna promiscuũ. Vnde elato erant animo robustóque corpore: quare cũ diis pugnare tentabãt, & in cælũ ascendere. Idèo Iupiter singulos in longũ secuit: duósq; fecit ex uno instar eorũ qui oua in longum capillo secãt: atque iterũ si fastu in deos insanire videantur, minatus est eos rursus se similiter partiturũ. Postquam natura hominũ ita diuisa fuit, quisque sui dimidium cupiebat. Igitur concurrebant, sactíque circum brachia sese inuicẽ complectebantur, redigi in priorẽ habitum affectãtes. propterea fame & torpore defecissent, nisi deus congressui modum imposuisset. Hinc utique mutuus hominibus innatus est amor priscæ naturæ conciliator, annitens unum ex duobus efficere, hominúmq; naturæ mederi. Est enim quisque nostrũm dimidium hominis utpote sectus, quemadmodum pisciculi qui psettæ & auratæ vocantur, scissi ex uno duo efficiũtur: quærit autem suiquisque dimidium. Quoties itaque dimidium suum alicui, cuiuscunque sexus auidus

dus fit, occurrit, vehementissimè concitatur, ardenti inharet amore neq; momentū quidē ab illo patiatur seiungi. Totius itaque reficiendi cupido, nixus amoris nomen accepit. Quis nos præsenti in tempore summopere iuuat, dum in sui dimidium olim amicissimum quenque conducit: & in posterum spem summam iniicit nobis deum prè colentibus in veterem figuram restituendo, medendoque se nobis beatissimos effecturum.

EXPONITVR OPINIO PLATONIS DE ANTIQVA HOminis figura.

CAP. II.

HÆc Aristophanes & alia narrat permulta, monstris portentisque similia: sub quibus quasi velaminibus quibusdā diuina mysteria latere putandū. Mos enim erat veterū theologorū sacra ipsorū puráque arcana ne à prophanis & impuris polluerentur figurarū umbraculis tegere. Nos autē quæ in figuris superiorum, & aliis describuntur, singula exactè ad sensum pertinere non arbitramur. Nam Aurelius Augustinus, non omnia, inquit, quæ in figuris fiunt significare aliquid putāda sunt. Multa enim propter illa quæ significāt ordinis & cōnexionis gratia sunt adiuncta. Solo vomere terra proscinditur. Sed vt hoc fieri possit, cætera quoque huic aratri membra iunguntur. Quæ igitur nobis exponenda proponitur hæc est summa. Homines quondam tres sexus habebāt, Masculinum, Femininū, Promiscuū, Solis, Terræ, Lunæq; filios erant & integri. Sed propter superbiā cum deo æquare se vellēt scissi in duo sunt: iterū si superbiant, bifariā diseindendi. Sectione facta, dimidiā amore ad dimidium trahitur, vt integritatis restitutio fiat, qua comple-

ta beatum genus hominũ est futurum. Summa verò nostra interpretationis erit huiusmodi. Homines id est hominum animæ quondam, id est, quando à Deo creantur, integræ sunt, duobus sunt exornatæ luminibus, ingenito & infuso: ui ingenito æquali & inferiora, infuso superiora conspicerent. Deo æquare se voluerũt, ad vnicũ lumen ingenitũ se reflexerunt Hic diuisæ sunt. Splẽdorem infusum amiserũt, quãdo ad solũ ingenitũ sunt conuersæ: statimq; in corpora cecidere. Superbiores factæ iterũ dãdentur: id est si naturali nimiũ confidant ingenio, lumen illud ingenitũ & naturale, quod restitui, quodãmodo extinguetur. Tres sexus habebãt, Mares sole, Fœminæ terra, Promiscuæ Luna genitæ. Dei fulgorẽ aliæ secundũ fortitudinem, quæ masculæ est, aliæ secundũ temperantiã, quæ fœmineæ, aliæ secundum iustitiã, quæ promiscuæ susceperunt. Hæ tres in nobis virtutes aliarum triũ, quas Deus habet, sunt filiæ. Sed in deo tres illæ, Sol, Luna, Terra: in nobis Mas, Fœmina, Promiscuũ nuncupatur. Sectione facta dimidiũ amore ad dimidium trahitur. Animæ iã diuisæ & immersæ corporibus, cùm primùm ad annos adolescentiæ venerint, naturali & ingenito lumine, quod seruarunt, ceu sui quodam dimidio excitantur ad infusum illud diuinũmq; lumen, olim ipsa ũ dimidium, quod cadentes amisere studio veritatis recipiendum. Quo recepto tam integræ erunt, & dei visione beatæ. Hoc igitur erit interpretationis nostræ compendium.

HOMO EST IPSA ANIMA, ET ANIMA EST immortalis.

CAP. III.

COrpus cùm ex materia constet & quantitate, & ad materiã susceperit, ad quãtitatẽ diuisibilem extendiq; pertineat, atque ita susceptio & diuisio

uisio passiones sint: consequens est, vt suapte natura passioni tantũ sit & corruptioni subiectũ. Si qua verò actio corpori cõpetere videatur, nõ in quantũ corpus est, agit, sed in quãtũ illius quadã quodãmodo incorporea & qualitas inest, vt in igne mole caliditas, in aqua materia frigus, in corpore nostro cõplexio. Ex quibus certè qualitatib. operationes corporũ proficiscũtur. Non. n. quia longus, aut latus, aut profundus est ignis, sed quia calidus, calefacit. Neq; qui extẽsior ignis calefacit magis, imò propter dispersionem minus, sed qui calidior. Cũ igitur viriũ, & qualitatũ beneficio operationes prouenĩãt, ac vires ipsæ & qualitates ex materia & quãtitate non cõstent licet in materia quantitatéque sint, sequitur vt pati ad corpus, agere ad aliquid incorporale pertineat. Vires vtique hæ instrumenta quidem sunt operandi. Ipsæ verò per se nequaquã sufficiunt ad operandum, quia nõ sufficiunt ad existendũ. Quod enim in alio iacet, séque ipsum sustentare non potest, ab alio certè dependet. Quò fit, vt qualitates, quia à corpore necessariò sustinentur, ab aliqua superiori substantia, quæ neque corpus sit, neque in corpore iaceat, fiant atque regãtur. Huiusmodi anima est, quæ corporib. præsens & insidens ipsa se sustinet, & qualitatem vimq; cõplexionis corporib. tribuit, per quæ tanquã instrumenta in corpore, & per corpus varias operationes exercet. Hinc generare, nutrire, augere, currere, stare, sedere, loqui, artu opera fabricare, sentire, intelligere, homo asseritur. Omnia verò hæc anima ipsa facit, ideóque anima erit homo. Si generare, augere, nutrire hominẽ dicimus, anima tanquã pater & artifex corporis, ipsum gignit, auget, atque nutrit. Si stare, sedere, loqui, anima corporis membra sustinet, flectit, & vibrat. Si fabricare, currere, anima manus porrigit, & pro arbitrio torquet, pedes agitat. Si sentire, anima per sensuum instrumẽta quasi

fenestras, & foramina exteriora corpora percipit. Si intelligere, anima per se ipsam sine aliquo corporis instrumento varietatẽ assequitur. Omnia igitur quæcunq; homo facere dicitur, animus ipse facit, corpus patitur. Quapropter homo solus est animus, corpus autẽ hominis opus & instrumentũ. Eo maximè, quòd animus operationem eius potissimam, intelligentiam scilicet, sine vllo corporis instrumento exercet, cùm res per illam incorporales intelligat, per corpus verò sola corporalia cognoscantur. Itaque si animus per se agit quicquam, per se certè est, & viuit. Viuit autem sine corpore, quod sine corpore operatur. Si per se est, esse sibi quiddam proprium conuenit corpori nõ commune, propterea potest proprium sibi seorsum à corporis mole sortiri hominis cognomentum. Quod sanè nomen, quia de vnoquoque nostrum per omnem vitã dicitur (quisq; enim in omni ætate vocatur homo) idcò aliquid significare videtur quod stabile permanet. Corpus iugiter fluit, crescendo, decrescendo resolutione continua, liquefactione, calore vicissim, & frigore permutatiõ. Anima semper eadẽ permanet, quod liquidò nobis ostendit veritatis inquisitio, bonique voluntas semper eadem, & firma memoriæ conseruatio. Quis ergo vsque adeò demens erit, vt hominis appellationem in nobis firmissimam corpori fluenti semper & vndique permutato potius, quàm animo stabilissimo tribuat? Ex his perspicuum esse potest, cum homines Aristophanes nominauit, more Platonico animas nostras significasse.

QVOD

QVOD ANIMA EST DVOBVS ORNATA LVMINIBVS, ET QVARE in corpus descendit creatio animæ cum duobus luminibus.

CAPVT IIII.

PORRÒ anima statim ex deo nata naturali quodã instinctu in deũ parentẽ suum conuertitur, quemadmodũ ignis in terra superiorũ vi genitus cõtinuò naturæ impetu ad superiora dirigitur, conuersa in eũ eius radijs illustratur. Sed primus hic fulgor in animæ substãtia per se prius informis receptus, fit obscurior, atque ad illius tactus capacitatem propriùs ipsi & naturalis euadit, ideóque per eũ vtpote sibi æqualem, seipsam & quæ infrà se sunt, id est corporea omnia anima videt quidem: Deũ verò & alia superiora non videt. Sed enim per primã hanc scintillam deo facta propinquior aliud iterũ clarius accipit lumen, quo etiã superna cognoscat. Lumẽ igitur habet geminũ: Naturale alterũ, siue ingenitũ Diuinum alterũ & infusum: quib. vnà cõiunctis ceu duabus alis per sublimẽ peruolare valeat regionẽ. At si diuino illo semper vteretur, semper diuinus hæreret. Terra rationalib. esset animalib. vacua. Caterũ diuina prouidentia decretũ est, vt anima suiipsius sit domina, positque tũ vtroque simul lumine vti, tum altero. Hinc fit vt natura duce ad proprium sui lumẽ cõuersa prætermisso diuino seipsam vires suas quæ ad fabricã corporis spectant, animaduertat: cupiatq; vires huiusmodi in fabricandis corporib. exequi. Hac vt aiunt, cupiditate grauata, descendit in corpus: vbi generandi, mouẽdi & sentiẽdi vires exercet suáque præsentia terram infimam mundi sedem exornat: quæ ideo ratione carere non debuit, vt qua pars mũdi esset rationalium viuentium præsentia destituta: quemadmodũ & illius author ad cuius similitudinẽ

mundus factus est, totus est ratio. Cecidit autem animus noster in corpus, cùm prætermisso diuino, solo sui usus est lumine: ac seipso cœpit esse contentus. Solus deus cui deest nihil, supra quem nihil, se ipso contentus permanet, sibi sufficiens, quapropter deo se parem fecit tunc animus, cum se solo noluit esse contentus, quasi non minus quam deus sibi ipse sufficeret.

QVOT VIIS ANIMA AD DEVM REDIT.

CAP. V.

HAnc planè superbiam causam fuisse Aristophanes ait, vt animus qui natus est integer, secaretur, id est, ex geminis luminibus altero posthac vteretur, alterum verò negligeret. Hic in corporis barathrum ceu letheum flumen immersus, sui quemet ad tempus, oblitus sensib. & libidine, quasi satellitib. & tyranno raptatur. Verùm adulto corpore, purgatis sensuum instrumentis conferente doctrina pabulum, respiscit: vbi naturalis emicat fulgor, naturalium que rerum ordinem indagat qua inuestigatione architectũ ingentis huius machinæ aliquem esse persentit: eũ & videre cupit & possidere, illo solo diuino splendore cõspicitur. Ideò mens propriæ lucis indagine ad diuinã lucem recuperandam vehemẽtissimè instigatur. Instigatio verò, appetit éque huiusmodi verus est amor quo duce dimidium hominis alterum, alterum eiusdem dimidium concupiscit, quia naturale lumen, q animi dimidium est, lumen illud diuinum, quod alterum eiusdem dimidium dicitur, olim neglectum accendere rursus in animo nititur: atque id est, quod in epistola ad Dionysium inquit Plato, Humanus animus affectat qualia diuina sint intelligere, aspiciens in ea quæ sibi cognata sunt. Verùm cùm Deus lucem suam infudit in animum, ad id potissim ũ eam ac-

accommodauit, vt homines ad beatitudinem, quæ in ipsius possessione consistit, perduceret. Ad hanc quatuor virtutibus perducimur. Prudentia, Fortitudine, Iustitia, Temperantia. Prudentia primò beatitudinem nobis ostendit. Tres illæ virtutes reliquæ, quasi viatres ad beatitudinem ducunt. Scintillam itaque suam in animis Deus ad finem huiusmodi variè temperat: ita vt prudentia duce, alij per fortitudinem, alij per iustitiæ, alij per temperantiæ officia suum repetant autorem. Nempe alij huius munere gratiæ, pro Dei cultu, pro honesto, pro patria pericula mortémque forti animo subeunt. Alij sic vitam instituunt, vt nec iniuriam cuiquam inferant, neque inferri pro viribus sinant. Alij vigilia, media, labore libidines domant. Hi tribus quidem procedunt callibus: sed ad eundem beatitudinis finem prudentia hunc illum monstrante peruenire conantur: proinde tres hæ virtutes in deique ipsius prudentia continentur. Harum desiderio accensi hominum animi per earum officia ad eas cupiunt peruenire: illis hærere, perpetúoque potiri. Fortitudinem hominum masculam robur & audaciam nuncupamus. Temperantiam fœminam propter remissum quendam & frigidiore desiderij habitum, mitémque ingenium. Iustitiam promiscuam: fœminam quidem prout innocentia sua in veriam iniuriæ minimè: masculam verò prout alij inferri non sinit, & seuerioris censura in homines iniquos animaduertit. Quia verò mari dare fœmina suscipere proprium est, ideirco solem, qui lumen à nullo accipiens exhibet omnib. marè vocamus: Lunã quæ accipiens à sole dat elementu, à dando & accipiendo promiscuã: Terram cùm accipiat quidem ab omnib. tribuat nonnullis fœminam nuncupamus. Quamobrem, Sol, Luna, Terra, Fortitudo, Iustitia, Temperatia meritò mariu, promiscui, fœmina signãtur cognomine: atq; vt excellentiorem

Deo appellationem exhibeamus has virtutes in illo; Solem, Lunam, Terram: in nobis masculinum sexum dicimus, promiscuum, fœmininum. Quibus autem lux illa diuina à dei sole cum fortitudinis affectu in suis ortu fuit infusa, hos masculam dicimus lucem fuisse concessam. Quibus à dei luna cum affectu iustitiæ, promiscuam. Quib. à dei terra cum affectu temperãtiæ, fœminam. Lucem illam infusam, atque diuinam statim ad naturalem reflexi negleximus. Alteram ergo posthabita seruauimus alteram: ubi dimidium nostri tenemus, dimidium prætermisimus. Certo verò ætatis tempore à naturali lumine ducti diuinum affectamus quidem omnes, sed diuerso modo diuersi ad eius adoptionem procedimus per fortitudinem qui à dei fortitudine, illud olim cũ affectu fortitudinis acceperunt: per iustitiã alij temperantiã: ue similiter. Denique suum illud dimidium quisq; vt acceperat quærit. Et alij per masculam quidem dei lucẽ amissam olim, iam recuperatam dei volunt masculæ fortitudinem perfrui: alij per promiscuam lucẽ similiter virtute promiscua: alij per fœminam eodẽ pacto. Munus profectò tantũ hi consequuntur, qui postquam adulta ætate scintilla in ipsis naturalis eluxit, eam nõ esse ad diuina iudicanda sufficientem existimãt, ne scintillæ naturalis iudicio, aut animarũ aut corporũ affectus diuinæ tribuant maiestati, putéque illam non esse corporib. animisue præstantiorẽ. In quo sanè plerique errasse traduntur: qui in diuinorũ inuestigatione ingenio naturali confisi, aut Deum non esse dixerunt, vt Diagoras: aut dubitauerunt, vt Protagoras: aut corpus iudicauerunt, vt Epicurei, Stoici, Cyrenaici, aliíq; permulti, aut animam quandam, vt Marcus Varro, Marcus Manilius, aliíque nonnulli. Hi tanquam impij non modò diuinum lumen olim neglectum non recuperauerunt, sed & naturale propter eius abusũ depranauere: quod depranatũ est, fractũ

non

men iniuria se ipsum puletur. Ideo illorum animi, qui tanquam superbi & fiftu tumidi suis confidunt viribus, secantur, vt ait Aristophanes, iterum: cùm etiam naturale lumen, quod illis erat reliquum, opinionibus falsis obscurant, & moribus iniquis extinguunt. Itaque naturali lumine rectè vtuntur, quicunque mancum illud, & mutilatum esse recognoscentes ad naturalia iudicanda satisfacere quodammodo arbitrantur: ad ea verò, quæ supra naturam sunt sublimiori lumine opus esse putantes exactissima quadam animi purgatione ita se præparant, vt diuina lux iterùm illis effulgeat: cuius radiis rectè de deo sentiens, & in pristinã illã integritatem restituẽtur.

AMOR ANIMAS REDVCIT IN COELVM, BEATITVDINIS DISTRIbuit gradus, gaudium largitur æternum.

CAP. VI.

HVc vos conuiuæ præstantissimi, Deum, quẽ præ cæteris diis generi humano beneficum esse Aristophanes ait, omni sacrificiorum genere vobis proprium facite: hunc piis precibus inuocate: hunc toto corde capescite. Hic animos sua beneficentia primũ ad cœlestem ducit mensam: ambrosia & nectare abundantem: deinde singulos singulis accommodat sedibus: postremò suauiter detinet in æternum. Nulli enim cœlum repetunt, nisi qui cœlorum regi placuerunt: placent illi, qui eum summopere diligunt. Cognoscere quidem illum verè, omnino præsenti in tempore impossibile est. Verè autem amare quoquomodo cognitum, & possibile est, & facile. Qui Deum cognoscunt, nondum illi placent, nisi cognitum diligant: qui cognoscunt diligunt, non quia cognoscũt, sed quia qui diligunt, amantur à deo. Non enim non eos qui

nouerint, sed qui nos amauerint, charitate complectimur. Multos namque qui nos cognoscunt, hostes habemus. Quod ergo nis cœlo restat, non dei cognitio est, sed amor. Discumbentium præterea ordo in mensa cœlesti diuersos sequitur gradus amantium. Nam qui deum excellentius dilexerunt, dapib. excellentioribus ibi vescuntur. Nempe qui per operæ fortitudinis dei fortitudinem coluerũt, ea ipsa fruuntur. Qui iustitiam verò, iustitia: temperantia similiter, qui tẽperantiam: atque ita varijs diuinæ mentis ideis & rationib. varij animi pro vario amoris raptu fruuntur. Toto autem Deo fruuntur omnes, quia totus in singulis est ideis. Sed Deum totum præstantius possident qui eum in præstantiori idea conspiciunt. Quisque verò ea dei virtute potitur, quam dilexit. Ideò inquit vt Plato inquit in Phædro, abest à diuino choro. Cùm enim omnium iucundissimum sit, re amata potiri: quilibet in eo potiundo quod amat contentus plenúsque viuit. Quippe si amatores duo delitiarum suarum componei fiant: vterque in amata sua possessione quiescit: neque curam quidem vllam habebit, ni alter pulchriori potiatur amore. Quapropter amoris beneficio factum est, vt in diuersis felicitatis gradib. portione sua quilibet sine vlla inuidia sit contentus. Fit etiam vt sine vlla satietate animi iisdem vescantur dapib. in æternum. Vt enim oblectentur conuiuæ, non epulæ non vina sufficiunt, nisi fames, sitísq; ad vescendum alliciant: ac tandiu oblectatio, quandiu & auiditas permanet. Auiditatem verò qui amorẽ quendam esse negauerit? Æternus igitur amor quo semper in deum afficitur animus, efficit vt deo semper tanquam nouo spectaculo gaudeat. Amorem hunc eadem dei bonitas semper accendit in animo: quæ & beatum facit amantem. Tria igitur, vt breui cõplectar, amoris beneficia collaudabimus, quòd nos olim diuisum in integrum restituendo, reducit in cœ-

lum

lum: quòd suis quenque collocat sedibus, faciéq; omnes in illa distributione quietos: quòd omni expulso fastidioso suo quodam ardore oblectamentum quasi nouum iugiter accendit in animos: redítque illum blanda & dulci fruitione beatum.

ORATIO QVINTA.

AMOR EST BEATISSIMVS, QVIA PVLCHER EST & bonus.

CAP. I.

CArolus Marsupinus, musarum dulcis alumnus, Landinum poetam secutus, Agathonis orationē sic aggreditur. Amorem deum noster Agatho beatissimū, quia pulcherrimus sit & optimus, arbitratur. Quæ ad hoc vt sit pulcherrimus, quæ itē vt optimus, exiguntur, diligenter enumerat: in quib. enumerandis amorē ipsum effingit. Postremò postquā qualis est enarrauit: beneficia ab eo generi humano tributa connumerat, atque hæc disputationis illius est summa. Nostra interest in primis inquirere, quā ob causam vt beatum ostenderet, pulchrum valde esse dixit & bonum: quòd hæc sit inter bonitatem: pulchritudinémque discrimen. Beatū in Philebo Plato vult esse, cui nihil deest: idque esse illud quod sit ab omni parte perfectum. Est aūt perfectio interior quedā, est & exterior. Interiorē bonitatē: exteriorē pulchritudinē dicimus. Propterea quòd bonū & penitus est pulchrū id, tāquā ab omni parte perfectū, beatissimū nūcupamus. Hāc vtrāq; differentiā omnib. in reb. animaduertimus. Nēpe in lapidibus physici volunt, tēperatissima quatuor elemētorū permixtio quadā interiori nitorē parit exteriorē. Herbas præterea & arbores innatas radicib. medullis, fœcūditas, florū & foliorūgratissima vestit varietate. In animalib. aūt salubris hu

morum complexio iucundam lineamentorum & colorum speciem procreat. Virtus etiam animi decorem quendam præ se ferre videtur in verbis, gestibus, operibus, honestissimum. Cœlos quoque sublimis eorum substantia clarissimo lumine circunfundit. In his omnibus interna perfectio producit externam. Illam bonitatem, hanc pulchritudinem possumus appellare. Quocirca bonitatis florem quendam esse pulchritudinem volumus: cuius flore illecebræ, quasi esca quædam latens interius bonitas allicit intuentes. Quoniã verò nostræ mentis cognitio à sensib. ducit originem, bonitatem ipsam in rerum penetralibus insitam, nec intelligeremus unquam, neque appeteremus, nisi ad eam speciei exterioris indicio manifestio prouheremur. Qua in re mirabilis admodum formæ huius, comitisque ipsius apparet vtilitas. Per hæc satis ostensum arbitror, tantùm inter bonitatem & speciẽ, quãtum inter semen & floseulum intereſſe: atque vt flores arborum semimb. orti semina ipsi quoque producunt: ita speciem hanc bonitatis flo-ẽ vt ex bono pullulat, sic & ad bonũ amãtes perducere: quod quidem noster hic heros abundè in superiorib. demonstrauit.

QVOMODO PINGITVR AMOR, ET QVIBVS ANIMAE PARTIBVS pulchritudo cognoscitur, & generatur amor.

CAP. II.

POst hæc diffusius enumerat Agatho quot ad eius dei formosam speciem requiruntur. Iuuenu inquit est, tener, agilis, concinnus & nitidus. Nobis autem primò quærẽdum quid hæc ad pulchritudinem conferant. Deinde cũ deo huic attribuuntur, quo pacto intelligi debeant. Rationẽ homines habent & sensum. Ratio per seipsam rationes rerum omnium incorpo-

corporeas comprehendit. Sensus per quinque sui corporis instrumenta corporum imagines & qualitates attingit: Colores per oculos, per aures voces. Odores per nares, per linguam sapores, per nervos qualitates simplices elementorum, calorem videlicet, frigúsque & reliqua. Propterea sex ad cognitionem pertinentes, quantum ad propositam attinet quæstionem, vires animi numerantur, Ratio, Visus, Auditus, Olfactus, Gustus, & Tactus. Ratio numini summo, Visus igni, Aeri auditus, vaporum odori Olfactus, atque Gustus, Tactus terræ tribuitur. Ratio siquidem cœlestia indagat, nec propriam in membro corporis aliquo sedem habet: quemadmodum neque certam habet sedem in vlla mundi parte diuinitas. Visus in sublimi parte corporis velut ignis in suprema mundi regione locatur, & lumen natura sua percipit, quod ignis est proprium. Auditus visum nō aliter quam purus aer ignem secutus voces haurit: quæ & in aere fracto gignuntur, & per aeris interuallum aures illabūtur, Olfactus caliginoso aeri, vaporibúsque ex aere & aqua mixtis omnino assignatur: quia inter aures & linguam, quasi aerem & aquam, positus, vapores eos apprehendit facilè, & diligit maximè, qui ex aeris & aquæ mixtione prouenirunt: quales sunt herbarū, florum, pomorum odores naribus suauissimi. Quis dubitet gustum aquæ liquoribus comparari: qui olfactui tanquam aeri crassiori succedit, & iugi salinæ liquore perfusus, potu vehementissimè delectatur, humidísque saporibus? Quis item ambigat terræ tactū ascribere: cùm per omnes terreni corporis partes fiat: nervis qui terreni maximè sunt, expleatur: facillimè tangat quæ soliditatem habent & pōdus, quod terra corporibus tribuit? Hinc etiam accidit vt tactus, gustus, olfactus solum proximè ipsis oppositis sentiant, & patiantur admodum sentiendo: licet olfactus remotiora, quàm gustus & tactus apprehendere vi-

dentur. Auditus autem remotiora cognoscit, neq; ita offenditur. Quo etiam longius prospicit visus. & momento facit, quod aures tempore: prius enim coruscatio cernitur, quàm tonitrus audiatur. Ratio remotissima capit: neque enim quæ in mundo sunt solum, & quæ præsentia, vt sensus: sed etiam quæ supra cælũ & quæ fuerunt, aut futuræ sunt, percipit. Ex hu patere cuique potest, sex illarum animæ virium, tres ad corpus & materiam potius, Tactum scilicet, & Gustum, & Odoratum tres autem alias, Rationem videlicet, & Visum, & Auditum ad spiritũ pertinere. Ideò tres illæ ad corpus potius declinãtes corpori magis quã animo congruunt: & ea quæ ab illo percipiunt, sciùm corpus sibi congruum mouerant, vix ad animam vsque perueniunt, minimèque illi tanquam minimè similia placent. Tres verò superiores à materia remotissima, animæ multò magis conueniunt: réque eas capiunt, quæ corpus quidem parũ admodum, animum verò vehementissimè moueant. Quippe Odores, Sapores, Calores, atque similia, corpori aut noceant plurimum, aut prosint paulùm, quòd ad animi aut admirationem, aut iudicũ conferunt, ac modicè ab illo desiderantur. Ratio incorporeæ veritatis, colores figuræq; & voces, corpus aut nihil, aut vix & minimum mouent: Animi verò aciem ad indagandum potissimum acuunt: atq; eius ad se desiderium rapiunt. Animi cibus est veritas. Ad eã inuenienda oculi, ad discendam aures magnopere conferunt. Igitur quæ ad rationem, visum, auditum pertinent, gratia sui ipsius affectat, quasi proprium alimentũ. Quæ verò sensus tres alios mouent, corpori vel nutriendo, vel fouendo, vel generando magis necessaria sunt. Ea itaque animus, non sui sed alterius, id est, corporis causa querit. Amare autem ea dicimur, quæ propter nosmetipsos desideramus: quæ autem propter aliud quidda[illegible] [illegible]. Veritò igitur amorem

ad

ad scientias, figuras, & voces dũtaxat volumus pertinere: atque idcirco gratia illa solùm, quæ in tribus his reperitur, animi virtute, figura, voce: quia maximè animum prouocat διὰ τὸ καλεῖν, quod voco significat προκλησιν, id est prouocatio nominatur, χάρις verò pulchritudinem Latinè significat Gratus quidem nobis est mos verus & optimus animi: grata corporis speciesi figura: grata vocum concinnitas: cumq; tria hæc animus, vtpote sibi cognata, & quodammodo incorporea plurimum admodum quàm tria reliqua sciat, consentaneum est, vt auidius asciscat, ardentius complectatur, vehementius admirentur, atque hæc ipsa seu virtutis, seu figuræ, siue vocum gratia, quæ animum per rationem vel visum vel auditum ad se vocet, & rapit, pulchritudo rectissimè dicitur. Atque hæ tres illæ gratiæ sunt, de quib. sic Orpheus, Δ' λαμπετε, θαλεια τ' ἠδ' εὐφροσυνη πολύολβε Splendor, viriditas, lætitiáque vberrim. Splendorem quidem vocat gratiam illam & pulchritudinem animi, quæ in veritatis & virtutis claritate consistit. Viriditatem verò, figuræ, coloris q; suauitatem, hæc enim summopere in iuuentutis viriditate floreſcit. Lætitiam denique sincerum illud & salubre, & perpetuum, quod in musica sentimus, oblectamentum.

PVLCHRITVDO EST ALIQVID INcorporeum.

CAP. III.

CVm hæc ita se habeãt, necessariũ est pulchritudinẽ esse aliquid virtuti figuræ, vocibusq; commune. Non enim quodlibet istorũ trium pulchrũ similiter vocaremus, nisi vna his tribus inesset pulchritudinis definitio. Quo fit vt ipsa pulchritudinis ratio corpus esse non possit: quoniam virtutibus animi quæ

incorporea sunt pulchritudo si esset corporea minimè conueniret. Atqui tantum abest vt corpus sit pulchritudo, vt non modò qua virtutib. animi sed etiã qua corporib. & vocib. inest, nequeat esse corporea. Quãtum enim corpora quædam speciosa dicamus, ò tamẽ sunt ex ipsa sua materia Specie sa. Siquidem corpus hominis vnum atque idem hodie formosum, cras aũt casu aliquo fœdante deforme, quasi aliud sit esse corpus, aliud esse formosum. Neque etiam sunt ex ipsa quantitate formosa: quandoquidem grandia nonnulla atque item brevia quædam formosa videntur: ac sæpe magna deformia, parua formosa: & contrà parua turpia, magna gratissima. Nonnunquam etiã accidit, vt similis sit in magnis quibusdam, & paruis corporib. pulchritudo. Sintaque stante sæpenumero eadem quantitate casu quodam pulchritudo mutatur, & mutata aliquando quãtitate permanet pulchritudo, ac similis in magnis paruisque videtur, certè duo hæc pulchritudo, & quantitas debent esse omnino diuersa. Quinetiam si corporis cuiusq; formositas in ea ipsa sui corporis crassitudine quodammodo corporea esset, non tamen vt corporalis esset, intuenti placeret. Placet animo persona alicuius Species, non prout in exteriori iacet materia, sed prout eius imago per visum ab animo capitur vel concipitur. Imago illa in visu & animo, cùm isti sint incorporei, corpus esse nõ potest. Quo enim pacto cælũ, vt ita loquar, totũ parua oculi pupilla caperetur si modo corporali reciperet? Nullo profectò. Sed enim Spiritus in puncto omnem corporis amplitudinem Spiritali modo & incorporea imagine suscipit, placet vtiq; animo ea dumtaxat Speciei, quæ ab illo suscipitur. Hæc aũt licet exteriorii corporis simulachrũ sit in eo, tamen est incorporea. Ergo Species incorporea placet. Quod placet id cuiq; gratũ: quod gratũ, hoc deniq; pulchrũ: quo efficitur vt amor ad incorpareũ aliquid referatur: atq;

ipsa

ipsa pulchritudo spiritale quoddam potius rei simulacrū sit, quàm corporea species. Sunt autem nōnulli qui ceriam membrorum omniū positionem, siue vt eorum verbis vtamur, cōmēsurationem & proportionem cum quadam colorum suauitate, esse pulchritudinem opinentur. Quorū nos opinionem propterea non admittimus, quia cum huiusmodi partium dispositio in solis sit rebus cōpositis, nulla essent simplicia speciosa. Nūc autem puros colores, lumina, vocē vnam, fulgorem auri, & argenti candorem scientiam, animam, quæ oīa simplicia sunt, pulchra vocamus: nōsq; ista mirifice tanquam reuera sint pulchra delectant. Accedit ad hæc quòd proportio illa cuncta includit corporis composita membra, neq; est in singulis sed in cunctis. Singula itaque membra per se pulchra non erunt. Ex singulis autē particulis totius compositi proportio nascitur. Vnde nonnihil sequitur absurdissimum: vt quæ suapte natura speciosa non sunt, pulchritudinem pariant. Sæpenumero etiam accidit, vt manente eadem membrorum proportione, atq; mensura, corpus aquè vt antè non placeat. Eadem porrò hodie, quæ anno superiori corporis vestri figura, gratia verò nō eadē. Nihil tardius quàm figura, nihil citius senescit quā gratia. Ex quo liquidò constat non idem esse pulchritudinem & figuram. Sæpe quoque videmus rectiorem in vno quodam quàm in alio dispositionem partium mensuramq; membrorū: alium tamen, nescimus qua de causa, nobis formosior iudicatus amatur ardentius, quo satis admoneri videmur, vt aliud quiddam formositatem, quàm dispositionem partium censeamus. Eadem nos ratione admonet ne formam suspicemur esse colorum suauitatem. Plerunque enim color in seniore clarior: in iuniore gratia maior. Et in æqualibus fit nonnunquam, vt qui colore superat alterum, gratia tamen ab illo & pulchritudine superetur. Neque tamen audeat quispiam mixtionem

quandam ex figura colore: búsque, pulchritudinem affirmare. Sic enim neque scientiæ, neque voces quæ colore & figura carent, neque colores & lumina quæ certam nullam figuram habent, amore digna iudicarentur. Præterea cuiusque cupiditas eo habito quod volebat, expletur. Nempe fames & sitis cibo potúque sedantur: amor nullo impletur aspectu corporu vel amplexu. Nullam igitur naturam corporis ardet: pulchritudinem certè sectatur. Quo fit, vt ea corporeum aliquid esse non possit. Ex omnibus hu colligitur, eos qui amore accensi pulchritudinem sitiunt, modò velint liquore hoc hausto ardentissimam sitim extinguere, alibi quàm in materiæ fluuio, aut quantitatis aut figuræ, aut colorum quorumlibet riuulis, dulcissimum pulchritudinis huius humorem, quo sitis earum accenditur quærere oportere. Quò vos tandem miseri vertetis amantes? Quis vestri cordis flammas extinguet acerrimas? Quis tantum sedabit incendium? Hoc opus, hic labor. Dicam protinus. Sed attendite.

PVLCHRITVDO EST SPLENDOR DIVINI VVLTVS.

CAPVT IIII.

Diuina potestas omnia supereminens statim à se natis angelis, atq; animis suum illũ radiũ in quo fœcunda vis est omnium creandorum, tanquã fiũt clementer infundit. Hic in eis vtpote sibi propinquioribus totius mundi dispositionem, & ordinem multò pingit exactius, quàm in mundi materia. Quamobrem hæc mundi pictura quam cernimus vniuersa, in angelis & animis lucet expressior. In illis enim sphæra cuiusq; figura solis, lunæ, & syderum reliquorum, elemẽtorũ quoq;, lapidũ, arborũ, animaliũ singulorũ.

Pictura

Picturæ huiusmodi in angelo exemplaria & ideæ: in animis rationes & notiones: in orbis materia formæ atque imagines à Platonicis nominantur, claræ quidem in orbe: clariores in animo: in angeli mente clarissimæ. Vnus igitur dei vultus tribus deinceps per ordinem positis lucet in speculis Angelo, Animo, Corpore mundi. In illo tanquam propinquiore clarissimè: in hoc remotiore obscurius: in hoc remotissimo, si ad cætera comparetur, obscurissimè. Proinde sancta mens angeli nullo impedita corporis ministerio in seipsam reflectitur, vbi Dei vultum illum sinu suo insculptum inspicit, in speculum illico admiratur, auidissimè illi semper inhæret. Vultus illius diuini gratiam, pulchritudinem dicimus. Auiditatem angeli, Dei vultui penitus inhærentem, vocamus amorem. O vtinam nobis idem contingeret. Sed enim animus noster ea conditione genitus, vt terreno corpore circundetur, ad officium generandi declinat. Qua inclinatione grauatus thesauris penetralib. sui auscõditis negligit. Deinde terreno corpore inuolutus diutissimè seruit corporis vsui ad hoc opus sensum quidem semper rationem quoq; diutius quàm decet, accõmodat. Hinc efficitur vt diuini vultus illius candorẽ in se ppetuò enitentẽ, nõ prius animaduertat, quàm adulto iã corpore, & ratione expergefacta dei vultũ in dei machinæ refulgentẽ, & oculis manifestũ cogitatione cõsideret. Qua quidem cõsideratione prouehitur ad eum q. intus emicat intuendũ. Quoniam verò parentis vultus gratus est filijs, necesse est animus dei patris vultum esse gratissimum. Vultus huius, vt idem sæpius repetam, nitor, & gratia, siue in angelo, siue in animo, siue in mundi materia, pulchritudo vniuersalis est appellanda: impetusque ad illam vniuersalis dicendus est amor. Vbique incorpoream esse hanc pulchritudinem nõ ambigimus. In angelo enim & in anima eã corpus aliquod nõ nemini dubiũ. In

corporibus, etiam eam esse incorporalem, & supra monstrauimus, & ad præsens ex eo potissimum intelligimus, quòd oculus nihil aliud nisi solis aspicit lumen. Figuræ nanque, & colores corporum nunquam nisi lumine illustrata perspiciuntur, neque ipsa cum materia sua ad oculos veniunt. Necessarium tamen esse videtur ea in oculis esse, vt ab oculis videantur. Vnum itaque solis lumen corporum omnium ab eo illustratorum coloribus figuríque depictum sese oculis offert. Sic affectum lumen oculi suo quodam radio adiuuante percipiunt: perceptum ipsum, & quæ in eo sunt omnia vident. Quare totus hic mundi qui cõspicitur, ordo, non eo modo quo in materia corporum, sed quo in luce oculis infusa est, cernitur. In ea luce cùm à materia secretus sit, necessariò est corporis expers. Quod ex hoc etiam euidenter appareat, quòd lumen ipsum corpus esse non potest, cùm momento ab oriente in occidentẽ totũ fermè impleat orbẽ: aerũ & aquæ corpus sine vlla offẽsione vndiq; penetret: sordibúsq; immixtum nusquam inficiatur. Hæc verò corporum naturæ nullo modo conueniunt. Corpus siquidem nõ momento mouetur, sed tempore: neque alterum absq; sui, vel alterius, aut vtriusque offensio penetrat alterum: ac duo inuicem corpora mixta mutua se contagione inficiunt. Quod in aquæ & in vini, ignis & terræ confusione conspicimus. Cùm igitur solis lumen incorporeum sit, quicquid suscipit, naturæ suæ susceptæ modo. Propterea colores, & figuras corporum modo suscipit spiritali: eodémque pacto ipsum ab oculis susceptum inspicitur. Quo factum est, vt totus hic mundi decor, qui tertius est Dei vultus, per incorpoream solis lucem incorporeum sese oculis offerat.

QVO-

QVOMODO NASCITVR AMOR ET ODIVM, QVODVE PVLCHRITUDO est incorporea.

CAP. V.

EX his omnibus sequitur vt omnis diuini vultus gratia: quæ vniuersalis dicitur pulchritudo: non in angelo solum, & animo incorporea sit: sed in aspectu etiam oculorum. Neque faciem hanc simul totam sō lummodo verumetiam partes eius admiratione commoti diligimus. Vbi particularis amor ad particularem pulchritudinem nascitur. Sic & ad hominem aliquem ordinis mundani membrum afficimur: præsertim cùm in illo perspicuè diuini decoris scintilla risulget. Affectus huiusmodi duabus ex causis nascitur: tum quia paterni vultus nobis placet imago: tum etiam quia hominis aptè compositi species & figura, cũ ea humani generis ratione, quam animus noster ab omnium autore suscipit, & retinet, aptissimè cõgruit. Vnde hominis exterioris imago per sensus accepta transiénsque in animum, si hominis figura quã possidet animus, dissonat, cuestigiò displicet, & odio tanquam deformis habetur. Si consonat, ilicò placet, & tanquam formosa diligitur. Quò fit, vt nonnulli nobis obuij continuò placeant, vel displiceant: nõsque affectus huiusmodi causam nesciamus. Quippe cùm animus corporis ministerio impeditus intimas illas sui formas nequaquam respiciat. Verùm naturali & occulta quadam incongruitate, vel congruitate fit, vt forma rei exterior imagine sua eiusdem rei formam in animo pictam pulsans dissonet aut cõsonet: atq; occulta hac offensione vel blanditie motus animus, rem ipsam aut oderit aut amet. Integram sanè creandi hominis cõfigurationẽ vis illa diuina, in angelo animoq; genuit: in mũdi verò materia, vtpote ab illo opifice

remotissima, hominis constitutio ab integra illa sui figura degenerat. In materia tamen melius affecta similior: in alia dissimilior prouenit. Quæ similior prouenit, vt dei vi, angelicq; idea, sic animi rationi quadrat & congruit. Animus hanc probat congruitatem. In ipsa profectò congruitate pulchritudo: in ea probatione, amoris cõsistit affectus. Quoniam verò idea, & ratio sunt à materia corporis aliena: hominis constitutio illum non ex materia, vel quantitate, sed ex aliquo potius incorporeo similis iudicatur. Vt similis, illi congruit: vt congruit, pulchra est. Idcirco diuersa sunt corpus, & pulchritudo. Quòd si quis quæsierit, quónam pacto corporis forma, animæ mentisque forma, & rationi similis esse queat: is, oro, consideret ædificium architecti. Principio architectus ædificij rationem, & quasi ideam animo concipit: Deinde qualem excogitauit domum, talem pro viribus fabricat. Quis negit domum corpus existere: eámq; idea artificis incorpoream, ad cuius similitudinem effecta est, esse persimilem? Porrò propter incorporalem ordinem quondam potius, quàm propter materiam est architecto similis iudicanda. Age igitur materiã subtrahe, si potes: potes autem cogitatione subtrahere: ordinem verò relinque: nihil tibi restabit corporis nihil materiæ. Imò verò idẽ erit penitus, qui ab opifice prouenit ordo, & qui remanet in opifice. Idẽ in quouis hominis corpore facias. Reperies illius formã admirationi quadraniem simplicẽ esse materiáq; expertẽ.

QVOT REQVIRVNTVR VT RES PVLCHRA SIT, ET QVOD PVLchritudo est spiritale donum.

CAP. VI.

QVid tandẽ est corporis pulchritudo? Actus vitalis, & gratia quædã idea sua influxu in ipso resul-

resulgens. Fulgor huiusmodi in materiam non prius quàm aptissimè sit praparata descendit. Hu verò tribus, ordine, modo, specie ōstat vniētu corporu praparatio. Ordo partiū interualla: Modus, quātitatem: Species lineamē arcolerīq; significat. In primis. n. oportet vt mēbra quæq; corporis naturalē sitū habeāt: suo aures loco sint, oculíq; & nares, &c. ac parib. interuallis oculi naso sint proximi: paribus item aures vtraque distent ab oculis. Neq; hac interuallorum ad ordinē pertinens paritas sufficit, nisi partiū modus accedat, qui mediocrem debita totius corporis proportione seruata, membris singulis tribuat magnitudinem: vt nasi tres in longum disp. sitæ, vultus vnius impleant longitudinem: aurium v rarunque semicirculi vnà communctis oris aperis circulum faciant. Idem quoque coniunctio supercilivrum efficiat. Longitudo nasi, longitudinem labij cōpleat: auríq; similiter. Gemini oculorum orbes vnū æquent oris hiatū. Capita sesto proceritatum corporis comprahendant. Eandem quoq; mōstret brachiorum in latus extēsio, crurú nq; similiter atque pedum. Necessariam praterea speciem ducimus, vt linearum attractus artificiosi, rugæq;, & oculorū splendor, ordinī illū modúmque partiū decorent. Atqui tria hac licet in materia sint, pars vlla corporis esse non possunt. Ordo membrorum, membrū quidē est nullum. Ordo enim mēbris omnibus inest: nullum verò membrum in membris omnibus reperitur. Accedit quòd ordo nihil est aliud quàm decens partium interuallum. Interuallū verò quid aliud dicemus quàm distantiam partiū? Distātia deniq; aut nihil est, aut vacuū prorsus inane, aut tractus aliquis linearum. Lineas autem qua latitudine profunditatéq; carent, qua corpori necessaria sunt, quis corpora dixerit? Modus item non quantitas, sed terminus quantitatis. Termini verò superficies sunt lineaque, & puncta: qua cùm profunditate

crassitudine careant, corpora non putantur. Speciem quoque in luminum, umbrarũ, linearum iucunda cõcordia, non in materia collocamus. Ex his omnib. patet pulchritudinem vsque adeò esse à mole corporis alienam, vt nunquã ipsi materiæ se cõmunicet, nisi trib. illis incorporalib. præparationibus, quas narrauimus, sit affecta. Harum verò fundamentũ est elementorum quatuor temperata cõplexio: vt corpus nostrum cælo, cuius est cõparata substantia, sit simillimum, neque aliquo humorum excessu ab animi formatione deficiat. Sic enim & cælestis fulgor facilè lucebit in corpore cælo permisti: & forma hominis illa perfecta, quam habet animus in pacatam obediẽtémque materiam resultabit expressior. Ad pulchritudinem præterea suam accipiendã, voces fermè similiter disponuntur. Ordo nanq; illarũ est à graui voce ad octauã ascensus, atque inde descensus: Modus debita per tertias, quartas & quintas, & sextas voces, tonos item & sẽmitonos, progressio: Species, canora claræ vocis intensio. His vtique trib. ex quibusdã elementis corpora ex mẽbris multis cõposita, & arbores, & animalia, ac vocum plurium congregatio ad susciendam pulchritudinem disponuntur. Corpora verò simpliciora, vt elementa quatuor, lapides & metalla, itémque voces singulæ, interiori quadam naturæ suæ temperie, fœsunditate & claritate, ad eandem sufficienter aptantur. Animus autem eò potissimum ad illam est natura sua accommodatus, quòd & spiritus est, & quasi speculum deo proximum. In quo quemadmodum in superioribus diximus, diuini vultus elucet imago. Igitur quemadmodum auro, vt appareat speciosum, nihil prorsus addendum: sed terræ sordes, si quæ inhæserint, secernenda: ita nullis adiunctionib. indiget animus, vt formosus appareat: sed deponẽda corporis cura, & solicitudo tam anxiæ cupiditatis & timoris perturbatio depellenda, consi-

stit.ue

ſtim naturalis animi ſpecies emicabit. Caterùm ne longius digrediatur oratio, ex ſupradictis breuiter concludamus, pulchritudinem eſſe gratiam quandã viuacem & ſpiritalem, dei radio illuſtrante angelo primum infuſam: inde & animis hominum, corporúmque figuris, & vocib. quæ per rationem, viſum, auditum, animos noſtros mouet atque delectat, delectando rapit, rapiendo ardenti inflammat amore.

DE AMORIS PICTVRA.

CAPVT VII.

AGatho verò poeta veterum poetarũ more deum iſtum humana veſtit imagine: pingítque ipſum hominum inſtar formoſum, iuuenem, tenerum flexibilem, ſiue agilem, aptè compoſitum atque nitidum. Quorſum hæc? præparationes hæ quidem ſunt ad formoſam indolem potius quàm formoſitas. Nam ex quinque his partib. tres primæ complexionem corporis temperatam, quod primum eſt fundamentum, ſignificant: duæ reliquæ ordinem, modum, & ſpeciem indicant. Phyſici temperatæ corporationis indiciũ tenerã carnis lenem & firmam æqualitatem demonſtrauere. Vbi calor excedit nimium, aridum, & hirſutum corpus: vbi frigus, rigidum: vbi ſiccitas, durũ & aſperum: vbi humiditas, fluxum, lapſum, inæquale, contortum. Æqualis igitur, & firma corporis teneritudo, affectionem eius indicat in quatuor humoribus moderatam. Hanc ob cauſam Agatho mollem, delicatum & tenerum appellauit. Cur iuuenẽ? Quia non ſolum naturæ, ſed ætatis etiam beneficio temperies hæc habetur. Temporis enim diuturnitate partib. humorum ſubtiliorib. reſolutis partes reſtant admodum craſſiores: igneũ, & aere exhalato, aquæ & terræ regnat exceſſus. At cur agilem & flexibilem? Vt aptum ad motus omnes promptúmq; intelligas:

ne fortè putes cùm mollem diceret, aquæ mollitiem, muliebrem, languidam, & ineptam dicere voluisse. Ea siquidem est moderatæ complexioni contraria. Post hæc adiecit, Aptè compositum, id est ordine & modo partium honestissimè figuratum. Adiecit & nitidum, id est suaui colorum specie refulgentē. Præparationibus his præpositis, quod reliquum erat reticuit. Agatho. Nostrum est enim post hæc aduentum gratiæ subintelligere. Hæ quinque partes in hominu figura ita, vt diximus: in amoris autem potentia aliter intelligendæ videntur: eius enim vim & qualitatem ostendunt. Iuuenis ideò dicitur: quia iuuenes vt plurimum amore irretiuntur, e úsque insidiis irretiti ætatem appetunt iuuenilem. Mollis, quia mitia ingenia facilius capiuntur: & qui capti sunt, licet antè feroces, mansueti redduntur. Agilis & flexibilis: quia & influit citàm, & similiter effluit. Concinnus atque compositus: quoniam formosa & ordinata desiderat, fugitque contraria. Nitidus, quoniam in florida & nitente ætate hominis afficit ingenio, & florida concupiscit. Hæc quoniam copiosissimè exequitur Agatho, breuiter perstrinxisse sufficiat.

DE AMORIS VIRTVTE.

CAPVT VIII.

EA etiam quæ de quatuor virtutibus ab Agathone dicūtur ad amoris bonitatē significādā sic accipienda sunt, vt iustus ideò affirmetur: quia vbi integer ac verus est amor, ibi & beneuolentiæ vicissitudo, quæ nullam admittit contumeliā vel iniuriā. Huius charitatis tanta vis est, vt ea sola humanum genus tranquilla possit in pace seruare, quod neque prudentia, neque fortitudo, neque vis armorum, legum, & eloquentia sine beneuolentia potest efficere. Vocat præterea Temperatum, quia turpes domat cupi-

cupiditates. Amor enim cùm pulchritudinem quærat, quæ in ordine quodam, temperantiáque consistit, viles & immoderatas concupiscentias aspernatur: à turpibus gestibus semper abhorret: quod à principio satu ab heroe audiuerit: atque vbi huius regnat affectus, omnes cupiditates aliæ contemnuntur. Subiunxit fortissimum. Quid enim audacia fortius? Quis item audentius quam amator pro amato pugnat? Dux aliud id est planeta alius, Mars fortitudine præstat: quia fortiores homines efficit. Venus hunc domat. Quando enim mars in angulis cæli, vel secunda natiuitatis domo, vel octaua constituus nascenti mala portendit. Venus sæpe coniunctione sua, vel oppositione, vel receptione, aut aspectu sextili, aut trino, Martis, vt ita dicamus, compescit malignitatem. Rursus quando Mars in ortu hominu dominatur, magnitudinem animi iracundiámque largitur. Si proximè Venus accesserit, virtutem illam magni animi à Marte datam non impedit: sed vitium iracundiæ reprimit: Vbi clementiorem facere Martem & domare videtur. Mars autem Venerem nunquam domat. Illa siquidem si dux fuerit, amoris præstat affectum. Si Mars proximè duxerit, suo calore Veneris impetum reddit ardentiorem: ita vt si nascente aliquo Mars in Veneris domo, Libra, vel Tauro fuerit, propter Martis præsentiam qui tunc natus est, acerrimis vratur amoribus. Mars iterum sequitur Venerem: Venus Martem non sequitur, quoniam audacia amoris pedissequa est, non amor audaciæ. Non enim ex eo quòd audaces sunt, amore homines illaqueantur: sed ex eo plerunq; quòd amore saucij sunt, audaciſsimi fiunt ad quæque pericula propter amatũ intrepidè subeunda. Denique fortitudinis eius omnib. excellentis euidentissimum illud est argumentum, quòd amori omnia parent, ille nulli. Nempe cœlestes amant, & animalia,

& corporea omnia. Fortes item & sapientes. Diuites viri regésque maximi colla subdunt amoris imperio. Amor autem nullius istorum subijcitur. Neque enim diuitum munera amorem emunt, neque potentum minæ violentiæque, vt amemus, vel desistamus amare, nos cogere possunt. Amor enim liber est ac sua sponte in libera ortus voluntate quam neque deus etiam coget, qui ab initio liberam fore decreuerit. Quo fit vt amor, qui vim omnib. infert, omnium effugiat violentiam. Huius tanta libertas est, vt cæteræ animi affectiones vel artes operationésq; præmium aliquod, vt plurimum, à se diuersum optent. Amor seipso tanquam suipsius præmio sit contentus quasi non sit præmium aliud præter amorem quod amore sit dignum. Nam qui amat, amorem amat præcipuè. Id enim vult ab amato potissimũ, vt vicissim amet amantem. Est etiã sapientissimus. Qua ratione amor rerum omnium creator sit atque seruator, & artium singularum magister & dominus, satis in Eryximachi oratione arbitror disputatum. In quibus sapientia amoris ostenditur. Ex omnib. his concluditur amorẽ idcircò & beatissimũ esse, quia pulcherrimus sit, & optimus. Esse verò pulcherrimũ ex eo constat, quia pulcherrimis tanquam sui similib. delectatur. Optimũ propterea, quòd optimos facit amantes. Optimũ verò esse illũ necesse est, qui alios optimos efficit.

DE DONIS AMORIS.

CAPVT IX.

QVid amor sit ex nostra illa discursione apparuit. Qualis sit ex verbis superioribus Agathonis. Quæ munera largiatur facilè ex dicto discitur. Est enim amor alter simplex: mutuus alter. Simplex ille quemcunque comprehenderit, prudentem reddit ad prouidendum: acutum ad disserendum: facundum

ad

ad eloquendum: ad res gerendas magnanimum: ad iocos facetum: ad ludos promptum: ad seria quæque fortissimum. Mutuus periculu pulsis securitatem: submota dissensione concordiam: vitata miseria præstat felicitatem. Vbi enim mutua charitas, ibi nulla insidiæ, ibi communia omnia: ibi lites, & furtas homicidæ cessant, & prælia. Tranquillitatem huiusmodi non animalib. solùm, sed cœlu etiam, elementiq; ab amore mutuo tribui, & hîc tangit Agatho, & suprà in Eryximachi oratione diffusius est ostensum. In oratione huius clarè dicitur amor cantu suo mentes deorum hominúmque mulcere. Quòd planè intelliget quisquis meminerit in superiorib. demonstratum fuisse, amorem in omnib. esse, atque ad omnia porrigi.

AMOR CÆTERIS DIIS ET ANTIQVIOR EST ET IVNIOR.

CAPVT X.

SEd antequam finem faciam optimi viri, tres pro ingenij viribus quæstiones, quæ in Agathonis disputatione suboriuntur, absoluam. Primò enim quæritur cur Phædrus seniorem Saturno & Ioue amorem: Agatho verò dixerit iuniorem. Secundò quid apud Platonem regnum necessitatis significat. Quid amoris imperium. Tertio qui Dij quas artes regnante amore repererint. Pater omnium deus mentes illas sui ministras, quæ Saturnum, Iouem, cæteróſque planetas mouens, amore quodam sui seminis propagandi, & benignitate prouidentiæ genuit. Mentes iterum exemplo natæ parentem suum recognitum diligunt. Amorem illum quo creantur cœlestes, seniorem illis: eum verò quo creatori suo afficiuntur, dicimus iuniorem. Præterea Saturni planetæ, & aliorum ideas angelica mens à patre suo non prius accepit quàm ad eius faciem amore ingenito flecte-

retur. Ea rursus postquam illos accepit flagrantius parentu munus amauit. Sic ergo angeli illius in deũ dilectio, partim antiquior est ideu, quæ dij dicuntur: partim etiam iunior. Igitur amor principium est & finis dearum primus atque nouissimus.

AMOR ANTE NECESSITATEM REGNAT.

CAPVT XI.

VErùm vt quæstio secunda soluatur, hic ante necessitatem ideò regnare dicendus: quoniam diuinus amor omnibus ex se natu dedit originem: in quo nulla necessitatis violentia ponitur. Nam cùm nihil supra se habeat, non coactus, sed sponte quodlibet operatur. Mens autem quæ illum sequitur, serente illo necessariò pullulat. Ille igitur amore producit: hac necessitate producitur. Ibi amoris, hic necessitatis incipit dominatio. Hæc licet à summa Dei bonitate nascatur ideóque sit bona: tamen qui extra deum processit, necessariò ab infinita parentu perfectione degenerat. Nunquam enim effectus totam suscipit causæ bonitatẽ. In hac vtique necessaria effectus tum processione, tum etiã degeneratione, necessitatis consisteret imperium. Sed enim mens euestigio genita suam, vt diximus, diligit autorem: vbi regnũ resurgit amoris. Nam & illa amore in deũ erigitur: & deus amore eam ad se conuersam illuminat. Verùm hic rursus necessitatis potentia surrepit. Quippe cùm lumen illud à deo descendens non tanta claritate recipiatur à mente natura sua obscura, quanta à deo tribuitur. Cogitur enim pro natura sua capacitate recipere. Ideo violentia naturæ susceptiuus sit lumen obscurius. Huic necessitati, amoris succedit iterum principatus. Illa siquidem priùs hoc dei fulgore accensa, ardentius in eum reflectitur, & hac re

quasi

quasi scintilla luminis instigata totã expetit luminis plenitudinẽ. Hunc & deus prouidẽtiæ suæ benignitate vltra primã illud naturale lumen diuinũ quoque largitur: atq; ita sibi inuicẽ alternè succedit amoris necessitatisque potentia. Quæ quidẽ successio, in diuinæ naturæ origine fit, in aliis, tẽporũ interuallis: ita tamẽ, vt amor primus sit omnium atque nouissimus. De animo quoque & cæteris quæ à Deo fiunt, quo ad duo hæc imperia similiter iudicandum. Ideirco si absolutè loquamur, antiquius est amoris quàm necessitatis imperium: cùm in deo illius, huius in rebus creatis potestas incipiat. Si de rebus à deo creatis intelligamus, necessitatis tyrannis regnum antecedit amoris: cùm res ipsæ prius necessitate procedant atque degenerent procedendo, quam ad patrem suum amore se vertant. Duo hæc imperia, duobus hymnis cecinit Orpheus. Necessitatis imperium ita in nocte hymno, δεινὴ γὰρ ἀνάγκη πάντα κρατύνει. id est, Grauis necessitas omnib. dominatur. Amoris autem regnum, ita in Veneris hymno, καὶ κρατέεις τρισσῶν ἰσοτιμίη, γενεὰς δὲ τε πάντα. ὅσσαι' ἐν οὐρανῷ ἐστὶ καὶ ἐν γαίῃ πολυμήτωρ. Tribus satis imperas, & generas omnia: quæ in cœlo sunt, & quæ in terra, & quæ in mari. Diuinè Orpheus duo regna posuit, & ea inuicem comparauit, præposuitque amorem necessitati, cùm dixit illum tribus satis, in quibus consistit necessitas, imperare.

QVO PACTO REGNANTE NECESSITATE SATVRNVS CASTRAuit Cœlium: Iupiter verò ligauit Saturnum.

CAP. XII.

QVo autẽ pacto dominante Necessitate sequẽtes dij parentes suos aut castrare aut ligare hîc ob

Agathone dicãtur ex dicto facilè intelligimus. Nõ enim hæc ita accipiẽda sunt, vt mens angeli deũ ipsum, sed munus sibi à Deo tributũ in seipsa diuidat & discerpat. Satu paulò antè mõstrauimus, munera dei in recipiente spiritu necessariò à summa dei perfectione decidere. Quo fit, vt fœcunditas illa naturæ in deo quidẽ integra, sed in angelo cõminuta, & quo dammodo mutilata, meritò castrata fuisse dicatur. Quod quidẽ regnante necessitate cõtingere dicitur, quia neque danti, neque accipiẽtis volũtate, sed ea necessitate qua affectus causæ suæ æquari nõ potest, necessariò accidit. Sic enim Saturnus, id est angelus, Cœlũ, id est summum deũ castrare videtur: Iupiter quoque, id est anima mũdi ligare Saturnum, id est vim ab angelo acceptã in seipso naturæ suæ defectu angustioribus limitibus coarctare: Amplior enim est illius quàm huius potẽtia. Ideò potẽtia, quæ in illo expedita propter amplitudinẽ, & soluta, in hoc propter angustiã ligata iã & coarctata cẽsetur. Omitto quod astrologi opinãtur, planetæ Saturni malignitatẽ Iouis cõiũctione, vel receptione, vel oppositione, aut aspectu, sextili aut trino sapissimè coerceri. Sed de his hactenus ad quæstionem tertiam descendamus.

QVI DII QVAS ARTES HOMINIBVS LARGIVNTVR.

CAP. XIII.

ARtes à dijs propter amorẽ humano generi traditas Agathon arbitratur. Regnandi ab Ioue: Sagittandi, diuinandi, medẽdi artẽ ab Apolline: Fabricam arariam à Vulcano: Texendi artificiũ à Minerua: à Musis denique musicã. Duodecim Zodiaci signis numina præsunt duodecim. Arieti Pallas: Tauro Venus: Apollo Geminis: Cancro Mercurius: Leoni Iupi-

Iupiter: Virgini Ceres, Libræ Vulcanus: Scorpio Mars: Diana Sagittario: Vesta Capricorno: Aquario Iuno: Piscibus verò Neptunus. Ab his artes omnes generi nostro traduntur. Signa illa in corpus. Numina quæ illis præsunt in animam vires suas ad singulas artes infundũt. Ita Iupiter per Leonẽ hominẽ ad gubernationẽ deorũ & hominũ, id est ad res tam diuinas quàm humanas præclarè gerendas reddit aptissimũ. Apollo per Geminos vaticiniũ, medicinã, & arcus industriã exhibet. Pallas per Arietẽ texendi peritiã. Vulcanus per librã arariã fabricã: & artes reliquas alij. Quia verò prouidentiæ benignitate suæ nobis munera magnificè largiũtur amore instigãte dicimus elargiri. Præterea velocissima illa & ordinatissima cælorũ conuersione musicã nasci consonantiã arbitramur, atq; octo circulorũ motibus tonos octo: ex cũctis autẽ nonũ quendã producẽ concentũ. Nouem itaq; cælorũ sonos, à musica concordia musas nouẽ cognominamus. Huius musicæ ratione noster elim donatus est animus. Cui enim est origo cælestis, meritò cælestis innata dicitur harmonia. Quam deinde variis instrumentis & cantibus imitatur. Idque munus similiter diuina prouidentiæ nobis est amore concessum. Hunc ergo nos virẽ clarissimi deum, quia pulcherrimus est, amemus: quia optimus, imitemur: quia beatissimus veneremur: vt sua nobis clemẽtia & largitate cõcedat pulchritudinis bonitatis, beatitudinis suæ possessionem.

ORATIO SEXTA.

INTRODVCTIO AD DISPVTATIONEM DE AMORE.

CAP. I.

HActenus Carolus Marsupinus. Thomas autem Bentius Socratis diligens imitator ad Socrati-

corũ verborũ commentationẽ lubenti animo, & hilari vultu se contulit. Socrates inquit, noster Græcorum omniũ sapientissimus oraculo Apollinis iudicatus, amandi artem præ cæteris profiteri solebat, quasi ob artis huius peritiã potissimũ & Socrates, & alius quiuis esset sapientissimus iudicandus. Artẽ huiusmodi non ab Anaxagora, Damone, Archelao physicis, nõ à Prodico Chio, & Aspasia rhetorica professorib. nõ à Cano musico, à quib. multa didicerat, sed à Diotima fatidica muliere diuino afflata spiritu se accepisse dicebat. Mea quidẽ sentẽtia, vt ostenderet sola diuinitatis inspiratione quid vera pulchritudo sit: quid legitimus amor: qua ratione amandũ: homines intelligere posse. Tãta est amatoria facultas & potentia, tãta sublimitas. Ergo procul ab his cœlestibus epulis abeste: procul inquam abeste prophani: qui terrenis obruti sordib. & Baccho Priapóq; prorsus emãcipati, amorẽ cœleste munus, in terrã porcorũ ritu cœnumq; prosternitis. Vos autẽ conuiuæ castissimi: & alij omnes Diana & Palladi cõsecrati: qui animi purissimi libertate perpetuóq; mentis gaudio exultatis, adeste feliciter: diuinaq; mysteria Socrati à Diotima reuelata diligenter audite. Sed antequam Diotimam audiatis soluenda est controuersia quædam, inter eos qui de amore in superioribus tractauerunt, & eos qui tractaturi sunt, orta. Superiores nanque amorem pulchrum, bonum, beatum, deum vocauerunt: Socrates & Diotima negant, atque illum inter pulchrum & turpe, bonum & malum, beatũm & miserum, deum & hominem medium collocant. Nos vtranque sententiam, licet alia ratione, veram existimamus.

AMOR

AMOR EST MEDIVS INTER PVLCHRITVDINEM ET TVRPItudinem, atque inter Deum & hominem.

CAPVT II.

FErro magnes lapis suam quandã inserit qualitatem: qua ferrum magneti factũ persimile ad hũc lapidem inclinatur. Inclinatio huiusmodi prout à lapide orta vergit in lapidem, lapidea certè inclinatio dicitur: prout in ferro est, & ferrea est pariter: & lapidea. Est enim in ferri materia nõ pura illa quidẽ: sed per qualitatem lapidis iam formata. Ideò vtriusq; retinet proprietatẽ. Ignis et am, vt loquamur apertius, qualitate sua, id est calore linum accendit. Linũ coloris qualitate suspensum ad supernam ignis euolat regionem. Volatum huiusmodi prout ab igne excitus vergit ad ignem: igneum planè cognominamus: prout in lino est non mero quidẽ, sed iam igneo, ab vtriusque tã lini quàm ignis natura, lineũ aguè ac igneũ dicimus. Figura hominis sæpenumero propter bonitatem interiorẽ feliciter à deo. concessam, aspectu pulcherrimum splendoru sui radium per oculos intuentium transfundit in animum. Hac vtiq; scintilla tanquã hamo quodam tractus animus properat ad trahentẽ. Hunc nos tractũ qui & amor est: quoniã à pulchro bono felici dependens in idẽ reflectitur: pulchrũ bonũ, beatũ, deum Agathonis cæterorúmq; superiorũ sententia nominare non dubitamus. Quoniã verò in animo est per radij illius pulchri præsentiã iam accenso, affectũ inter pulchrũ & nõ pulchrũ mediũ cogimur nominare. Quandoquidem animus, qui nullã adhuc pulchra rei suscipit imaginẽ, rem illã tanquam incognitam nõ tũ amat: & qui totã possidet pulchritudinem, amoru stimulis non vexatur. Quis .n. quæ habet affectat? Restat vt

tũc ardẽti flagret amore, quãdo ſpecioſum aliquod rei pulchræ ſimulacrum nactus, ea præguſtatione ad plenã poſſeßionẽ pulchritudinis inſtigatur. Cùm igitur amãtis animus rem ipſam pulcrã partim habeat quidẽ, partim verò nõ habeat: non iniuria partim pulcher eſt: partim non pulcher. Atq; ita amorẽ ex huiuſmodi mixtione mediũ quendã affectũ eſſe volumus inter pulchrũ & non pulchrum, vtriuſque participẽ. Ob hãc vtique rationẽ Diotima vt ad eũ iam veniamus, amorẽ damonẽ appellauit: quia ſicut dæmones inter cœleſtia & terrena ſunt mediy: ſic amor inter informitatem & formam medium obtinet. Mediam hanc eius regionem inter informem formoſámque naturam Ioannes in prima & ſecunda eius oratione ſatis aperuit.

DE SPHÆRARVM ANIMIS ET DÆMONIBVS.

CAPVT III.

SEd quomodo mediam plagam cœlũ inter & terram dæmones habitent: ex verbis Diotimæ in conuiuio, Socratis in Phædro atque in Philebo, Atheniensis hoſpitis in legib. & Epinomi, ita cogноſcite. Vniuerſam huius mũdi machinã anima quadã regi, atq; moueri Plato exiſtimat. Siquidẽ mũdi corpus totũ quoddã corpus eſt, ex totis quatuor elementis compoſitũ, cuius particulæ ſunt omniũ animantium corpora. Nã animalis cuiuſque corpuſculũ mundani corporis particula eſt. Neque ex toto ignis, aeris, aquæ, terræ elemento, ſed horũ elementorum partibus quibuſdã cõponitur. Quantò igitur totum parte perfectius eſt, tanto mundi corpus perfectius eſt ſingulorũ animantium corpore. Abſurdũ eſſet imperfectum quidẽ corpus habere animam, perfectum verò neq; habere animam, neque viuere. Quis enim adeò

mente

mente captus est, vt partem viuere dicat, totum neget? Viuit igitur totum mundi corpus, cùm animalium corpora, quæ partes illius sunt, viuant. Vnum esse oportet totius animam sicut & vna est materia, vna constructio. Cùm ergo duodecim sint mundi sphæræ: vt Platoni placet, octo cæli, & elementa sub cælo quatuor atque duodecim hæ sphæræ discretæ inuicem sint, specie, motibus, & proprietate diuersæ, duodecim necesse est illis adesse animas specie & virtute diuersas. Vna igitur erit vnius primæ materiæ anima. Duodecim circulorum, anima duodecim. Quis terram, aut aquam neget viuere, quæ vitam animalib. ex se genitis tribuunt? Quòd si faces ha mundi viuunt, viuentiúmque sunt plenæ: cur non aer, & ignis excellentiores mundi partes viuant, viuentiáq; in se similiter habeant, cæliq; similiter? Sed animalia illa cælestia, quæ sydera sunt, & terrena, aquatiliáq; videmus quidem, ignea verò & aerea nõ videmus. Quippe cùm neque puri ignis, aut aeris elementi perspiciamus. Hoc autem interest, quòd in terra duo sunt animantium genera: bruta & rationalia: similitérq; in aqua: cùm aqua corpore terræ præstantior, non minùs quã terra cõpos esse debeat rationis. Globi verò decem superiores propter eorũ sublimitatem solis sunt rationalib. exornati. Animã mundi, id est materiæ primæ: & duodecim sphærarũ, & syderũ animas deos Platonici nominant, tanquam angelicæ mentis summíq; dei pedissequas. Animalia quæ ignis ætherei sub luna locatis aut puri aeris, aut nebulosi aeris aquæ proximi regione habitant, dæmones. Quæ terram incolunt rationalia, homines. Dij etiam immortales, & impatibiles sunt homines patibiles, atque mortales sunt. Dæmones immortales sunt quidem, sed patibiles. Neque passiones dæmonũ corporis, sed animi affectus quosdam attribuunt: quib. bonos homines amant quodãmodo, malos oderũt séq;

ipſos propius & ardentius reb. inferiorib. præcipuè humanis gubernandis immiſcent, ij omnes ex hoc officio boni videntur. Eſſe verò alios quoſdam malos dæmones Platonici nonnulli, & Chriſtiani theologi voluerunt. Sed de malis dæmonibus nulla ad præſens nobis eſt diſputatio. Bonos autẽ noſtri cuſtodes proprio nomine angelos inferioris mundi gubernatores, Dionyſius Areopagita, quod à Platonis mente minimè diſcrepat, vocare ſolet. Quinetiam quos deos & ſphærarum, ſyderumq; animos Plato nuncupat, angelos dei miniſtros Dionyſij more poſſumus appellare, quod etiam à Platone ob eam cauſam non diſſentit: q a huiuſmodi animos, vt in decimo legum apparet, ſphærarum clauſtris haudquaquã perinde illigat, vt corporib. animas terrenorũ. Sed tanta virtute à deo ſummo donatos affirmat, vt dei viſione gaudere ſimul valeant, & ſine vllo labore, aut ſolicitudine globos mundi pro patris ſui voluntate regere & mouere, hiſque mouendis inferiora facilè gubernare. Quare inter Platonem & Dionyſium verborum potius eſt, quàm ſententiæ diſcrepatio.

DE SEPTEM DONIS, QVÆ A DEO HOMINIBVS PER MEDIOS ſpiritus tribuuntur.

CAP. IIII.

RErum omnium ideis, quas diuina mens continet, ſequentes dij, deorum munerib. dæmones ſubſeruire dicuntur. A ſummo nãque ad imum omnia per media tranſeunt: ita vt ideæ illæ diuinæ mentis conceptiones, per deos, dæmones, ſua hominib. munera largiantur. Horum ſunt præcipua ſeptem. Contemplationis acumen, Gubernandi poteſtas, Animoſitas, Claritas ſenſuum, Amoris ardor, Interpretãdi ſubtilitas, Fœcunditas generandi. Horum vim deus primò in

ſe

se cõtinet. Deinde septem diu, qui planetas septẽ mouent, angelique à nobis vocantur, horum potentiam tribuit, ita vt singuli singula præ cæteris capiant. Illi septem dæmonũ ordinib. ei subseruientib. singulis præcipuè singula exhibent. Isti tradunt hominib. Profectò deus hæc animis statim à se natis infundit: hi ex orbe lacteo per cancrũ labentes in corpus, cæleste quodã lucidóque corpore inuoluuntur: quo circundati terrenis corporib. includuntur. Ordo in natura requirit, vt purissimus animus in corpus hoc impurissimũ, nõ prius quã medium quoddam & purũ tegmen acceperit, decidere valeat. Quod cũ animo crassius sit, hoc aũt corpore purius & subtilius, cõmodissima à Platonis iudicatur anima cũ terreno corpore copula. Hinc itaque fit vt planetarũ animæ nostris animis, corpora verò corporib. nostris septẽ illorũ numerum vires à deo datas statim ab initio, atque assiduè confirment & roborent. Eidem officio præsunt natura dæmonũ totidem, inter cælestes & homines media. Cõtemplationis donũ Saturnus per Saturnios dæmones roborat. Gubernãdi & imperandi potentiã Iupiter Iouialium dæmonum ministerio. Magnitudinẽ animi Mars per dæmones Martiales. Sensum, opinionisque claritatẽ, vnde vaticiniũ sequitur, sol dæmonũ solareum adiumento. Amorem per Venereos Venus inspirat. Pronunciandi & interpretandi solertiam Mercurialib. intercedentib. Mercurius adiuuat. Luna postremò lunarib. dæmonib. cõferentib. fouet generationis officium. Horũ facultatem licet hominib. cunctis impertiant: illis tamen præcipuè in quorũ conceptione & ortu ex cæli dispositione possunt plurimũ. Quæ quidem licet infusa diuinitus honesta sint, possunt tamen in nobis quandoque propter abusum videri deformia quod est in gubernationis, animositatis, amoris, generationis vsu perspicuũ. Amoris instinctũ ne lõgius digrediamur, à deo summo & à Venere, qua dea dicitur, & à dæmonib. Vene

reis habuimus. Quoniã à deo descendit deus: quoniã à dæmonibus confirmatur, dæmon est appellandus. Quapropter iure apud Agathonẽ deus, apud Diotimam dæmon est dictus. Dæmon inquam, Venereus.

DE ORDINE DÆMONVM VENEREORVM, ET QVOMODO iaculentur amorem.

CAP. V.

DÆmon autẽ Venereus, triplex est amor. Primus in Venere cœlesti à Platonicis ponitur. In ipsa scilicet angelicæ mẽtis intelligẽtia. Secũdus in vulgari Venere, In ea videlicet potentia, quam habet mundi anima generãdi. Qui duo propterea dæmones appellantur, quia vtriusque informitatẽ & formã sunt mediũ, vt suprà tetigimus. & paulò pòst latiꝰ explicabimus. Tertius ordo dæmonum planetam Veneri comitantium: Horum quoque scilicet dæmonum Venereorũ, triplicem ordinem ponimus: Alij purissimi aeris, alij crassioris & nebulosi aeris elemento sunt assignati, omnésque à Græco vocabulo ἔρως, quod amorẽ significat, Heroes, id est amatorij nominantur. Primi in eos homines amoris aculeos iaculantur, in quib. bilis, humor cholericus & igneus dominatur. Secũdi in eos in q̃b. sanguis, humor aereus. Tertij verò in eos in quib. pituita, & altera bilis, aqueus, & terreus imperat humor. Cupidinis aũt sagittis cùm oẽs homines, tũ quatuor maximè illorũ venerantur. Nã animas Iouis, Phœbi Martis, Iunonis, i. Veneris pedissequas vulnerari potissimũ Plato in Phædro significauit: eásq; ab ipsis generationis primordiis ad amorẽ pronas, eósque summopere homines amare solere, qui sub iisdem sint orti syderibus. Hinc Iouiales Iouialibus, Martialib. Martiales, atque aliis similiter alij vehementer afficiuntur.

QVO-

QVOMODO CAPIANTVR AMORE.

CAP. VI.

QVod de vno dicam exemplo, de tribus aliis intelligite. Quicunque animus sub Iouis imperio in terrenum corpus delabitur, certam quādam in ipso descensu sibi cōcipit hominis fabricandi figurā Iouis astro conuenientē. Hanc in athereo sui corpore tanquā optimè affecto exprimit exactissimā. Si nactus in terru semen fuerit, similiter temperatum: in eo quoq; tertiam figurā pingit primæ secundæq; similimā. Sin cō trà non ita persimilem. Sæpenumero accidit, vt duo quidem animi licet diuersis temporū intervallis, Ioue tamen regnante descenderint: alterque illorum semen in terra nactus idoneum corpus secundū priores ideas illas rectissimè figurauerit, alter verò propter materiæ ineptitudinem, idē opus inchoauerit quidē, sed non tanta ad sui exemplar fuerit similitudine executus. Corpus illud isto formosius. Ambo sibi ꝓpter quandam naturæ similitudinem mutuò placent. Sed placet magis, qui inter eos formosior iudicatur. Quò fit vt non formosissimos quosque, sed suos, i. simul ternatos etiam si minus q̄ alij multi formosi sint, quilibet maximè diligant. Proinde qui, vt diximus, eodē sub astro sunt orti, ita se habent, vt pulchriorum eorum simulachrum, per oculos in alterius animū manans consimili cuidam simulachro, tam in corpore athereo, quàm in animi penetralibus ab ipsa generatione formato quadret, & vndique consonet. Ita pulsatus animus obuium illud simulachrum tanquam suum aliquid recognoscit. Quod quidem si tale est pro virib. quale & ipse iam olim intra se possidet, & suo in corpore cùm vellet effigere, minimè potuit: illud suo interiori protinus admonet: & si quid illi deest ad perfectam corporis Ouialis effigiem, instaurat reformāde:

ipſum deinde reformatum ſimulachrum tangnã op' proprium diligit. Hinc accidit, vt amantes ita decipiantur: vt formoſiorem quàm ſit, exiſtiment. Nam procedente tempore amatum non in mera eius imagine per ſenſus accepta perſpiciunt. ſed in ſimulachro iam ab anima ad idea ſuo ſimilitudinem reformato & ipſo corpore pulchrius eſt, intuẽtur. Deſiderans inſuper corpus illud vnde primò manauit ſimulachrũ intueri quotidie. Quamuis enim animus abſente corpore illius apud ſe conſeruet imaginem, idq; ſibi fermò ſit ſatis: ſpiritus tamen animæ inſtrumentũ oculúſque non ſeruant. Tria perfectò in nobis eſſe videntur, Anima, Spiritus, atq; Corpus. Anima & corpus natura lõgè inter ſe diuerſa ſpiritu medio copulãtur, qui vapor quidam eſt tenuiſſimus & perlucidus, per cordis calorẽ ex ſubtiliſſima parte ſanguinis genitus, Inde per omnia membra diffuſus animæ vires accipit & transfundit in corpus: Accipit iterum per organa ſenſuum, corporum externorum imagines: quæ in anima propterea figi nõ poſſunt, quia incorporea ſubſtantia, quæ corporib. præſtantior eſt, formari ab illis per imaginum ſuſceptionem non poteſt. Sed n. anima vtique ſpiritui præſens imagines corporum in eo tanquã in ſpeculo relucentes facilè inſpicit, pérque illas corpora iudicat: atq; hæc cognitio ſenſus à Platonicis dicitur, dum eas inſpicit, ſimiles illis imagines multò etiam puriores ſua vi concipit in ſeipſa: huiuſmodi conceptionem, imaginationem phantaſiámque vocamus: hic conceptæ memoriter ſeruantur imagines. Per has animi acies ſæpenumero incitatur ad vniuerſales rerum ideas, quas in ſe continet intuendas. Ideóque vnum quendam hominẽ & ſenſu cernit & imaginatione concipit, Intellectu rationem, definitionémque hominib. omnib. cõmunem per innatam illi humanitatis ideam communiter contemplatur, & quæ fuerint contemplata conſeruat.

Anima

Animo igitur formosi hominis simulachrum conceptum semel apud se reformatúmque memoriter cõseruanti satis esset amatum quandoq; vidisse. Oculo tamen & spiritui, quæ veluti specula præsente corpore imagines capiunt, absente dimittunt perpetua formosi corporis præsentia opus est, vt eius illustratione continuè luceſcant foueantur & oblectentur. Igitur & isti propter indigentiam suam præsentiam corporis exigunt, & animus iis, vt plurimum obsequius eandem cogitur affectare.

DE AMORIS ORTV.
CAP. VII.

SEd iam ad Diotimam redeamus. Hac igitur cùm amorem in dæmonum numerum ob eas quas enarrauimus causas retulisset: eius hunc in modum originem Socrati demonstrauit. In Veneris natalibus discumbentibus diis, Consilij filius Porus potu nectaris ebrius, cùm Penia in Iouis horto se miscuit: ex eo congressu natus est amor. In Veneris natalibus, id est, quando mens angeli, & mundi anima: quas Veneres ea ratione, quam aliàs diximus nominauimus: ex summa Dei maiestate oriebantur: Dij discumbebant, id est, Cœlius, & Saturnus & Iupiter boni propriis vescebantur. Nam cum angelo intelligentia, & in mundi anima vis generandi, quas propriè Veneres geminas appellamus, prodibant in lucem: inerat summus ille Deus, quem vocant cœlum: Essentia præterea, & vita in angelo, quos Saturnum vocamus & Iouem, atque etiam in mundi anima inerat supernorum cognitio, & cœlestium corporum agitatio: quos iterum Saturnum Iouemq; vocamus. Porus & Penia, affluentiam & egestatem significant. Porus consilij filius, id est, summi Dei scintilla. Dius nẽpe cõsilium, & consilij fons appellatur,

quia veritas omniũ est & bonitas. Cuius splendore omne consilium verum efficitur. Ad cuius bonitatem omne tendit consiliũ. Iouis hortũ angelica vita fœcũditatem intelligit. in quã cũ descendit Porus 1. ille dei sc. radius Peniæ, i. pricris huius indigentiæ mixtus creat amorẽ. Principiò angelus per Deũ est & viuit: quò ad hæc duo essentiam & vitam, Saturnus & Iupiter nominatur. Habet insuper intelligendi potentiam, quam esse Venerem arbitramur. Potẽtia huiusmodi sua natura informis est & obscura, nisi à deo illuminetur: quemadmodũ oculi vis ante solis aduentũ, hanc obscuritatem Peniam sc. quasi inopiam & lumini defectũ esse putamus. Cæterùm vis ea intelligẽdi naturali quodam instinctu ad suũ reflexa parentẽ, diuinũ abeo radium, qui Porus est & affluentia, suscipit. In quo veluti semine quodam rationes rerũ omnium includuntur. Huius radij flammis naturalis ille instinctus accenditur, hoc incẽdium, hic ardor ex obscuritate priori, & accendere scintilla exoriens, amor est ex inopia natus & affluentia, in horto Iouis, i. sub vmbra vitæ progenitus. Quippe cùm post vitam vigorẽ statim ardor ad intelligendũ excitatur. Sed cur ebrium nectare Portem inducunt? quia ratione diuinæ viuacitatis exuberat. Cur partim diues, partim egenus est amor? Quia neq; id perfectè possidemus, neq; quo caremus omnino, ardere solemus. Cùm.n. id quærat quisq;, quo caret: qui totam rem possidet, quid vltrà perquirat? quinetiam cùm incognita nemo desideret, necesse est vt aliquo modo cognitum nobis antè fuerit quod amemus: neq; cognitũ solũ, multa.n. nota nobis odisse solemus: sed vt tanquam bonum nobis & iucundum fuerit iudicatum. Neq; id ad flagrantem beneuolentiam satis esse videtur: nisi facilè cõsequi posse quod iucundum fore censuimus iudicemus. Quisq; igitur aliud amat, illud quidem re ipsa nõdum integerrimè possidet. Animi tamen cogitatione idipsum

60.

cognoscit, iucundū iudicat, consequi posse cōfidit. Hæc ipsa cognitio, iudicatio spes, quasi præsens aliqua absentis boni anticipatio est. Nō .n. arderet, nisi id ipsum placeret: neque placeret, nisi esset quodammodo prægustatum. Ergo cum amantes partim quod optant habeant quidem partim verò nō habeant, haud ab re ex indigentia quadā & affluentia mixtus est amor. Hac vtiq; ratione Venus illa superna per primam ipsius diuini radij gustationem accensa, amore fertur ad integram totius luminis plenitudinem: hoc nixu parenti efficacius hærens plenissimo statim illius fulgore coruscat, rerúmq; rationes illæ cōfusæ, quæ in radio, quem Porū dicimus, antè fuerant implicatæ, explicantur iam impotentia illa Veneris inhærentes, & clarius distinctæ, lucescunt. Quemadmodum verò se habet ad deum angelus, ita ad angelum deum q; anima mundi. Ea .n. ad superna se flectens, ab illis similiter & radium accipit, & accenditur, gignit q; amorem affluentiæ inopiæq; participem. Hinc formis rerū omnium exornata ad earum exemplar cælos mouet, perq; potentiam generandi similes illis formas in elementorum materia generat. Venerem hîc geminam rursus aspicimus. Alteram sanè vim animæ huius ad superna cognoscenda. Alterā verò vim eiusdem inferiorem procreatricem. Illa quidem nō est anima propria: sed cōtēplationis angelicæ imitatio: hæc aūt naturæ anima propria. Ideò quoties vnā in anima venerē ponimus, vim eius peculiarem, Venerem eius propriam intelligimus. Quoties duas, alteram cōmunem cum angelo, alteram ipsius animæ propriā. Sunt igitur duæ in anima Veneres: prima cælestis, secunda verò vulgaris: Amorem habeant ambæ: Cælestis ad diuinam pulchritudinem cogitandam: Vulgaris ad eandem in mundi materia generandam. Qualem .n. videt illa decorem, talem vult hæc pro viribus mundi machina tradere. Imò verò vtraq; fertur ad pul-

chritudinem generandam: sed suo utraq; modo. Cœlestis genus intelligentia sua effingere in seipsa exactiß. mam supernorum pulchritudinem nititur: Vulgaris diuinorum seminum vbertate conceptam apud se diuinitus pulchritudinem in mundi materia parere. Amorem illum quandoq; deum idcirco vocamus, quoniã ad diuina dirigitur: Vt plurimũ dæmonem, quoniam inter inopiam copiámque est medius Amorem alterum semper dæmonem, quoniam affectum aliquem ad corpus habere videtur, & ad inferiorem mundi plagam esse proclivior. Quod quidem à deo alienum est: dæmonum naturæ conueniens.

IN OMNIBVS ANIMIS DVO SVNT AMORES, IN NOSTRIS verò quinque.

CAP. VIII.

GEmina autem Veneres hæ geminíq; amores non solũ in anima mundi, verumetiam in sphærarũ, siderum, dæmonum, hominúmq; animis insunt. Cũq; anima oẽs ad propriam illã cõpetenti naturalis ordinis serie referantur, necesse est amores quoq; omnium ad illius amorem ita referri, vt aliquo modo ab illo dependeant. Propterea hos quidem simpliciter, dæmones: illum verò magnum dæmonem appellare Diotima consueuit. Qui per vniuersum mundum omnib. imminens torpere corda nẽ sinit: sed passim suscitat ad amandum. In nobis autem non duo tantum, sed quinque amores reperiuntur. Duo quidem extremi dæmones, medij res, nõ dæmones solummodo, sed affectus. Profectò in hominũ mente æternus est amor ad diuinam pulchritudinem peruidendam: cuius gratia, philosophia studia, & iustitiæ, pietatísque officia sequimur. Est etiã ingenerãdi potentia occultus q̃dã stimulus ad sobolem procreandam. ísque amor per-

pe-

petuus est, quo assiduè incitamur, vt superna pulchritudinis illius similitudinem in procreata proli effigie effingamus. Hi duo amores in nobis perpetui, duo sunt dæmones illi, quos Plato noster animis semper adesse vaticinatur: quorum alter ad superna erigat, alter deprimat ad inferna: alter eudæmon, id est bonus dæmon sit, alter cacodæmon, id est malus sit dæmon. Reuera vtrique sunt boni, quoniam tam sobolis procreatio, quàm indagatio veritatis necessaria & honesta censetur. Verùm secundus ideò dictus est malus, quia propter abusum nostrum sæpe nos turbat, & animum à præcipuo eius bono, quod in veritatis speculatione consistit, auertit maximè, & ad mysteria viliora detorquet. Horum medium amores in nobis tres obtinent: qui cum non sint in animo æquè vt isti firmissimi: sed incipiant, crescant, decrescant & desinant: rectius motus atq; affectus quã dæmones vocabuntur. Horũ vnus æquus interuallis ab vtrisq; distat extremis. Reliqui duo in partẽ alterutrã inclinantur. Porrò corporis alicuius figura propter materiæ præparationẽ talis est maximè, qualẽ in eius idea diuina mens cõtinet tunc oculis obuia, perq; oculos in spiritũ penetrãs, animo euestigio placet, cũ illis cõsonet rationibus, quas veluti rei ipsius exemplaria tũ nostra mens, tum generandi potentia olim diuinitus accepta conseruat. Hinc triplex, vt diximus, subrepit amor: aut enim ad cõtemplatiuam, aut actiuam, aut voluptuosam vitam prõpti, & proclines geniti educatiue sumus. Si ad contemplatiuã, statim à formæ corporalis aspectu ad spiritualia atque diuinæ considerationẽ erigimur. Si ad voluptuosam, subitò à visu ad concupiscentiã tangi descendimus. Si ad actiuã atque moralem, in sola illa videndi atque conuersandi oblectatione perseueramus. Illi tam ingeniosi sunt vt altissimè proueheãtur, isti tã hebetes vt deprimantur ad infima, hi tã-

quam medÿ in media remanent regione. Amor itaque omnis incipit ab aspectu. Sed cõtemplatiui hominis amor ab aspectu ascendit in mentem Voluptuosi ab aspectu descendit in tactũ. Actiui remanet in aspectu. Illius amor ad supremũ damonem magis quã ad infimũ se cõuertit: istius ad infimum potius quàm ad supremum deflectitur: huius ab utroq; internallis distat aqualibus. Tres isti amores, tria nomina sortiuntur. Contemplatiui hominis amor, diuinus: Actiui, humanus: Voluptuosi ferinus cognominatur.

QVÆ PASSIONES AMANTIBVS INSVNT, PROPTER amoris matrem.

CAP. IX.

AMorem esse damonem, ex copia & inopia genitũ: & quinq; in species diuidi, hactenus declarauimus: quales aũt in amantib. affectus ex huiusmodi amoris natura nascantur, deinceps ex Diotimæ verbis tractabimus. Quoniam inquit, amor in natalibus Veneris progenitus est, Venerem sectatur & colit, ac pulchri desiderio capitur: cùm Venus ipsa pulcherrima sit. Quia inopia filius est, aridus est, & macilentus & squalidus, nudis pedibus, humilis, sine domicilio sine stramẽtis & tegmine vllo ad fores in via sub dio dormiens, ac deniq; semper egenus. Quia copiæ filius est, pulchrũ ac bonũ insidiatur. Virilis est, audax, feroxq;, vehemẽs, calidus, sagaxq; venator, nouæ semper machinamenta contexens, prudentiæ studiosus, fecundus, per omnem vitam philosophans, incantator, fascinatorq; potens, veneficus, atque sophista. Neque immortalis omnino secundum naturam, neque mortalis. Sed interdum eadem die pullulat atque viuit, quoties exuberat: interdum deficit atque iterum reuiuiscit ob patrij naturam: quod verò acquisi-

tum

tum est subterfugit: quocirca neque mendicus est amor vnquã, neque etiam opulentus. Quinetiam in medio sapiẽtiæ & insciti cõstituitur Hæc Diotima. Nos ea quàm breuissimè poterimus, explanabimus. Hæc licet omnibus insint amorũ generib. in tribus tamen mediis tanquam nobis manifestioribus cl. ora videntur. In Veneris natalibus genitus Venerem sequitur, id est cum supernis illis spiritibus quos vocauimus Veneres, genitus, hominum animos ad superna reducit: ac pulchri desiderio capitur, cùm Venus ipsa pulcherrima sit, id est animas accendit summæ diuinæq; pulchritudinis desiderio: cùm ipse sit in illis spiritibus ortus, qui Deo proximi dei decore summopere illustrantur, atque ad eosdẽ nos radios erigunt. Præterea cùm vita omnium animantium atque arborum & terræ fertilitas in humore & calore consistat ad demonstrandam amoris inopiam, vtrunque deesse illi tam humorem quàm calorem, Diotima inuitis dum aridũ & macilentum dixit, & squalidũ. Quis enim ignoret arida & sicca esse illa, quæ deserit humor? Quis item pallorem dicat & squalorem aliũde quàm sanguinei caloris defectu venire? Quinetiam diuturno amore pallidi & macilenti mortales efficiuntur. Quippe ad duo simul opera vis naturæ non sufficit. Animi amantis intentio in assidua amanti cogitatione tota se versat illic & naturalis cõplexionis vis omnis intenta est. Ideò neque cibus in stomacho perfectè coquitur. Quò fit vt maior pars in superfluas reliquias emittatur, minor & ea quidem cruda trahatur ad iecur. Illic etiam eadem ratione malè concoquitur. Ideò sanguis paucus crudúsque inde per venas diffunditur: quare membra omnia inopia cruditatéq; alimenti extenuantur & pallent: Præterea quocunq; animi assidua fertur intentio, illuc & spiritus, & anima siue currus, siue instrumenta sunt, aduolãt. Spiritus in corde ex subtilissima sangui-

nu parte creatur. In amati imaginem phantasiæ infixam ipsumq; amatum amantis animus rapitur. Eodem trahuntur & spiritus. Illuc euolantes assidue resoluuntur. Quapropter frequentissimo puri sanguinis fomite opus est cōsumptos spiritus recreandos: ubi subtiliores quæq; & lucidiores partes sanguinis quotidie in reficiendis spiritib. exhalātur. Propterea puro & claro sanguine resoluto maculosus, crassius, aridus restat, & aer. Hinc exiccatur corpus & squalet: hinc & melancholici amantes euadūt. Ex sicco .n. crasso, atróq; sanguine melācholia, id est atra bilis efficitur: quæ suu caput vaporibus opplet, cerebrū siccat, animā tetris horrendisq; imaginibus diu noctúq; solicitare nō cessat: quod Lucretio philosopho epicureo propter amorē legimus accidisse. Qui amore primùm, infamia deinde vexatus sibi tandē ipsi manus iniecit. Hæc illis accidere cōsueuerūt, qui amore abusi, quod cōtēplationis est, ad amplexus cōcupiscentiā trāstulerunt. Videndi .n. desideria facilius, quàm & videndi & attrectādi cupidinem toleramus. Quæ cū medici veteres obseruassent, amorem esse dixerunt passionem morbo melancholico proximam, eámq; Rasis medicus coitu ieiunio, ebrietate, deambulatione curari præcipit. Neq; solùm tales amor homines reddit, verumetiam quicunq; natura sunt tales, ad amorem procliuiores existunt. Tales autem sunt ij, in quibus bilis, quam cholerā vocant, vel atra bilis, quam melancholiā, cæteris humoribus præualet. Bilis calida & sicca est. Atra bilis sicca & frigida. Illa ignis, hæc terræ locum in animantiū corpore tenet. Aridi ergo melancholici & sicci ad terræ similitudinem. Squalidi & pallentes cholerici ad similitudinem ignis intelliguntur. Cholerici propter ignei humoris impetum in amorē præcipites perferuntur: melancholici ob terrei humoris pigritiā tardius amant. Verùm propter humoris ipsius stabilitatē, postquàm illaqueati sunt,

diutissimè

diutissimè perseuerant. Meri ò igitur aridus & squalens progignitur amor, cùm homines qui tales sunt, præcæteru amori soleant indulgere. Quod ex eo potissimum fieri arbitramur, quia cholerici bilu incendio exuruntur. Melancholici atræ bilu corroduntur asperitate: quod Aristoteles in septimo libro de moribus affirmauit. Molestus itaq; humor semper angit vtrosque, cogitque solamen aliquod maximum atque continuum, contra continuam humorum molestiam quærere. Huiusmodi sunt musicæ, amorísque delitiæ. Nullis enim alijs oblectamentis tam assiduè operam impendere possumus, quàm musicæ vocúmq; delinimentis, pulchritudinísque illecebris. Reliqui enim sensus citò replentur. Visus autem aut auditus diutius voculu & pictura pascuntur inani. Neq; solum horũ sensuũ firmiores sunt voluptates: verũetiã humanæ complexioni cognatiores. Quid enim humani corporis spiritibus conuenientius est, quàm voces hominum & figuræ? eorum præsertim, qui non modò naturæ similitudine, sed etiam pulchritudinis gratia placent. Quamobrem cholerico melancholici homines tanquam vnicum remedium & solamen molestissimæ ipsorum complexionis, cantus & formæ oblectamenta sectantur. Ideóque sunt ad Veneris illecebras promptiores. Et Socrates, quem Aristoteles melancholicum iudicauit, ad amandi artem, vt ipsemet profitebatur, erat omnium propensissimus. Idémque de Sappho melancholica, vt ipsa testatur, possum iudicare. Nérnon & Maro noster, quem cholericum fuisse eius effigies indicat, quamuis pudicus, fuit tamen proclivior ad amandum. Nudis pedibus. Talem propterea Diotima pinxit amorem, quoniam amator adeò in rebus amatorijs occupatus est, vt in cæteris vitæ officijs tam priuatis quàm publicis non cautus quidẽ incedat vt decet sed absq; vlla discriminũ prouidẽtia temerarius quocunq; feratur. Ideò

in suis progressibus frequentia incurrit pericula, non aliter quam qui pedes suos certo non sustulerunt: unde crebris sentibus & calculis offendūtur. Humilis. Græcum Platonis vocabulum humi & per infima volāt significat. Vidit enim sæpenumero propter amoris abusum sine sensu viuere amantes, & leuib. curis magna perire bona: hi sanè amatis sēpsos usque adeò dedunt, ut in eos penitus trāsire nitantur, cósque tam verbis quàm gestibus in sēpsis effingant. Frequentissima verò puerorum & puellarum imitatione, quis non effœminaretur? quis non puer fœmináue euaserit? Sine domicilio. Humana cogitationis domicilium ipsa est anima. Animæ domicilium spiritus. Domicilium spiritus huius est corpus. Tres habitatores sunt: Tria sunt domicilia. Quisque horum naturali amisso exulat domicilio. Nam cogitatio omnis non ad animi sui disciplinam & tranquillitatē, sed ad dilecti hominis sē vertit obsequia: & anima corporis sui deserit ministerium, in amati corpus nititur transilire. Spiritus animæ currus, dum aliò properat anima, aliò quoque euolat exhalando. Propterea itaq; domo exit cogitatio, exit anima, exit & spiritus. Primum exitium insania & inquietudo: secundum debilitas mortisq; formido. Tertium trepidatio, pauor & suspirium comitatur. Quocirca propriis laribus, naturali sede optata quiete priuatus est amor. Sine stramentis & tegmine vllo. Vbi enim quiescat, & quo tegatur, non habet. Cùm enim res quæque suam originem repetat, amoris igniculus à formosi corporis obiectu in appetitu amantis accensus, in corpus idem reuolare conatur. Quo quidem impetu & appetitum & appetentem secū euehit euolando. O crudelē amātiū sortem! O vitam omni morte miseriorem, nisi forsitan melior animus hæc amoris violentia propior ex corpore raptus negligat insuper amati figuram, atque diuini splendoris ædes, vbi tandem quiescet, vbi explebitur,

plebitur, se recipiat. Quis item neget amorem sine regmine nudũq; vagari? Quis enim colet amorem, quem toruus, taurinus, affixus prodit intuitus? quem interceptus sermo declarat? rubor, pallórq; vultus, crebra suspiria, tactatio membrorum, perpetua querimonia, importuna laudationes, subita indignatio, tactantia, procacitas, petulantia, vana suspicio, & vilissima indicant ministeria? Sicut in sole & igne calorem lux radij comitatur: sic intimum amoris incendium externa sequuntur indicia. Ad fores dormit: fores animi oculi & aures esse videtur: hinc enim multa in animum inuehuntur, & animi affectus & mores clarissimè per oculos emicant. In figura spectandi & vocibus audiendis amantes, vt plurimum immorantur. Rarò illorum mens in seipsam se colligit. Sapius per oculos, aurésq; vagatur. Idcirco ad fores dicuntur procumbere. Dicuntur & in via iacere. Nam corporis species via quadã esse debet, per quã ad speciem incipiamus a foris ascendere. Qui autem turpibus libidinibus se prosternunt, aut etiam in aspectu vltrà quàm decet versantur, in via ipsa restare videntur, ad eius terminum minimè proficisci. Sub dio. Meritò. Vna enim in re penitus occupati, nihil in rebus agendis considerant. Itaque casu vitam agentes, omnibus fortunæ periculis, tanquam qui nudi sub dio vitam ducunt, omnibus tempestatibus sunt expositi. Propter matris naturam semper egenus. Sanè cùm prima origo. oris ab indigentia fuerit, & quod naturale est penitus exturpari non possit. semper egenus, semper sitibundus est amor. Quandiu enim deest ad consequendum aliquid, flagrat æstus amoris. Cùm totum vndique possidetur, cessante indigentia potius desinit ardor, quàm sine egestate perduret.

QVÆ DOTES AMANTIVM PROPTER AMORIS patrem.

CAP. X.

HÆc inopiam amoris matrem sequuntur, copiam verò patrẽ eius contraria. Quæ verò contraria sint intellectu superioribus, quiuis agnoscet. Supra descriptus est simplex, incautus, vilis, inermis: horum hîc contraria inducuntur. Callidus enim dicitur, venator sagax, machinator, insidiator, prudẽtiæ studiosus, philosophus, virilis & audax, vehemens, fandus, magnus, atque sophista. Idem amor, qui in cæteris negotijs incuriosum & inertem facit amantẽ: in rebus amatorijs astutum reddit & callidum, qui miro modo amati gratiã aucupetur, seu dolis implicet, seu captet obsequijs, siue eloquio mulceat, siue cantu deliniat. Idem furor qui obsequio blandum fecerat: idẽ inquam furor arma ministrat: indignantibus aduersus amatũ ferocitatem, pro eo pugnantibus securitatem robúque inuictum. Amor, vt diximus, ab aspectu ducit originem. Aspectus inter mentem & tactum est medius: hinc semper amantis distrahitur animus & sursum vicissim deorsumq; iactatur. Interdũ amplexus cupido suboritur: interdũ verò pudicũ cælestis pulchritudinis desiderium, & modò illa, modò hoc peruincit & ducit. In his qui honestissimè educati sunt, & ingenij pollent acumine, hoc in alijs, illa sæpius superat. Quicunque in fœces corporis se prosternunt, meritò aridi, nudi, humiles, inermes & inertes esse cẽsentur. Aridi, quia semper esuriunt, implentur nunquã. Nulli, quia tanquam temerarij omnib. subiecti periculis, tanquã impudentissimi & inculti infames habentur. Humiles, quia nihil altum, nihil magnificum cogitant. Inermes, quia flagitiosæ succumbũt cupiditati. Inertes,

quoniam

quoniam adeò hebetes sunt, vt quò amor eos trahat, ignorent, & in via resident, ad terminum non perueniant. Contrarij verò contrà videntur affecti: non solidis animi bonis vescentes implentur magis & tranquillius diligunt, pudorem seruant, vmbras illē corporum speciem negligunt, atque altius eleuantur: ac velut armis muniti, inanes à se libidines fugant, & sensus rationi subijciunt. Hi tanquā solertissimi omniū & prudentissimi ita philosophantur, vt per corporum figuras quasi quadā vestigia, siue odores prudentissimè gradiantur: ex his sacrum animi numinúmque decorem sagaciter inuestigent: atque ita prudenter venando, quod cupiunt feliciter assequantur. Tantum profectò munus amoris à patre ipsius copia proficiscitur: quoniā pulchritudinis radius, qui & copia est & pater amoris, hanc habet vim, vt illuc vnde venerat reflectatur, secumq; trahat amantē. Descendit autē à Deo primùm: inque angelum & animā quasi vitreae materiae transiens, & ab anima in corpus eius susceptioni paratum facilè demanās, ab eo ipso iuuenis hominis corpore, præsertim per oculos animi fenestras lucidissimas emicat: aduolat per aerē protinus & senioris oculos penetrans transfigit animam, appetitum accendit sauciam animam appetitúmq; accensum in medelam eius & refrigerium ducit, duxi eodem rapit secū vnde ipse descenderat, gradatim quidem in corpus amati primùm, in animam secundò, tertiò in angelum, postremo in Deū, primā splendoris huius originē. Hæc vtilis venatio, hoc felix amantium aucupium. Hanc vtique venationē apud Platonē in Protagora Socrati nostro familiaris quidā eius attribuit. Vndénam inquit, ô Socrates? Arbitror equidem à venatione illa redire te, ad quam honesta Alcibiadis indoles prouocare te solet. Praterea Sophistam amorem vocat & magnum. Sophistā Plato in Sophista dialogo ambiguum & subdolū de

sinit disputatorem, qui captiunculārum versutiis falsum pro vero nobis offendit, cogitque eos qui secū disputant sibimet in sermonib. contradicere. Hoc tam amantes, quàm amati quandoque perpetiuntur. Siquidē amantes amoris nebulis occæcati fæda sæpe pro veris accipiunt, dū dilectos suos formosiores, acutiores meliores quàm sint arbitrantur. Sibimetipsi propter amoris violentiā contradicunt. Aliud enim ratio consulit, aliud cōcupiscentia sequitur. Consilia sua ad amati imperiū mutant: sibipsi ut morem gerant aliis aduersantur. Sæpe etiam formosi amatorū astutia irretiūtur, & faciles fiunt qui antea fuerant pertinaces. Sed cur non magnum putamus amorē? quia tota vis magica in amore consistit. Magica opus est, attractio rei vnius ab alia ex quadam cognatione naturæ. Mundi autē huius partes, ceu animalis vnius membra omnes ab vno autore pendentes, vnius naturæ cōmunione inuicem copulantur. Ideò sicut in nubi cerebrum, pulmones, cor siccur, & reliqua mēbra à se inuicem trahunt aliquid, sēq; mutuò iuuant, & vno illorum aliquo patiente cōpatiuntur: ita ingenium huius animalis membra, id est, omnia mundi corpora connexa similiter mutuant inuicem naturas & mutuantur: ex communi cognatione cōmunis innascitur amor, ex amore communis attractio. Hæc autem vera magica est. Sic ab orbe lunæ concauitate propter naturæ congruitatem sursum trahitur ignis: ab ignis concauitate aeris: à mundi centro terra ad infima trahitur: à loco etiā suo rapitur aqua. Hinc & magnes ferrum, & electrum paleas, ignem sulphur, sol flores multos ad se vertit & folia, luna aquas. Mars vētos cieve solet, & herbæ variæ varia quoque ad se inuitant animantiū genera. In reb. etiam humanis trahit sua quenque voluptas. Magicæ igitur operæ naturæ operæ sunt. Ars verò ministra. Ars enim vbi naturali cognitioni deest aliquid, per vapores, numeros, figuras,

guras, qualitates opportunè supplet temporib. quēadmodum in agricultura natura segetes parit, ars præparat. Hanc artē veteres dæmonib. attribuerūt: quia intelligunt qualis sit rerū naturalium societas, quid cuique congruat, quomodo concordia rerū si cubi desiit, instauretur. Hu nonnulli vel naturæ similitudine quadam amici, vt Zoroaster & Socrates, vel cultu dilecti, vt Apollonius Thyaneus, & Porphyrius fuisse traduntur. Ideò vel vigilantib. signa, voces atque portē a, vel dormientib. oracula & simulacra à dæmonib. contigisse narrantur. Qui amicitia dæmonum magi euasisse videntur: quemadmodū dæmones magi sunt verum ipsarum amicitiā cognoscentes, & natura omnis ex amore mutuo magna cognominatur. Quinetiam formosum quisque teneris nos fascinat oculis. Viri eos eloquentia virib. & carminum modulis, quasi quibusdam incantationibus delinunt, sibique conciliant: cultu præterea & muneribus non aliter quàm veneficiis placant & capiunt. Quapropter nemini dubium est, quin amor sit magusicum & tota vis magica in amore consistat, & amoris opus fascinationibus, incantationib. veneficiis expleatur. Neque mortalu est omnino, neque etiam immortalis. Non mortalis, quoniam duo amores in nobis, duo illi quos dicimus dæmones, insunt perpetui. Non immortalis quoniam tres horum medij mutantur quotidie, crescunt atque decrescunt. Præterea in hominum appetitu à vitæ primordiis inextinguibilis innatus est fervor, qui animum quiescere non permittit, ac semper impellit, vt ad certum aliquid studiosè se applicet. Diuersa hominum ingenia sunt, nec voto viuitur vno. Vnde continuus ille concupiscentia fervor, qui naturalis est amor, alios ad studia literarum: ad musicā alios vel figuras: alios ad honestatē morum seu vitā religiosam: alios ad honores: nōnullos ad pecunias cumulandas, plerosque ad vētris luxu-

riam, alios impellit ad alia: necnon eundem hominem in diuersis ætatibus ad diuersa. Idem itaque feruor & immortalis dicitur & mortalis. Immortalis, quia nunquam extinguitur, mutátque materiã potius quàm euanescat. Mortalis, quia non ad idem semper incumbit: sed aut ex naturæ mutatione, aut ex diuturna rei eiusdem frequentatione orta satietate noua requirit oblectamenta: & qui in re una fermè defecit, in alia quodammodo reuiuiscit. Dicitur etiam ob eam causam immortalis, quòd dilecta semel figura semper amatur: quandiu enim eadem in eodem homine permanet, in eo ipso diligitur: cùm verò ab eo defluxerit, non amplius eadem in illo figura est, quam prius amabas. Nouam hanc non ardes quidem, quia nec aspernas antè priorem verò illam amare non desinis: hoc tamen interest, quòd illam prius prospiciebas in alio: iam verò in te ipso inspicis solùm, eadémque memoria semper infixam semper & amas, & quoties animi oculis occurrit, toties te vrit amantem. Ideò quoties illum nobis olim charissimum habemus obuium, toties commouemur vel saliunt, trepidántve præcordia, vel liquescit iecur, vel tremunt oculi, variósque trahit vultus aduerso illo colores. Eius enim præsentia latentem mente figuram animi suggerit oculis, ac velut sopitos sub cineribus stadio suscitat ignes. Hac de causa amor dicitur immortalis. Sed hic etiam ideò immortalis habetur, quia licet maneant semper infixi pectore vultus non tamen æquè se mentis oculis offerunt, quo circa se uere vicissim benevolentia atque referuere videtur. Accedit ad hæc quòd & ferinus & humanus amor sine indignatione esse nunquam potest. Quis illi non indignetur, qui ipsi abstulerit animum? Vt enim præterea grata libertas, ita seruitus onerosa, itaque formosos odii simul & amas: odis tanquam fures & homicidas, tanquam specu-

la

la cælesti fulgore micantia, micari cogeris, & amare. Quid agas miser? Quò te vertas, nescis heu perdite, nescis. Cùm tui homicida esse nolles, nolles etiam sine beato spectaculo viuere. Cùm hoc esse non potes, qui te perdit, qui enecat: sine hoc non potes viuere qui tam miris illecebris te tibi surripit, qui totum te sibi vendicat. Hunc fugere cupis, qui sui te flammis aburit: huius etiam cupis hærere, vt ipsi te possidenti proximus tibi quoque cohæreas. Te ipsum miser extra te quæris, hæréque raptori, vt captum quandoque te redimas. Amare quidem nolles insanes, quia emori nolles: nolles etiam non amare quippe qui cælestium simulacro iubeas seruiendum. Quapropter hac alteratione fit, vt singulis (vt ita dicam) momentis arescat amor & reuiresçat. Ponitur etiam à Diotima inter sapientiam & ignorantiam medius. Porrò amor, quæ pulchra sunt sequitur. Omnium pulcherrima sapientia est. Appetit igitur sapientiam. Qui sapientiam appetit, eam omnino non possidet. Quis enim præsentia quærat? Neque etiam caret omnino. In eo enim vno saltem est sapiens quòd suam insciitiam recognoscit: qui verò ignorare se nescit, tam res ipsas, quàm suam ignorat insciitiam, neque scientiam expetit, cuius esse se nescit expertē. Amor igitur sapientiæ, quia partim sapientia priuatus est, partim est sapiens, inter sapientiam ignorantiamq; locatur. Hæc, inquit Diotima, est amoris conditio, ipsius autem pulchri, id est supremæ pulcritudinis natura est, vt delicatum sit, perfectum atque beatum. Delicatum, inquantum sua quadam suauitate ad se allicit omnium appetitum: Perfectum, inquantum, quæ illexit accedentia illustrat radiis suis & perficit: Beatum, inquantum illustrata bonis implet æternis.

QVÆ VTILITAS AMORIS EX EIVS DEFINITIONE.

CAPVT XI.

POstquam verò qua sit amoris origo, & qualis ipse sit Diotima enarrauit, iam quorsum tendat & ad quid conducat hominib. aperit: omnes quidem bona habere cupimus: nec habere solùm, sed semper habere. singula verò mortalium bona mutantur atque deficiunt, ac citò cuncta vanescerent, nisi abeuntium loco noua quotidie fierent. Vt ergo bona semper nobis quoquo modo perdurẽ, pereuntia cupimus recreare. Generando recreatio fit. Hinc innatus est omnib. generationis instinctus. Generatio autem cùm mortalia diuinæ continuatione similia reddat munus est profectò diuinũ. Diuinis vtpote pulchris deformia contraria sunt: formosa similia & amica. Idcircò generatio diuinum opus in eo quod pulchrum est perfectè & facilè consummatur, in cõtrario contrà. Quapropter generationis ille conatus formosa posci t, cõtraria refugit. Quod hominũ amor sit postulatur? ad quid cõducat? Cupido generationis in pulchro obseruandã vitã mortalib. in reb. perpetuam, hic hominum in terra viuentium amor est, hic nostri finis amoris. Enim verò ipso eo in tempore quo animalium, vnumquodq; viuere dicitur, idemq; esse, vt à pueritia ad senectutẽ, quãuis idem dicatur, nunquam tamen in se eadem cõtinet: sed nouũ semper efficitur, vt Plato inquit, & vetera exuit secundum pilos, carnem, ossa, & sanguinẽ corpus penitus vniuersum. Neq; in corpore solum, sed etiam in anima id cõtingit. Mores, consuetudines, opiniones, cupidines, voluptates, dolores, atque timores iugiter permutantur: nec aliquid ex istis idẽ & simile perseuerat: priora quidem abolentur, noua succedunt atque adolescunt. Quinetiam quod mirabilius est scientiæ quoque non solùm aliæ euanescunt, aliæ

surgunt,

surgunt, neque semper secundum scientias iidem sumus, verumetiam vna quauis scientiarum fermè idē patitur. Meditatio enim & reminiscentia, quasi præteruntis scientiæ resumptio est. Obliuio nāque scientiæ exitus esse videtur. Meditatio verò nouam semper memoriam abeuntis loco restituens, scientiā seruat, vt esse eadem videatur. Hoc vtique pacto quæcunque in animo vel corpore mutabilia sunt, seruantur: non quia semper omnino eadē sint (hoc enim diuinorum est, proprium) sed quoniam quod tabescit & abit, & nouum & simile sibi relinquit. Hoc certè remedio mortalia immortalib. reddūtur similia. Est igitur in vtraque animæ parte, tū ea quæ ad cognitionem spectat, tū ea qua regitur corpus, amor generationis innatus ad vitam perpetuò conseruandam. Amor qui in hac parte est ad corpus regendū accōmodata, statim ab initio nos impellit ad cibū potúmque sumendum, vt his alimentis generentur humores: quib. quod à corpore iugiter desinit, resumatur. Qua generatione nutritur corpus & crescit. Adulto corpore semen ipsum lacessit, & procreandæ sobolis libidinem prouocat, vt quod in seipso semper manere non potest, reseruatum in prole sibi persimili maneat sempiternum. Amor etiam generationis parti animæ cognoscenti tributus, efficit vt anima veritatem, alimoniam propriā concupiscat, per quā suo modo nutriatur & crescat: ac si quid per obliuionem animo excidit, aut torpet propter desidiam & incuriam, recordationis & meditationis studio quasi regenerat, reuocátque in mentē quod per obliuionem perierat, vel torpuerat per ignauiā. Adulterum verò iam animum flagrantissima docēdi atque scribendi stimulat cupiditate, vt scientia vel in scripto, vel in discipulorum animis generata, præceptoris intelligentiam & veritas inter homines æterna permaneat. Atque ita amoris beneficio cuiusque hominis tam corpus, quàm anima

in rebus humanis post mortem semper superesse posse videatur. Amor vterq; pulchra sectatur. Nempe qui corpus regit atque gubernat, corpus proprium ex epulis quã delicatissimis iucundissimis & pulcherrimis alere concupiscit, & prolẽ formosam cum speciosa fœmina generare: & qui ad animum pertinet, eũ ornatissimis grauissimisque disciplinis studet imbuere, ac scientiam suæ similimã scribendo ornato pulchrẽq; in stylo edere: & docendo in animo quodam pulcherrimo generare: puro inquam animo, acuto & optimo. Animũ quidẽ ipsum non cernimus: idcò neque eius insuetimus pulchritudinẽ. Corpus autẽ vmbrã animi, imaginemq; videmus, itaq; ex eius imagine suspicãtes in corpore formoso speciosũ esse animũ coniectamur. Quãobrẽ formosos homines libentius erudimus.

DE DVOBVS AMORIBVS, ET QVOD ANIMA NASCITVR prædita veritate.

CAPVT XII.

DE amoris definitione satis iam diximus: nunc autẽ quæ apud Platonẽ sit ex animi corporisve fœcunditate de amore distinctio declaremus. Omnium inquit, hominũ prægnans & grauidũ corpus est, prægnans & animus. Corpori semina suorũ omnium ab initio sunt inserta. Hinc statutis temporum curriculis dentes erumpunt, prodeunt pili, barba profunditur, procreationis semina defluunt. Si fœcundum corpus est, grauidumque seminibus, multò magis animus præstantior corpore uberrimus est, atque suorum omniũ ab initio semina possidet. Igitur morum, artium, disciplinarum rationes iam diu sortitus est animus, suósque fœtus inde, si rectè colatur, statutis temporibus promit in lucem. Quod autem rationes suorum omnium ingenitas habeat, ex appetitu eius, inquisitione, inuen-

nuẽtione, iudicio, & comparatione cognoscimus. Quis negat animũ statim à tenera ætate, vera bona, honesta, vtilia exoptare? optat autẽ multi incognita. Ergo insunt istorũ aliquæ etiã antequã appetat, in animo notiones: per quas ceu formas rationésve ipsorũ ea iudicat appetẽda. Idẽ ab inquisitione & inuẽtione probatur: si in turba hominũ quærat Socrates Alcibiadẽ, ſtéq; illũ aliquando reperturus necesse est Socratis mentis aliquã Alcibiadu inesse figuram, vt sciat quẽ hominem quærat præ cæteris, ac repertum in cœtu multorum, Alcibiadem ab alio discernere valeat. Ita neq; indagaret ea quatuor animus: neque aliquã do inueniret, nisi haberet illorũ, id est Veritatis, Bonitatis, Honestatis, Vtilitatis aliquã notionẽ per quã illa quæreret inuenturus, vt quoties reperit quæ inuestigauerat, recognoscat, atque ab eorum discernat contrariis. Neque solùm ab appetitu, indagatione, inuentione, sed etiã à iudicio id probamus. Quicunque enim aliquẽ sibi amicũ iudicat vel inimicum, quid amicitia, quídve maleuolentia sit, nõ ignorat. Quónã igitur pacto multa vera falsa, vel bona vel mala, vt solemus, quotidie iudicaremus, & rectè iudicaremus, nisi esset nobis veritas quodãmodo bonitásq; præcognita? Quomodo rursus structuræ, musicæ, picturæ, & artiũ cæterarũ opera, necnon inuenta philosophorum, multi etiam in his artibus non versati probarent sapiẽs, mèrectè & reprobarent, nisi illarum rerum forma quædam esset, & ratio illis à natura tributa? Cõparatio quoque idẽ nobis ostendit. Quicunq; enim mel vino comparans alterum altero pronũciat dulcius, quis dulcis sit sapor, agnoscit: & qui Speusippum & Xenocratem conferens ad Platonem, Xenocratem censet Platonis similiorem, quàm Speusippum, Platonis figuram proculdubio nouit. Eodem modo cũ è multis bonis aliud alio melius rectè existimemus, & maiori minoriue bonitatis participatione

aliud alio melius deteriúsve appareat: necesse est bonitatẽ nõ ignorare. Præterea cùm è multu philosophorũ aut etiã aliorũ opiniombus, quæ veri sit similior & probabilior sæpe optimè iudicemus oportet nõ deesse nobis aliquẽ veritatis intuitũ, vt quæ sint illius similiora non nesciamus. Quapropter nõnulli in adolescentia, aliqui etiã sine præceptore, plerique ex paucissimis doctrinæ rudimentis à præceptoribus demonstratis doctissimi euasisse traduntur: quod nunquam nisi multùm, vt diximus, iuuante natura fieri potuisset. Hoc abundè Socrates Phædoni, Theæteto Menoni pueris demõstrauit: docuítque posse pueros rectè in singulis artibus respondere, siquis prudenter eos interroget: quippe cùm à natura sint artiũ disciplinarúmque omnium rationibus præditi.

IN ANIMA VERITATIS LVMEN.

CAP. XIII.

QVo autẽ modo huiusmodi sint in animo rationes, apud Platonẽ videtur ambiguum. Si quis eos libros sequatur, quos iunior scripsit Plato, Phædrũ, Menonem, & Phædonẽ, putabit fortasse ita fermè illas esse in animi substãtia pictas, tanquã in pariete figuras: quod in superioribus sæpe & à me & à vobis est tactum. Sic enim ibi videtur innuere. In sexto autem de Republica libro diuinus ille vir totã rem aperit, dicítque lumen esse mentis ad intelligẽda omnia eũdem ipsum Deũ, à quo facta sunt omnia. Solẽ nanque & Deum ita inuicem comparat, vt quẽadmodũ se habet sol ad oculos, ita ad mẽtes se Deus habeat. Sol oculos generat, vimq; illis præstat videndi. Quæ frustra esset, & sempiternis obruta tenebris, nisi solis lumen adesset corporum coloribus & figuris pictũ: in

quo

quo oculus corporũ colores videt atque figuras. Neque aliud quicquam nisi lumen oculus intuetur. Videtur tamen varia intueri, quia lumen ipsi infusum variis externorum corporum formulis est ornatũ. Hoc quidem lumen in corporibus reflexum: oculus percipit: ipsam verò in fonte suo lucẽ minimè sustinet. Eodem pacto Deus animam procreat, eiq; mẽtem vim ad intelligendum largitur: quæ vacua esset atq; obscura, nisi Dei sibi lumen adesset: in quo rerũ omniũ inspiciat rationes. Vnde per Dei lumen intelligit, atque ipsum diuinũ duntaxat lumen agnoscit. Diuersa tamen videtur agnoscere, quia sub diuersis rerum ideis & rationibus ipsum intelligit. Quando quis oculis videns hominum, in phantasia hominis imaginem fabricat, diutiusq; in ea iudicãda reuoluitur, mentis suæ aciẽ tollit ad hominis rationẽ in diuino lumine existentẽ suspiciendã: inde scintilla in mentẽ protinus emicat, ac reuera natura ipsa hominis intelligitur, atque de cæteris omnibus eodẽ pacto. Itaq; per Dei lumen omnia intelligimus, ipsum verò purum lumen eiusq; fontẽ in hac vita videre non possumus. In hoc plane tota animæ consistit fœcũditas quod in eius penetralibus lux illa Dei fulget æterna, rerũ omniũ rationibus idriq; plenissima, ad quam anima quoties vult, vitæ puritate, & summa studij intentione conuertitur, conuersa scintillu emicat idearum.

VNDE AMOR ERGA MASCVLOS, VNDE ERGA FOEminas.

CAP. XIIII.

ITa prægnãs hominũ corpus, vt Plato vult, prægnãs & animus: & ambo amoris incitamẽtu stimulãtur ad partũ. Cæterùm alij vel propter naturã vel propter educationẽ ad animi fœtus sunt quã corporis ap-

tiores: alij & quidē plurimi, contrà. Illi cælestem sequuntur amorē: hi vulgarē. Illi natura idcircò mares, & illos quidē iā penè adultas potius quàm fœminas, aut pueros amant: quoniā in eis magis admodū viget mentis acumē. quod ad disciplinam, quam illi generaturi sunt propter excellentiorem sui pulchritudinem est aptissimū. Aliū contra propter cōgressum veneris voluptatē, & corporalis generationis affectū. Quoniā verò genitalium illa vis animi, utpote cognitionis expers sexuū nullū habet discrimē, natura tamen sua toties incitatur ad generandū, quoties formosum corpus aliquod iudicamus contingit plerumq;, ut qui cum masculis conuersantur, quo genitalium partis stimulos sedent, illis se misceāt: Hi præsertim in quorū genesi Venus in signo masculo & cum Saturno fuerit, vel in Saturni finibus, vel Saturno opposita. Oportebat autē animaduertere genitalis partis illius incitamentum non irritum hoc iacturæ opus, sed serendi & procreādi officium affectare, atque à masculis ad fœminas eam traducere. Huiusmodi quodam errore nefarium scelus illud exortum putamus, quod in legibus suis Plato tanquam homicidij speciem acerrimè detestatur. Quippe non minus homicida censendus est, qui hominem præripit nasciturum, quàm qui natū tollit è medio. Audacior quidem qui præsentē abrumpit vitā, crudelior autem, qui lucem inuidet nascituro, & nondum natos suos filios enecat.

SVPRA CORPVS EST ANIMA SVPER ANIMAM ANGELVS, SVper angelum Deus.

CAP. XV.

VErùm de gemina vbertate animæ geminis q; amoribus hactenus. Deinceps quibus gradib⁹ Diotima Socratē ab infimis ad superna euehit, differamus:

mus: à corpore in animã, ab anima in angelũ, ab angelo reducit in Deũ. Hos quatuor rerũ gradus in natura esse debere ita licet argumẽtari, Omne corpus ab alio quodã mouetur: mouere autẽ seipsum natura sua nõ potest, quũ nec agere per se quicquã valeat: Sed propter animæ præsentiã seipso moueri videtur: & propter animã viuere. Et præsente quidẽ anima seipsũ mouet quodãmodo: absente verò ab alio dũtaxat mouetur, vtpote quòd hãc ex seipso naturã nõ habeat, sed anima propriè vim seipsã mouẽdi possideat. Nã quicũq; adest vim ad seipsum mouendũ impertit: quod autẽ ipsa sui præsẽtia impertit aliis, hoc ipsa multò prius magisq; debet habere. Est igitur anima supra corpora: vtpote quæ seipsam secũdũ essentiã suã mouere queat. atq; ideirco super illa debeat esse, quæ nõ ex seipsis, sed aliorum præsentia vt se moueãt assequũtur. Cum dicimus seipsa moueri animã, nõ trãstituèvt ita dixerim quẽadmodũ à Platone accipi voluit Aristoteles, sed absolutè verbum illud proferimus, vt cùm stare per se Deũ, lucere solẽ per se, calere ignẽ asseueremus. Nõ enim pars animæ mouet, pars agitatur: sed tota ex se, id est sua natura mouetur, hoc est ab alio in aliud ratione discurrit, ac nutritionis, augmẽti, generationis per interualla temporũ transigit. Tẽporalis ista discursio ex seipsa competit animæ: quæ quod supereã est, nõ aliis momentis alia, sed vno æternitatis pũcto simul intelligit omnia. Quapropter rectè primus à Platone motus, & primũ temporis interuallu in anima ponitur: vnde motus & tẽpus in corpora trãseunt. Quoniã verò ante motũ statũ esse necessariũ est, cùm status sit ratione perfectior supra motionẽ animæ mobilem oportet stabilem aliquã intelligentiam reperiri, qua secundum se tota intelligentia sit, & actu semper intelligentia. Anima enim non se tota, neque semper, sed ex quadam sui parte, & quandoque intelligit, neque

certam habet, sed ambiguã intelligendi virtutẽ. Vt ergo quod perfectius est, illud quod est imperfectius antecedat supra mentẽ anima quæ mobilis est, quæ pars, quæ intermissa, quæ dubia, ponenda est angeli mẽs stabilis tota, cõtinua atq; certissima: vt quemadmodũ corpori ab alio agitato, anima per se mota præcedit: ita anima per se agitata mens stabilis per se præcedat. Et quemadmodũ corpus per animã habet vt seipsum moueat: atq; ideo nõ omnia corpora, sed animata spõte sua moueri videtur: ita anima per mentẽ habet quòd semper intelligat. Si enim suapte natura anima intellectus inesset, omnibus etiã bestiarum competeret animabus: quemadmodum seipsius agitandi potestas. Non igitur anima intellectu per se primóque cõpetit: quare eã antecedat oportet, quod per se primóq; mentis est compos: huiusmodi angelus est, animus excellentior. Sed enim angeli mentẽ, verũ illud principiũ, summúmq; honorẽ, quod in Parmenide Plato ipsum vnũ vocat, necessariò supereminet. Quippe super omnẽ rei cõpositæ multitudinem vnũ ipsum simplex esse debet natura: ab vno enim numerus, & à simplicibus compositio tota conflatur. Mens autem illa licet immobilis sit, non tamen vnum ipsum purius simplex existit. Intelligit enim seipsam: vbi diuersa inter sese quoquomodo videtur hæc tria: quod intelligit, quod intelligitur, intellectio. Alia enim ipsius ratio est, prout intelligit prout intelligitur alia, alia itẽ prout intellectio est. Habet præterea cognoscendi potentiam ante cognitionis actum per se prorsus informẽ cognoscẽdo formatur, qua intelligẽdo veritatis lumẽ cupit & capit: quo videtur antequã intelligeret caruisse. Habet quoq; in se idearum omniũ multitudinẽ. Cernit quãta sit, quàm varia in angelo multitudo atq; compositio. Itaque ipsi purũ vnũ & simplex præponere cogimur. Ipsi autẽ vni Deo nihil possumus anteponere, quia verum vnũ omnis multitudinis, o-

mnis compositionis est expers. Quòd si supra se quicquã haberet, ab illo vtique fieret: quare ab eo depẽdens in hoc ipso ab eodẽ degenerat, vt à causa omnis solet effectus. Ideóque non vnũ iam esset & simplex sed saltem ex duobus cõpositũ, scilicet ex causæ suæ munere, proprióve defectu. Ipsum itaq; vnũ, vt Plato vult, & Dionysius Areopagita confirmat, omnia supereminet excellẽtissimũq; Dei nomẽ vnũ ipsum ab vtroq; censetur. Huius sublimitatem ratio quoq; illa nobis ostẽdit, quòd eminentissimæ causæ donũ esse debet amplissimã, virtus ísq; suæ præstantia se ad cũcta protendere. Vnius munus per vniuersa sẽ propagat. Nã nõ mens solùm vna est, & anima quælibet vna, corpus quodlibet vnũ, sed etiã informis ipsa materies, rerúmq; priuatio vna quodammodo dicitur. Nã vnũ silentiũ dicimus: vnã obscuritatẽ: Mortem vnã. Mentis tamen & animæ munera ad eam vsq; non extenduntur: Mens enim speciem artificiosam ordinémq; largitur: Anima vitã præstat & motũ, informis verò & prima mundi materia, rerúmque priuatio speciei & vitæ est expers. Ita ipsum vnum mentem & animam antecedit: cùm munus eius latius diffundatur. Eadem ratione mens animam videtur excedere: quia vitæ munus animæ, non omnibus datur corporibus. Omnibus tamen his speciem ordinémque mens tribuit.

QVÆ COMPARATIO INTER DEVM ANGELVM, ANIMAM, CORPVS.

CAP. XVI.

ERgo à corpore in animã, ab hac in angelũ, ab hoc in Deũ ascendimus. Deũ super æternitatem est: Angelus in æternitate est totus. Sanè tã eius operatio quàm essentia, stabilis permanet. Status autem

aeternitatis est propriùs. Anima partim in aeternitate est, partim in tempore. Eius enim substantia eadē semper absque vlla incrementi aut detrimenti mutatione perdurat. Operatio autem, vt paulò antè monstrauimus, per temporis interualla discurrit. Corpus tempori omnino subiicitur. Nam & substantia eius mutatur, & operatio eius omnis temporis spatiū exigit. Igitur ipsum vnum, supra statum motúmue existit: Angelus, in statu: Anima, in statu pariter atque motu: Corpus solo in motu locatur. Vnum rursus: super numerum, motum locúmque manet: Angelus in numero super motum & locum ponitur: Anima in numero motúque, sed super locum: Corpus numero, motui, loco subiicitur. Siquidem ipsum vnū neque numerum vllum, aut compositionem partium habet: neque vllo pacto ab eo quod est, mutatur, neq; loco elabitur vllo. Angelus numerum quidem habet partium vel formarum, sed à motu locóque est liber. Anima partium habet & affectuum multitudinem, & ratiocinationis progressione, perturbationúmque varietate mutatur: sed à loci limitib. est exempta. Corpus autem his omnibus est obnexium.

QVÆ COMPARATIO INTER PVLCHRITVDINES, DEI, ANGELI, animæ, corporis.

CAP. XVII.

EAdem verò inter quatuor hæc, & eorum formas est comparatio: Nempe corporis forma in multarū partium compositione consistit, loco astringitur, tempore labitur. Species animi, temporis quidem vicissitudines patitur, & partium continet multitudinem, sed à loci terminis est absoluta. Angeli verò species numerum habet solum, à duob. aliis immunis existit. Dei autem, nihil istorum perpetitur. Corporis vtiq;

formam vides. Visne animi quoque speciem intueri? Detrahe corporalis formæ ipsius naturæ pondus, limitésque locorum, relinque cætera: animi iam speciẽ habes. Vis & Angeli? Deme obsecro non loci spatiæ solùm, sed temporis quoque progressum, compositionẽ multiplicem retine. eam protinus nanciscere. Cupis etiam Dei pulchritudinem cernere? Adfer as insuper multiplicem illam formarum compositionem: simplicem prorsus relinque formam, confestim Dei speciem fueris consecutus. Verùm quid mihi tandem subtractu istis reliquum supererit? An tu esse aliud quàm lucem, pulchritudinem ducis? Porrò corporum omnium pulchritudo lumen istud est solis quod vides, tribus illis infectum: formarum multitudine (nã multis id aspicis figuris color téxtúsque depictum) loci spatio, temporalis mutatione. Tolle sedem eius in materia, vt præter locum reliqua duo retineat: huiusmodi prorsus est animi pulchritudo. Tolle hinc temporis si lubet, mutationem, mitte reliquum: lumen restat sine loco, sine motu clarissimum: sed omnibus insculptum rerum omnium naturibus. Id angelus est, id angeli pulchritudo. Tolle postremò diuersarum illum numerum idearum: vnam simplicem ac meram relinque lucem: instar lucis eius, quæ in globo solis ipso permanet, per aerem non dispergitur: iam Dei pulchritudinem quodammodo comprahendis: quæ tantum saltem formas reliquas antecellit, quantum lux illa solis in seipsa mera, vna inuiolata splendorem solis per nubilosum aera dissectum, dissum, insectũ, obscuratum, exuperat. Fons itaque totius pulchritudinis Deus est. Fons itaque totius amoris est Deus. Lumen præterea solis in aqua vmbra quadam est ad clarius eiusdem lumen in aere. Splendor in aere, vmbra similiter ad eiusdem ignis fulgorem. Fulgor in igne, vmbra ad lucem solis eodem ipso in sole fulgentem. Eadem est inter quatuor

illas, corporis, animi, angeli. Dei pulchritudines comparatio. Deus nunquam ita decipitur, vt suæ speciei vmbram in angelo amet quidem, propriã sui ac veram negligat pulchritudinem. Neque angelus vsq; adeò capitur animæ specie, quæ ipsius est vmbra vt sui vmbra detentus figuram propriam deserat. Anima tamen nostra, quod summopere dolendum est: hæc enim est totius nostræ infelicitatis origo: anima, inquam, sola ita corporalis formæ blanditiis delinitur, vt propriam posthabeat speciem: corporis verò formam, quæ suæ vmbra est, suipsius oblita sectetur. Hinc crudelissimum illud apud Orpheum Narcissi fatum. Hinc hominũ miseranda calamitas. Narcissus quidem adolescens, id est, temerarij & imperiti hominis animus, sui vultum non aspexit: propriã sui substantiam, & virtutem nequaquam animaduertit: sed eius vmbram in aqua prosequitur, & amplecti conatur: id est, pulchritudinem infragili corpore, & instar aquæ fluentis, quæ ipsum animi vmbra est, admiratur. Suam quidem figuram deserit, vmbram nunquam assequitur: quoniam animus corpus sectando si negligit, & vsu corporis non impletur. Non enim ipsum reuera appetit corpus: sed sui ipsius speciem, à corporali forma quæ speciei suæ imago est, illectus, quemadmodum Narcissus, affectat: cúmque id minimè aduertat, dum aliud quidẽ cupit, aliud sequitur, desiderium suum explere non potest. Ideò in lachrymas resolutus consumitur, id est, animus ita extra se positus & delapsus in corpus, perniciosis perturbationibus cruciatur: corporisque infectus sordibus quasi moritur: cùm iam corpus esse potius quàm animus videatur. Quam vtique mortem vt Socrates deuitaret, Diotima ipsum à corpore ad animum, ab hoc in angelum, ab eo reduxit in Deum.

QVO-

QVOMODO ANIMA A CORPORIS PVLCHRITVDINE AD DEI pulchritudinem eleuetur.

CAP. XVIII.

AGite conuiuæ charissimi, Diotimam sigite ita Socratem alloquentem. Nullum corpus ô Socrates, vndique pulchrum. Nam aut in hac parte formosum illa deforme: aut hodie formosum, aliàs minimè: aut ab alio pulchrum, ab alio turpe censetur. Ergo corporis pulchritudo turpitudinis contagione coinquinata, pura, vera, & prima pulchritudo esse non potest. Quinetiam pulchritudinem turpem esse nemo aliquando suspicatur: quemadmodum neque sapientiam esse insipientem. Corporum verò de speciositatem quandoque speciosam, quandoque turpem putamus: eodémque tempore de illa alij aliter sentiunt. Non igitur prima & vera est in corporibus pulchritudo. Adde quòd multa corpora vno pulchritudinis vocantur cognomine. Vna igitur est in corporibus multis pulchritudinis natura communis, per quam similiter pulchra denominatur. Vnam verò naturam huiusmodi, sicut in alio est, id est in materia, sic ab alio dependere putato. Quod enim in seipso sustentari non potest, multò minus à seipso pendere. Nunquid à materia dependebit? minimè. Nihil enim deforme & imperfectum seipsum ornare potest atq; perficere. Quod autem vnum est, ab vno debet oriri. Quapropter vna multorũ corporum pulchritudo ab vno aliquo incorporali pendet artifice. Artifex vnus omnium Deus est, qui per angelos atque animas pulchram quotidie reddit omnem mundi materiã. Propterea veram illam pulchritudinis rationem in Deo eiúsque ministris potius, quàm in mundi corpore reperiri putandum. Ad eam rursus his gradibus facilè, vt arbitror, ascendens ô Socrates. Si oculos

tibi lynceos natura dedisset, mi Socrates, vt aspectu qualibet occurrentia penetrares formosissimum illud extrinsecus Alcibiadis tui corpus tibi turpissimum videretur. Quantum est quod amas amice? Superficies duntaxat, imò color te rapit: imò quadam reflexio luminum, & vmbra leuissima. Seu te vana imaginatio decipit: ita quod somnias potius quàm quod vides amas. Caterùm ne tibi videar penitus aduersari, sit sanè Alcibiades iste formosus, At enim quota parte formosus? omnibus profectò membris præterquam naso simos & elatioribus quàm deceat supercilijs. Hæc tamen in Phædro speciosa sunt. Sed crurum in eo crassitudo non placet? Decora hæc apud Charmidem, nisi gracile te collum offenderet. Ita si homines singulos obseruabis, nullum ex omni parte laudabis. Quicquid vbique rectum est, colliges: figuram apud te integram ex obseruatione omnium fabricabis: vt absoluta humani generis pulchritudo, quæ in multis reperitur sparsa corporibus, in animo tuo sit vnius imaginis cogitatione collecta. Cuiusque hominis figurã parui pendes, ô Socrates, si ad istã contuleris. Istam verò non tam corporum, quàm animi tui beneficio possides. Itaque istam potius quàm tuus animus fabricauit, & animũ ipsum eius artificem quã exteriorẽ illam mancam, dispersamq; amato. Quid autẽ in animo amare te iubeet? animi pulchritudinem. Lux aũt est pulchritudo corporũ: lux est & animi pulchritudo: lux animi veritas: quã solam amicus tuus Plato in votis suis à Deo postulare videtur. Da mihi, inquit, Deus vt meus animus pulcher efficiatur: & quæ ad corpus attinent, animi pulchritudinem non impediant: solũ sapientẽ duitem putem. In his Plato declarat pulchritudinẽ animæ in veritate sapientiáque consistere: eam à Deo hominib. tribui. Veritas vno est, & eadẽ nobis à Deo tributa in variis eius effectibus variarum vir-

tutum

tutum cognomenta sortitur: prout diuina demonstrat sapiētia quā à Deo præ cæteris Plato popoſcit: prout naturalia, scientia: vt humana, prudentia: vt aquos facit, iustitia: vt inuictos, fortitudo: vt tranquillos dicitur temperantia. Ex his duo virtutum genera numerantur. Morales, in quā virtutes, & intellectiuæ illis præstantiores. Intellectiuæ sunt Sapientia, Scientia, Prudentia: Morales, Iustitia, Fortitudo, & Tēperantia. Morales propter operationes earum ciuiliáque officia notiores sunt: Intellectiuæ propter reconditā veritatem occultiores. Præterea qui honestis moribus educatur, vtpote purior aliis facilè ad intellectiuas virtutes erigitur. Ideò pulchritudinem animi quæ consistit in moribus, primam considerare te iubeo, vt intelligas vnam esse morum omnium rationē: per quam similiter honesti vocantur. Vnam scilicet vitæ purissimæ veritatem: quæ Iustitiæ, Fortitudini, Temperantiæ actionibus, ad veram nos perducit felicitatem. Vnam igitur hanc veritatem morum, lucémque animi specioſissimam primam diligito. Scito quinetiam supra mores ad sapientiæ, scientiæ prudētia lucidissimam veritatem te protinus ascensurum, si considerabis hæc animo optimis moribus educato concedi, atque in eis normam moralis vitæ rectissimā contineri. Quamuis autem variæ, Sapientiæ, Scientiæ, Prudentiæq; doctrinæ contuearis: in cunctis tamen vnicam esse veritatis lucem existimato: per quam omnes pulchræ similiter appellantur. Eam tibi vtpote supremam animi pulchritudinem summopere amare præcipio. Sed enim vna hæc in doctrinis plurimis veritas, primò omnium veritas ideo esse nequit, quoniā in alio est, quā sit in multis distributa doctrinis. Quicquid autem iacet in alio, alio certè dependet. Neq; tamen veritas vna à doctrinarū multitudine nascitur. Quod enim vnum est, ab vno debet oriri. Quare oportet vnam quandam esse super

animam hominu sapientiam, quæ non per diuersas sit diuisa doctrinas, sed una sapientia sit: à cuius unica veritate veritas hominum multiplex oriatur. Illam ô Socrates, unicam unicæ sapientiæ lucem, angeli pulchritudinem esse memento, quæ tibi super animi speciem sit colenda. Ea ut in superioribus demonstrauimus, corporum speciem antecellit: quia neque loco astringitur, neq; secundum materiæ partes diuiditur, neque corrumpitur. Antecellit & animi speciem, quia aterna est penitus, neque temporali discursione mouetur. Quoniam verò angeli lux in idearum complurium serie micat, ac supra multitudinem omnem unitas sit oportet, quæ est numeri totius origo: necesse est eam ab uno rerum omnium principio, quod ipsum unum vocamus, effluere. Ipsius itaque unius lux penitus simplicissima infinita pulchritudo est: quia nec materiæ sordibus inquinatur, ut corporis species: neque ut animi forma temporali progressione mutatur, neque ut angeli species multitudine dissipatur. Omnis autem qualitas ab extraneo additamento secreta, dicitur apud Physicos infinita. Si in se ipso sit calor, frigore & humore non impeditus, materiæ pondere non grauatus, calor dicitur infinitus, quia vis eius libera est, neque vllis additionis limitibus coarctatur. Similiter lumen ab omni corpore liberum infinitum: nam sine modo ac termino lucet, quod natura lucet sua, quando ab illo minimè terminatur. Itaque Dei lux & pulchritudo, qua mera est, prorsus ab aliis omnibus absoluta, absque dubio infinita dicitur pulchritudo. Infinita verò pulchritudo immensum quoque requirit amorem. Quapropter te obsecro Socrates, ut certo quodam modo & termino cætera diligas. Deũ verò amore diligas infinito, neque vllus diuino modus adsit amori.

QVO-

QVOMODO DEVS AMANDVS.
CAP. XXI.

HÆc Diotima Socrati. Nos autem viri clarissimi non solùm sine modo Deum, vt tubere Diotima fingitur, sed Deum solum amabimus. Ita enim mens ad Deum, vt ad solem aciei oculorum. Oculus autem non modò lumen præ cæteris, sed solum appetit lumen. Si corpora, si animos, si angelos diligemus, non hæc quidem, sed Deum in his amabimus. In corporibus quidem Dei vmbram, in animis Dei similitudinem, in angelis eiusdem imaginem. Ita Deum ad præsens in omnibus diligemus, vt in Deo tandem omnia diligamus. Nam ita viuentes eò proficiscemur, vt & Deum & in Deo omnia videamus: amemúsque & ipsum, & quæ in ipso sunt omnia. Et quisquis hoc in tempore sese Deo charitate deuinxerit, se denique recuperabit in Deo. Nempe ad suam, per quam creatus est, redibit ideam: ibi rursus, si quid ipsi defuerit, reformabitur: idea sua perpetuò cohærabit. Verus autem homo & idea hominis idem. Ideo quisque nostrûm in terris à Deo separatus, non verus est homo, cùm à sui idea sit, formáque disiunctus: ad eã nos diuinus amor, pietásq; perducet, cùm hîc discerpti simus & mutilati. Idea tunc nostra amando coniuncti, integri homines euademus: vt Deum primò in rebus coluisse videamur, quo res deinde in Deo colamus, réisque in Deo ideo venerari, vt nos ipsos præ cæteris amplectamur, & amando Deum nos ipsos videamur amauisse.

ORATIO SEPTIMA.
CONCLVSIO SVPRADICTORVM, ET OPINIO GVIDONIS Caualcantis philosophi.
CAPVT I.

POstremò Christephorus Marsupinus vir humanissimus, Alcibiadis personam gesturus, tu ad

me verbis conuertitur. Gratulor equidem Marsili, Ioannis tui familiæ plurimum: quæ inter multos & doctrina & rebus gestis clarissimos equites Guidonẽ philosophum peperit de republica bene meritum, & aculeis dialecticæ cunctis suo seculo præcellentem: qui hunc amorem Socraticum tam moribus, quàm carminibus imitatus, breui quæcunque à vobis sunt dicta, perstrinxit. Phædrus enim amoris originem tetigit ex chaos visceribus emanantẽ. Pausanias tantum, amorem geminam diuisit in speciem, cælestem scilicet & vulgarem. Eryximachus eius aperuit amplitudinem, dum cunctis in rebus eum sic inesse monstraret in partes geminas distributum. Aristophanes quid agat in singulis tam amplissimi Dei præsentia declarauit, ostendens per hunc fractos homines resarciri. Agatho quanta sit eius virtus, potentiáque tractauit, cùm ab eo solo beatos fieri homines disputaret. Socrates tandem à Diotima edoctus, summatim quid sit amor, & qualis, & vnde ortus, quot habet partes, quorsum tendat, & quatenus valeat explicauit. Guido Caualcantes philosophus, omnia hæc artificiosissimè videtur carminibus suis inseruisse. Quemadmodum solis radio speculum modo quodam percussum splendet iterum, & proximè sibi appositam lanam reflexione illa splendoris inflammat: ita illa partem animæ, quam obscuram phantasiam vocant, atque memoriam seu speculum, pulchritudinis ipsius solis locum habentis simulacro tanquam radio quodam per oculos hausto censet ita pulsari, vt ipsa sibi ex illo alterum effingat simulacrum, quasi simulacri primi splendorem: quo appetendi vis non aliter quàm lana accendatur & amet. Addit amorem hunc primum in appetitu sensu accensum à forma corporis per oculos inspecta creari: sed eam ipsam formam non eo modo, quo in corporis materia est, in phantasia imprimi, sed sine materia

teria: ita tamen vt certi cuiusdam hominis signate in loco & tempore positi sit imago. Rursus imaginis huiusmodi speciem aliquam statim in mente lucere: quæ non amplius vnius cuiusdam humani corporis vt erat in phantasia, videatur esse similitudo: sed totius æquè generis humani ratio communis & definitio. Itaque sicut ex phantasia imagine à corpore sumpta, in appetitu sensus corpori dedito amor ad sensum procliuis exoritur: ita ex hac mentis specie rationéque communi tanquam à corpore remotissima, amor alius in voluntate nascitur à commercio corporis alienissimus. Illum in voluptate, hunc in contemplatione locauit. Illum circa particularem corporis vnius formam reuolui putat, hunc circa vniuersalem totius humani generis pulchritudinem. Hos vtique amores sibi ipsis in homine repugnare, & illum deorsum ad ferinam & voluptuosam depellere, hunc suasum ad angelicam vitam contemplatiuámque attollere: hunc absque perturbatione vult esse, & in paucis reperiri: illum multis passionibus anxium, ac plurimos occupare. Ideo illum paucis verbis absoluit, in alterius passionibus enarrandis prolixior. Quoniam verò eadem apertissimè, quæ & vos in superioribus narrauistis, hic explicat: ea in præsentia recensere opus esse non censui. Verùm cognouisse sufficiat philosophum hunc aliquam chaos informitatem qualem suprà vos posuistis, in amoris procreatione miscuisse, dum diceret obscuram phantasiam illuminari: atque ex illius obscuritatis & huius luminis mixtione, amorem originem ducere. Amorem præterea geminum illum cælestem atque vulgarem quis in eius verbis non videat? Originem quinetiam illius primam in diuinorũ, secundã in corporum collocat pulchritudine. Solẽ nãq; Dei lucẽ: radiis corporũ formã intelligit. Finem postre-

mò suum vult eiusdem principiis respondere: dum alios usque ad formam corporis, alios usque ad Dei speciem amoris prouehit instigatio.

SOCRATES FVIT VERVS, AMATOR ET CVPIDINI similis.

CAP. II.

DE amore hactenus. Ad Alcibiadem & Socratem veniamus. Postquam conuiua satis amantium deum laudauerant, reliquum erat vt dei huius cultores legitimi laudarentur. Maximè omnium legitimè amasse Socrates ab omnibus perhibetur. Is cùm per omnem vitam palàm sine vlla prorsus dissimulatione in castris Cupidinis militasset, à nullis vnquàm notatus est quasi minus honestè quenquam dilexerit. Huic vita seueritas & alienarum scelerum correptio frequens, multos & magnos viros, vt solet veritas, infestos reddiderat. Anytum, Melitum, Lygonem præsertim ciues in republica potentissimos: Thrasymachum, Polum & Callian oratores: Aristophanem præterea comicum acerrimum habuit insectatorem. Sed neque ciues illi in accusatione, qua Socratem in iudicium traxere, in honestos amores inscripserunt: neque oratores eius hostes tale quicquam Socrati obiecere: neque Aristophanes Comicus, licet alia multa & absurda in Dionysios colligat in Socratem maledicta. An censetis eum si tam fœda sceleris labe coinquinasset, imò nisi fuisset ab huius criminis suspicione remotissimus, venenosas talium detractorum linguas euasurum fuisse? Nunquid optimi viri illud in superioribus animaduertistis, quòd dum Plato ipsum fingit Amorem, Socratis omnem pingit effigiem, ac numinis illius figuram ex Socratis persona describit, quasi verus amor, ac Socrates similimi

sint,

sint, atque ideo ille præ cæteris verus sit legitimúsq; amator? Agite iam Amoris picturam in animum revocate. Videbitis in ea Socratem figuratũ. Socratis personam ante oculos ponite. Macilentum, aridum, squalidúmq; videbitis: hominẽ scilicet natura melancholicum vt fertur, atque hirsutũ. Extenuatum inedia. Incuria sordidũ. Nudũ præterea, id est simplici & veteri opertũ palliolo. Sine calceis incedentem. Ita semper solitũ incedere Socratẽ apud Platonem Phædrus ostendit. Humilẽ pérq; infima volantem. Humi semper Socratis defixus erat aspectus, vt ait Phædo. Loca insuper vilia frequentabat: aut .n. in Simonis coriarii, aut in sculptorum officinis obversabatur. Rusticis & incomptis vtebatur vocabulis: quod illi obiicit Callicles in Gorgia. Adeò præterea mitis, vt multis lacessitus iniuriis, sæpe etiã pulsatus ne cõmotus quidem animo fuisse tradatur. Sine domicilio. Interrogatus Socrates cuiás esset: Mundanus inquit. Ibi .n. patria, vbi bonũ. Sed neq; huic proprij lares, neque mollis lectus, neq; delicatus victus, neq; speciosa suppellex. Ad fores in via sub dio dormiẽs. Hæc apertũ pectus & cor patẽs omnib. in Socrate nostro significãt. Præterea quòd & visu delectabatur atque auditu, quæ fores animi sunt: quòd etiam securus & intrepidus incedebat, iacebátq; etiãsi oportuisset pallio obuolutus vbiq;. Semp egenus. Quis nesciat Socratẽ sculptoris & obstetricis fuisse filium? & vsq; ad senectutẽ in sculpendis lapidib. manu propria victũ quæsisse, nec habuisse vnquã vnde se satis & filios aleret? Hic inopiã suam mentis passim cõfitebatur, interrogans omnes, nihil scire se prædicans. Virilis: erat .n. cõstantis animi, multaq; sententiæ, qui etiã Archelaum Macedonem, & Scopã Cranonium, Eurilochúmque Larisseum aspernatus est alto animo: cùm ab eu missas pecunias nõ acceperit: neq; ipse ad eos voluit proficisci. Audax, feróxq;. Quãta eius sue-

rit in rebus bellicis fortitudo, Alcibiades in conuiuio explicat copiosissimè: cui Socrates cùm in Potidea vi esset, victoriam sponte dicitur concessisse. Vehemens: erat quippe vt rectè Zopyrus Physionomus iudicauerat, cõcitatissimus. Sape verò inter loquendum agẽte id orationis vehemẽtia iactare digitos solebat, & crines vellere. Facundus. Hasce rationes in vtranq; partem fermè pares dũ differeret, suppetebant. Hic licet incomptis verbis vteretur, vt in conuiuio Alcibiades ait, magis tamen quàm Themistocles & Pericles, omnésq; cæteri oratores audientium animos commouebat. Pulchris & bonis insidiatur. Insidiatũ sibi semper fuisse Socratẽ Alcibiades inquit. eorũ quippe qui honesta indole præditi videbãtur, amore captus, eosdẽ rationib suis ad Philosophiæ studia Socrates capiebat. Callidus sagáxq; venator, Socratẽ venari solitũ ex corporis forma diuinã speciẽ, in superiorib satis esse dictũ: & in Protagora Plato testatur. Machinator: Multis modis, vt indicant Platonis dialogi, sophistas cõfutabat: adolescẽtes exhortabatur, modestos viros erudiebat. Prudẽtiæ studiosus. Fuit. n. tãta prudẽtia, & in præsagiendo tam perspicax: vt quisquis contra eius cõsilium quicquam auderet, perderetur, quod in Theage à Platone narratur. Per oẽm vitã philosophans. Hic in sua illa apud iudices defensione iudicibus edixit, si ea cõditione eũ morte absoluerẽt, vt nũquã postea philosophetur, se mori malle quã philosophari desinere. Incantator, fascinator, veneficus atq; sophista. Nã Alcibiades ait se magis Socraticis verbis quã Marsya Olympiq; excellentiũ musicorũ melodia raulceri. Damonẽ uerò illi fuisse familiarẽ, & accusatores sui & amici testãtur. Sophistã quoq; Socratẽ Aristophanes comicus appellauit, atq; etiã sui accusatores. Quippe cui æqua esset hortãdi & dehortãdi facultas. Inter sapiẽtiam & insciti am medium. Cũ oẽs homines ignorantes sint, inquit Socrates, hoc ego tantum

tãũ à cæteris differo, & meam ignorantiam nõ ignoro: cùm alii prorsùs ignorẽt. Ita erit inter sapiẽtiam & ignorantiam medium: quia licet res ipsas nesciret, suam tamẽ ignorantiam cognoscebat. Quas ob res Socratẽ amori similimũ ideóq; verisimum amatorem post amorem ipsum laudandũ. Alcibiades iudicauit, vt in eius laude intelligamus omnes qui similiter amant esse laudatos. Quæ Socratu laudes sint, hic audistis, & in Platonis verbis Alcibiadis ore patent clarissimè: quo etiam pacto amabat Socrates, cognoscere potest qui Dioti mæ doctrinæ meminerit. Ita enim amauit Socrates, vt supra Diotima docuit.

DE AMORE FERINO, QVOD insaniæ species est.

CAP. III.

VErùm interroget fortè quispiam: Quid hominum generi Socraticus amor iste cõducat: cur tantis sit laudib. celebrandus, quid obsit cõtrarius. Dicam equidem altius aliquando exorsus. Plato noster furorem in Phædro mentis alienationem definit. Alienationis autẽ duo genera tradit. Alteram ab humanis morbis, alteram à Deo prouenire existimat. Insaniam illam: hanc diuinũ furorem nuncupat. Insaniæ morbo infra hominis speciem homo deiicitur: & ex homine brutum quodammodo redditur. Insaniæ duo sunt genera. Vnũ cerebri, alterũ cordis vitio nascitur. Cerebrũ sæpe adustabilis, sæpe sanguine adustos nõnunquã atra bili nimium occupatur, hinc dementes homines quãdoq; redduntur. Qui adustabili vexantur: vel à nemine lacessiti vehemẽtiùs irascũtur: altè vociferantur: in obuios irruũt: seipsos & alios cædunt. Qui sanguine adusto laborant, effusos nimium in risus prorũpunt: præter omnium consuetudinẽ se iactant: mi-

rabilia de sepolliceatur: cantu gestiunt, exultant atque tripudio. Qui bili premuntur atra, mœrent perpetuò: ipsi sibi somnia fingunt, quæ vel præsentia expauescant, vel futura formident. Atque hæ quidem tres insaniæ species cerebri fiunt defectu. Quando enim humores illi retinentur in corde, angustiam & solicitudinem pariunt, non dementiam: tunc verò amentiam, quando caput oppresserint, ideo cerebri vitio dicuntur contingere. Cordis autem morbo eam propriè insaniâ fieri arbitramur, qua affligũtur hi qui perditè amant. Hus falsò sacratissimum nomen amoris tribuitur. Verùm ne fortè nimis contra multos sapere videamur, dispositionis gratia nos etiam nomine ad istos vtamur.

AMOR VVLGARIS EST FASCInatio quædam.

CAP. IIII.

VOs autem aurium, ac mentis intentione dicendò accõmodate. Sanguis in adolescentia subtilis est, clarus, calidus, atque dulcis. Præcedente enim ætate subtiliorib. partibus resolutis, fit crassior: propterea fit & obscurior. Nempe quod tenue rarúmque est, purum est atque perlucidum: contrarium verò contrà. Cur calidus atque dulcis? quia vita, & viuẽdi initium, ipsa scilicet generatio, in calore & humore consistit, ac semen prima viuentium genitura calidum est & humidum: natura talis in pueritia & adolescentia viget. In sequentibus ætatibus paulatim in cõtrarias qualitates siccitatẽ & frigiditatem necessariò ꝓmutatur. Ideò sanguis in adolescẽte subtilis est, clarus, calidus atque dulcis: quia subtilis clarus: quia recens, calidus atque humidus: quia calidus et humidus est, ideò dulcis esse videtur. Dulcedo. n. fit in calidi et humidi mixtione. Quorsũ hæc? nempe vt intelligatis spiritus in hac ætate subtiles &

& claros, esse calidos atque dulces. Hi enim cum à cordis calore ex puriori sanguine generentur, tales in nobis sunt semper, qualis est & sanguinis humor. Quemadmodum verò spirituum vapor huiusmodi creatur ex sanguine: ita & ipse similes sibi radios per oculos quasi vitreas fenestras emittit. Atque etiam sicut cor mundi sol suo circuitu lumen, perque lumen virtutes suas ad inferiora demittit: sic corporis nostri cor, motu suo quodam perpetuo proximum sibi sanguinem agitans ex eo spiritus in totũ corpus, perque illos luminum scintillas, per membra diffundit quidem singula, per oculos autem maximè. Ad altissimas quippe corporis partes spiritus maximè cùm sit leuissimus, euolat: eúsque lumen per oculos cùm ipsi perspicui sint atque omnium partium nitidissimi, uberius emicat. Inesse verò oculis & cerebro lumen aliquod licet exiguum, animalia multa quæ noctu vident testimonio esse possunt, quorum in tenebris coruscant oculi. Ac etiam si quis certo quodam modo oculi angulum digito presserit, contorseritque, circulum quendam videtur intra se lucidum intueri. Fertur & diuus Augustus oculos adeò claros & nitidos habuisse, vt cùm acrius quenquam intueretur, cogeret eum quasi ad solis fulgorem vultum submittere. Tiberius quoque pragrandibus fuisse oculis traditur, & qui quod mirum esset, noctu etiam & in tenebris viderent: sed ad breue, & cùm primò è somno patuissent, deinde rursiu hebescebant. Quòd autem radius emissus ab oculis vaporem secum spiritualem trahat, & vaporis sanguinem, ex eo perspicimus, quòd lippi & rubentes oculi spectantis proximè oculos radii sui emissione cogunt morbo simili laborare. Vbi apparet & radium vsque ad obitum illum pretendi, & cum radio vnà vaporem corrupti sanguinis emanare: cuius contagione oculus spectantis inficitur. Scribit Aristoteles mulieres, quando san-

guis menstruus defluit, intuitu suo speculum sanguineis guttis sæpe fœdare. Quod ex eo fieri arbitror, quia spiritus qui vapor sanguinis est, sanguis quidem tenuissimus videtur esse, adeò vt aspectũ effugiat oculorum: sed in speculi superficie factus crassior, clarè conspicitur. Hic si in variorem materiam aliquam seu pannum, aut linum incidat, ideò non videtur, quia in superficie rei illius vẽ restat, sed penetrat, si in densam quidem, sed asperam, sicut saxa, lateres, & similia corporis illius in æqualitate dissipatur & frangitur. Speculum autem propter duritiem sistit in superficie spirituum: propter æqualitatem, lenitatémque seruat infractum: propter nitorem spiritus ipsius radium iuuat & auget: propter frigiditatem rarissimam illius nebulam cogit in guttulas. Eadẽ fermè ratione quoties hiantibus faucibus obnixè anhelamus in vitrũ, eius faciem tenuissimo quodam saliua rore conspergimus: siquidem halitus à saliua euolans, in ea materia compressus relabitur in saliuam. Ergo quid mirum si patefactus oculus & intentus in aliquem, radiorum suorum aculeos in adstantis oculos iaculatur? atque etiam cùm aculeis istis, qui spirituum vehicula sunt, sanguineum vaporem illum, quem spiritum nuncupamus, intendit? Hinc virulentus aculeus trãs uerberat oculos: cúmque à corde percutientis mittatur, hominis percussi præcordia, quasi regionem propriam repetit: cor vulnerat, inque eius duriori dorso hebescit, reditque in sanguinem. Peregrinus hic sanguis à saucii hominis natura quodammodo alienus, sanginem eius proprium inficit: infectus sanguis ægrotat. Hinc duplex sequitur fascinatio. Aspectus fœtidi senis, & mulieris menstrua patientis, puerum fascinat. aspectus adolescentis fascinat senem. Quoniã verò senioris humor frigidus est atq; tardissimus, vix dorsũ cordis attingit in puero: & ineptus ad transitũ, cor ni si propter infantiam sit mollissimum, parùm admodũ

commo-

commouet. Hæc ideo leuis fascinatio est: illa verò grauissima, per quam iunior transfigit præcordia senioru. Hoc illud est amici optimi, de quo Platonicus Apuleius conqueritur. Causa, inquit, omnis & origo præsentis huius doloru, etiã medela ipsa, & salus vnica mihi tute ipse es. Ifti enim tui oculi per meos oculos ad intima delapsi præcordia, acerrimum meis medullis commouent incendium. Ergo miserere tua causa pereuntis. Ponite obsecro ante oculos Phædrum Myrrhusium, & Thebanum illum eius amore captũ Lysiam oratorem. Lysias in Phædri vultum inhiata Phædrus in oculos Lysiæ scintillas suorum defigit oculorum, cúmque scintillis vnà transmittit & spiritũ. Radius Phædri radio Lysiæ facilè copulatur: spiritui quoque facilè iungitur spiritus. Vapor huiusmodi Phædri corde genitus Lysiæ statim petit præcordia: quorum hebetudine fit compactior, & in priorẽ Phædri relabitur sanguinem: ita vt Phædri sanguis, quod mirum est, iam in corde sit Lysiæ. Hinc ad clamorem confestim prorumpit vterque: Lysias ad Phædrum: Cor meum Phædre, charissima viscera. Phædrus ad Lysiam: O spiritus meus, o meus sanguis Lysia. Sequitur Phædrus Lysiam, quia cor suum poscit humorem. Sectatur Phædrum Lysias, quia sanguineus humor vas proprium postulat, suam exigit sedem. Verùm Lysias Phædrum sectatur ardentius. Facilius enim cor sine minima humoris sui particula quàm humor ipse sine corde proprio viuit. Riuus fonte magis quã fons riuulo indiget. Igitur vt ferrum qualitate magnetis accepta, ad lapidem hunc trahitur quidem, lapidem verò non attrahit: ita Lysias Phædrum magis quàm Phædrus Lysiam sequitur.

QVAM FACILE AMORE IRRETIAMVR.

CAPVT V.

AN poteſt, dixerit quiſpiam, tenuis radius, leuiſſimus ſpiritus paruulus ſanguis Phædri, tam citò, tam vehementer, tam perniciosè totum Lyſiam inquinare? Hoc vtique mirum non videbitur, ſi cæteros morbos, qui contagione noſcuntur, conſiderabitis ſi pruritum, ſi ſcabiem, ſi lepram, pleureſim, pthiſim, dyſenteriam, lippitudinem, epidimiam. Amatoria verò contagio facilè fit, & grauiſſima omnium peſtis euadit. Quippe ſpiritualis vapor ille ſanguiſque ab adoleſcente ſenior: prorſus iniectus, quatuor habet, vt ſuprà diximus, qualitates. Clarus eſt, ſubtilis, calid. atque dulcis. Quia clarus, oculorum & ſpirituum claritati in ſeniore maximè conſonat, blanditur & allicit: quo fit vt auidè ab illo hauriatur. Quia ſubtilis, celerrimè conuolat in præcordia: inde facillimè per venas & arterias in corpus permanat vniuerſum. Quia calidus, vehementer agit & mouet, & fortius ſenioris ſanguinem inficit, eúmque in ſuam conuertit naturam, quod Lucretius ita tetigit:

Hinc in te primum Veneris dulcedinis in cor
Stillauit gutta: & ſucceſſit frigida cura.

Præterea, quia dulcis, fouet viſcera quodammodo, paſcit atque oblectat. hinc fit vt totus viri ſanguis in iuuenilis ſanguinis naturam mutatus, iuuenis illius appetat corpus, quò ſuas venas inhabitet, & recentu ſanguinis humor, venas quoque recentes & teneras illabatur. Fit etiam vt voluptate ſimul & dolore æger hic tangatur. Voluptate propter vaporis illius, & ſanguinis claritatem atque dulcedinem. Illa fidem allicit, hæc oblectat. Dolore propter eius ſubtilitatẽ atq; calorẽ. Illa quippe viſcera diuidit & diſcerpit: hic homini quod ſuum eſt aufert, & in alterius

mutat

mutat naturam, per quam sanè mutationem eum in se quiescere non permittit: sed ad eum semper, à quo inflictus est, trahit. Hoc ita Lucretius innuit:

Idq; petit corpus mens vnde est saucia amore.
Namque omnes plerunque cadunt in vulnus: & illam
Emicat in partem sanguis vnde icimur ictu.
Et si comminus est, hostem ruber occupat humor.

In his carminibus. Lucretius non aliter vult sanguinem hominis oculorum radio vulnerati in vulnerantem prolabi, quàm hominis gladio cæsi sanguis prolabitur in cadentem. Huius, vt ita dicam, miraculi, si rationem requiritis, afferam. Vulnerat Hector Patroclum, ac perimit. Patroclus Hectorem inspicit vulnerantem. Vnde eius cogitatio iudicat vlciscendum: confestim ad vindictam bilis accenditur, ab ea sanguis inflammatur, & ad vulnus euestigiò properat, tum vt partem illam corpori foueat, tum etiam ad vindictam, eodem concurrunt & spiritus ij, quia leues sunt, ad Hectorem vsque volantes in eum migrant, eius calore seruantur ad tempus, puta ad horas septem: eo ipso in tempore si Hector cadaueris vulnus cominus intentus inspiciat, vulnus cruorem versus Hectorem eiicit: potest enim cruor versus hostem quodammodo effluere, tum quia nondum calor omnis extinctus est, nondum agitatio quieuit interior, tum quia paulò antè in eum concitus fuerat, tum denique quia sanguis spiritus repetit suos, atque etiam spiritus suum attrahant sanguinem. Simili quodam pacto hominis amore saucij sanguinem festinare in ferientem & Lucretius innuit, & nos summopere comprobamus.

DE MIRO QVODAM EFFECTV VVLGARIS AMORIS.

CAPVT VI.

Dicámne viri castissimi, quod sequitur, an potius prætermittam? Dicam certè postquam res ipsa postulat, etsi dictu videtur absurdum. At quis turpia non turpiter dixerit? Tanta permutatis seniorū hominū virgens ad iuniorū similitudinem facit, vt hic totum suum corpus in illum transferre & totum illius se transfundere studeat, vt vel recens humor vasa recentia, vel vasa teneriora teneriorem consequantur humorem. Hinc multa inter se turpissimè facere compelluntur. Cum enim genitale semen à toto corpore defluat, solo huius iactu, vel tractu totum corpus tradere se posse confidunt, & totum accipere. Id in semetipso philosophus Epicureus ille præsensit Lucretius amantium omnium infelicissimus:

Sic igitur Veneris qui telis accipit ictum,
Siue puer membris muliebribus hunc iaculatur,
Seu mulier toto iactans de corpore amorem,
Vnde feritur, eò tendit gestitque coire:
Et iacere humorem in corpus de corpore ductum.
Assiguntque auidè corpus, iungúntque saliuas
Oris, & inspirant pressantes dentibus ora
Ne quicquam: quorū nil inde abradere possunt.
Nec penetrare & abire in corpus corpore toto.
Nam fieri interdum velle & certare videntur.
Vsque adeò cupidè Veneris compagibus hærent,
Membra voluptatis dum vi labefacta liquescūt.

Hæc Lucretius Epicureus. Quòd etiam totum in se capere amatum amantes cupiant. Artemisia Mausoli regis Cariæ vxor ostendit: quæ supra affectionū humanæ fidem virum suum amauisse dicitur: eiúsque defuncti corpus redegisse in puluerem, & aquæ inditum ebibisse.

VVL-

VVLGARIS AMOR EST SANGVINIS PERTVRBATIO.

CAPVT VII.

ESse verò hanc in sanguine passionem illud argumento est, quòd æstus huiusmodi alterna requie caret. Continua verò febru à physicis in sanguine ponitur: quæ autem horas sex quieti relinquit, in pituita: quæ diem vnum, in bili: quæ duos, in atræ bilis humore. In sanguine igitur illam meritò collocamus. In sanguine videlicet melancholico: vt in oratione Socratis audiuistis, hunc sanguinem contagionis semper affixio comitatur.

QVOMODO AMANTES FIVNT AMATI SIMILES.

CAPVT VIII.

IDeo nemo vestrûm miretur si quem amantem audiuerit amati sui similitudinem aliquam vel figuram suo in corpore contraxisse. Prægnantes sæpe mulieres vinum quod auidissimè cupiunt, vehementer excogitant: vehemens cogitatio spiritus mouet interiores atque in his excogitatæ rei pingit imaginem. Isti sanguinem mouent similiter & in mollissima fœtus materia, vini imaginẽ exprimunt. Amator autẽ ardentius quàm prægnãtes, suas cupit delicias: vehementius quoque & firmius cogitat. Quid mirũ si vsque adeò hærentes & infixæ pectore vultus ab ipsa cogitatione purgantur in spiritu: à spiritu stativi in sanguine infigãtur: præsertim cùm in Lysiæ venis iã mollissimus sanguis Phædri sit genitus, vt facillimè posset Phædri vultus in suiipsius sanguine relucere? Quoniam verò membra corporis singula, vt quotidie

arescunt, ita sumpto alimoniæ rore quotidie reuiuiscunt. sequitur vt in dies corpus cuiusq; hominis, quod sensim exaruit, paulatim reficiatur. Reficiuntur autẽ mẽbra à sanguine ex venarũ riuulis emanante. Ergo miraberis si certa similitudine pictus sanguis eandem membrorum impresserit: vt Lysias tandem Phædro in nonnullis vel coloribus vel lineamentis, aut affectibus, aut gestibus euasisse similis videatur.

A QVIBVS PRÆCIPVE IRRETIAMVR.

CAPVT IX.

QVæret forsitan aliquis: à quibus præcipuè & quo pacto illaqueentur, & quomodo soluantur amantes. Fœmineæ profectò viros facilè capiunt: facilius autem illæ, quæ masculam quandam indolẽ præ se ferunt: & tantò facilius masculi, quanto similiores sunt viris quàm fœminæ, & sanguinem spiritúmque habent lucidiorem, calidiorem, subtiliorem: qua in re amatoria consistit illaqueatio. Ex maribus autem illi viros, seu meliores velocissimè fascinant, qui sanguinei sunt potissimum, & quadam ex parte cholerici, oculos amplos habent glaucos atque nitentes: præcipuè verò si casti viuant, neque per coitum claro humorũ succo exhausto serenos vultus fœdauerint. Hæc enim ad ipsas sagittas propriè emittendas quæ cor vulnerant, vt suprà tetigimus, requirũtur. Irretiuntur præterea citò quibus nascentibus Venus fuerit in Leone, vel Luna Venerem vehementer aspexerit, & qui eadem complexione sunt præditi. Phlegmatici in quibus dominatur pituita, nunquam: Melancholici, in quibus atra bilis, vix quidẽ capiuntur: sed capti nunquam postea liberantur. Quando sanguineus deuincit sanguinem: leue iugum est, suaue vinculum, similis namque complexio mutuum creat amorẽ. Hu-

ius

ius præterea humoris suauitas spem & fiduciã præstat amanti. Quando cholericus cholericum intolerabilior seruitus. Vicissitudinem quidem nonnullã benevolentiæ in his facit complexionis similitudo: sed igneus illic bilis humor crebra illos iracundia turbat. Quando sanguineus cholericum, aut contrà, propter suauis simul & acris humoris commixtionem alternatio quædam prouenit iracundiæ & gratiæ, voluptatis atque doloris. Cùm sanguineus melancholicum ligat, nodus perpetuus non miserrimus. Sanguinis quippe dulcedo melancholiæ amaritudinem temperat. Cùm verò cholericus illaqueat melancholicum, pestis omnium perniciosissima. Acutissimus adolescentiu humor senioris viscera passim illabitur. Est mollis flamma medullas. Vritur infelix amator. Cholera ad iracundiam cædésque prouocat. Melancholia ad mœrorem & perpetuam querimoniam. Iu sæpe idem qui Phyllidi, Didoni, Lucretiæ, amoris est exitus. Phlegmaticus autem seu melancholicus adolescens propter sanguinis & spirituum crassitudinem capit neminem.

MODVS ILLAQVEATIONIS.

CAPVT X.

QVo autem pacto fascinentur amantes, satis suprà dixisse videmur, si modò illud addamus, mortales tunc summopere fascinari, quando frequentissimo intuitu aciem visus ad aciem dirigentes, lumina iungunt luminibus, & longum miseri combibunt amorem. Huius profectò morbi, vt Musæo placet, causa omnis & origo est oculus. Ideo si quis nitore polleat oculorum, licet minus in reliquis membris compositus sit, sæpius intuentes ea ratione qua diximus, insanire compellit. Qui contrà dispositus est, ad moderatam quandam benevolẽtiam invitat potius quàm

ardorem. Reliquorum prater oculos membrorum concinnitas non causæ vim ad ægrotationem huiusmodi, sed occasionis impulsam videtur habere. Talis quippe compositio eminus prospicientem, vt propius accedat, hortatur: deinde cernentem comminus in ipsa sui consideratione diutissimè detinet: immorantem verò solus ipse ferit intuitus. Ad moderatum autem amorem illum diuinitatis participem, de quo in hoc conuiuio vt plurimum disputatur: non oculus solus, vt causa: sed partium cunctarum concordia iucunditásque concurrit.

CVRATIO AMORIS.

CAPVT XI.

HActenus quomodo & à quibus irretiamur, tractauimus: restat vt quomodo soluamur, paucis doceamus. Solutio verò duplex est: altera quidē naturæ: altera diligentiæ. Naturalis est, quæ certis tēporis interuallis perficitur. Quæ non ad hunc solum, sed ad omnes attinet morbos. siquidem in cute pruritus eatenus permanent, quatenus tabidi sanguis fex in venis, aut salsedo pituitæ viget in membris. Defecato sanguine & pituita demollita pruritus desinit: & fœdæ cutis macula abolentur. Euacuationis tamē matura diligentia confert plurimum. Repentina euacuatio, vel vnctio periculosissima iudicatur. Inquietudo quoque amantiū tandiu necessariò perseuerat, quandiu infectio illa sanguinis per fascinationem insecta visceribus permanens grauiter premit cura. Vulnus alit venis: cæcis mēbra flāmis adurit: à corde siquidem in venas: à venis in mēbra fit transitus, hac demique expurgata amantiū, imo verò amentiū cessat inquietudo. Id longum in omnibus requirit tēporis spatium: in melancholicis verò longissimum: præsertim

præsertim si Saturni influxu fuerint irretiti. adde & amarissimum, si Saturno retrogrado: vel Marti coniuncto, vel Soli opposito mancipati sint. Ægretant & illi diutissime, in quorum natiuitate Venus in domo Saturni fuerit, vel Saturnũ Lunámque vehemẽter aspexerit. Addẽda est naturali huic purgationi diligentissimè artis industria. Cauendũ in primis ne immatura euellere, vel amputare tentemus: neque summo cum periculo discindamus, quæ tutius dissuere possumus consuetudinis intermissio facienda. Summopere verò cauẽdum ne lumina oculorũ luminibus cõiungantur. Si quid in amati animo vel corpore viti est diligenter animo reuoluendũ. Plurimis variis, grauibus negotiis animus applicandus, sæpe minuendus sanguis est: vino vtendum claro, nonnũquam etiã ebrietate vt veteri sanguine vacuato nouus sanguis accedat, nouus & spiritus. Exercitatione sæpe ad sudorẽ vsque vti præstat: per quã corporis meatus ad expurgationem faciendã aperiantur. Ea insuper omnia quæ Physici ad cordis præsidiũ adhibẽt & cerebri alimentũ prosunt quàm plurimùm. Sæpe etiam coeundum Lucretius præcipit.

Sed fugitare decet simulachra & pabula amoris,
Absterrere sibi atque alio conuertere mentem,
Et iacere humorem coniectũ in corpora quæque,
Nec retinere semen conuersum vnius amore.

QVAM NOXIVS VVLGARIS AMOR.

CAP. XII.

SEd ne diuti⁹ de insania loquẽtes insaniamus, sic breuibus cõcludamus. Insaniæ species quædam est anxia illa sollicitudo, qua vulgares amantes diu noctéq; vexãtur, qui amore durãte bilis incendio, primum,

deinde atræ bilis adustione afflicti, in furias, ignémque ruunt: & quasi cæci quò præcipitentur, ignorãt. Quàm perniciosus adulterinus hic amor tã amatis quàm amãtibus sit, Lysias Thebanus & Socrates apud Platonẽ in Phædro demonstrant. Hoc itaque furore homo in bestiæ naturam deuoluitur.

QVAM VTILIS DIVINVS AMOR, ET DE QVATVOR eius speciebus.

CAP. XIII.

DIuino autem furore super hominis naturã erigitur, & in Deum transit. Est autẽ furor diuinus illustratio rationalis animæ: per quã Deus animam à superis delapsam ad infera, ab inferis ad superna retrahit. Lapsus animæ ab ipso vno rerũ omniũ principio ad corpora, per quatuor gradus efficitur, per mentem, rationem, opinionem atque naturam. Nam cum in omni ordine sex gradus existant, quorũ summũ tenet ipsum vnũ, infimũ corpus, media verò sunt quatuor quæ prædiximus: necesse est quicquid à primo ad vltimũ labitur, quatuor per media cadere, ipsum vnũ rerũ omniũ terminus, & mensura confusionis & multitudinis expers. Mens angelica multitudo quidẽ idearũ, sed stabilis & æterna. Ratio anima multitudo notionum argumentationumq; mobilis, sed ordinata. Opinio autẽ inordinata, & mobilis imaginũ multitudo: sed substantia punctisq; vnita: cùm anima ipse in qua est opinio, vna substãtia sit nullis occupãs locũ. Natura, id est nutriẽdi vis ab anima & animalis cõplexio similiter, nisi quòd per corporis pũcta diffũditur. Corpus autẽ indeterminata partiũ & accidentiũ multitudo subiecta motui, & substantia pũctis momentisq; diuisa. Hæc omnia respicit anima nostra, per hæc & descendit, per hæc & ascendit.

Vt

Vt enim ab ipso vno quod omnium principiũ est, producitur, vnitatẽ quandã sortita est, quæ omnẽ essentiã eius vires operationẽsque vnit: à qua & ad quã ita cætera, quæ in anima sunt, se habent, sicut à centro & ad centrũ circuli lineæ. Vnit verò nõ modò animæ partes inuicem & ad totã animam: sed animã totam ad ipsum vnum rerũ omnium causam, vt autem diuinæ mẽtis radio claret, rerum omnium ideas per mentẽ actu habili contẽplatur. Vt seipsam respicit, rationes rerũ vniuersales cogitat: & à principiis ad conclusiones ratiocinatione discurrit. Vt corpora respicit, particulares rerũ mobiliũ formas atque imagines per sensus acceptas opinione volutat. Vt materiam attingit, natura velut instrumẽto vtitur, quo vnit materiam, mouet, & format. Vnde generationes, augmenta & eorũ cõtraria proficiscuntur. Cernitis igitur ab vno quòd super æternitatem in æternã multitudinem labitur: ab æternitate in tempus, à tempore in locum atque materiam, labitur inquam, quãdo ab ea puritate qua nata est, longius corpus amplectendo discedit.

QVIBVS GRADIBVS DIVINI FVRORES ANIMAM extollunt.

CAP. XIIII.

QVapropter sicut per quatuor descẽdit gradus, per quatuor ascendat necesse est. Furor autẽ diuinus est, qui ad superа tollit, vt in eius definitione cõstitit. Quatuor ergo diuini furoris sunt species. Primus qui dẽ poeticus furor. Alter mysterialis. Tertius vaticiniũ. Amatorius affectus est quartus. Est autem poesis à musis, Mysterium à Dionysio, Vaticinium ab Apolline, Amor à Venere. Redire quippe ad vnum animus nequit, nisi ipse vnum efficiatur. Multa verò

effectus est: quia est lapsus in corpus in operationes varias distributus, & ad corporalium rerum multitudinẽ respicit infinitã. Ex quo partes eius superiores penè obdormiũt, inferiores alium dominãtur. Illa torpore, hæc perturbatione afficiuntur. Totus autem animus discordia & incõcinnitate repletur. Poetico ergo furore primũ opus est, qui per musicos tonos quæ torpent suscitet: per harmonicã suauitatẽ, quæ turbãtur mulceat: per diuersorũ denique cõsonantiã, dissonãtẽ pellat discordian: & varias partes animi temperet. Neque satis hoc est. Multitudo enim adhuc & diuersitas restat in animo. Accedit ergo mysteriũ ad Dionysiũ pertinens: quòd in expiationibus sacrificijs, & omni cultu diuino partiũ omniũ intentionẽ in mentẽ, qua Deus colitur, dirigit. Vnde cùm singulæ animi partes ad vnam mentẽ reductæ sint, tã totũ quoddã vnũ ex pluribus factus est animus. Tertiò verò ad hoc opus est furore, qui mentẽ ad vnitatem ipsam animæ caput reducat. hoc Apollo per vaticinũ efficit. Nã cùm anima suprà mentẽ in vnitatem surgit, futura præsagit. Demũ cũ anima facta est vnũ, vnũ inquã quod in ipsa natura & essẽtia animæ est, restat vt illico in vnũ quod est super essentiã, id est Deũ se reuocet. Hoc cæleſtis illa Venus per amorẽ, id est, diuinæ pulchritudinis desideriũ bonique ardorẽ explet. Primus itaque furor incõcinna & dissonantia temperat. Secũdus tẽperata vnum totum ex partibus efficit. Tertius vnum totum supra partes. Quartus in vnum quod super essentiam, & super totum est ducit. Plato in Phædro mentem diuinã deditã, animã hominis aurigam vocat: Vnitatẽ animæ, aurigæ caput, Rationẽ opinionẽq; per naturalia discurrentẽ, equũ bonũ: Phantasiam cõfusam, appetitumq; sensuum, malũ equum: Animæ totius naturam, currum: quia motus suus tanquam orbicularis à se incipiens in se denique redit, dum suipsius naturam

ani-

animaduertit. Vbi consideratio eius ab anima profecta in eandē reuertitur. Alas animo tribuit per quas in sublime feratur: quarū alterā putamus indagationē illā esse, qua mēs assiduè ad veritatē annititur: Alteram boni desiderium, quo nostra voluntas semper afficitur. Hæ partes animæ suū amittunt ordinem, quādo perturbāte corpore cōfundūtur. Primus itaque furor bonum equum, id est, rationem opinionémque à malo equo, id est à phantasia confusa & sensuum appetitu distinguit. Secundus malum equum boxo, bonum aurigæ, id est menti subiicit. Tertius aurigam in caput suum, id est, in vnitatē mentis apicē dirigit. Postremus caput aurigæ in caput rerum omniū vertit. Vbi auriga beatus est, & ad præsepe, id est, ad diuinam pulchritudinem sistens equos, id est, accommodans omnes sibi subiectas animæ partes, obiicit illis ambrosiā & super ipsam nectar potandū, id est, visionem pulchritudinis, & ex visione lætitiā. Hæc quatuor furorū opera sunt. De quibus generatim in Phædro disputat, propriè verò de poetico furore in Ione, de amatorio in Conuiuio. Omnibus his furoribus occupatum fuisse Orpheum libri eius testimonio esse possunt. Amatorio maximè Sappho, Anacreontem & Socratem fuisse correptos accepimus.

OMNIBVS HIS FVRORIBVS AMOR PRAESTANtior est.

CAP. XV.

OMnium potentissimus & præstantissimus est amatorius. Potētissimus inquā, propterea quòd omnes alij ipso necessariò indigent, neq; enim poesin, neq; mysteria, neq; vaticinium sine ingenti studio, flagranti pietate, & sedulo diuinitatis cultu consequimur. Studium verò, pietatem, cultum quid aliud

dicimus quàm amorem? Igitur omnes amoris potentia cõstat. Est etiã præstantissimus, quoniam ad hunc tanquã ad finẽ alij referũtur. Hic autem proximè Deo, qui nos copulat. Hos vtique furores quatuor, totidem adulterini affectus falsò imitari videntur, Poeticum quidem musica ista vulgariu, quæ auribus duntaxat blanditur. Mysterialem, vana multorũ hominũ superstitio. Fatidicũ fallax peritiæ humanæ cõiectio. Amatoriũ, libidinis impetus. Verus enim amor nihil est aliud quàm nixus quidam ad diuinam pulchritudinem euolandi ab aspectu corporalis pulchritudinis excitatus. Adulterinus autem, ab aspectu in tactum præcipitatio.

QVAM VTILIS AMOR SOCRATICVS.

CAP. XVI.

QVæritis quid amor Socraticus cõferat? Primò quidẽ ipsi Socrati plurimũ ad alas illas recuperandas, quibus in patriam reuolet. Deinde ciuitati suæ magnopere ad honestè felicitérque viuendum. Ciuitatem profectò non lapides sed homines faciunt. Homines verò à tenera ætate quemadmodum arbores à tenerioribus curandi sunt, & ad frugem optimã dirigendi. Puerorum curam parentes habent & pædagogi: Adolescẽtes autẽ limites parentũ & pædagogorum non prius transgrediũtur, quàm iniqua vulgi consuetudine deprauentur. Superiorem quippe viuendi normam domi imbibitam sequerentur, nisi ab ea improborum hominum, eorum præsertim qui illiu blandiuntur, vsu, consuetudinéq; deflecterentur. Quid ergo Socrates faciet? Nũ permittet vt flagitiosorum contagione adolescentia, quæ futuræ reipublicæ semen est, corrumpatur? At vbi patriæ charitas

ritas? Succurret itaque patriæ Socrates, filiósq; illius, suos autem fratres hac pernicie liberabit. Leges fortasse cõscribet, quibus lasciuos viros ab adolescẽtũ consuetudine segregabit. Sed nõ omnes Lycurgi, aut Solones esse posumus. Paucis legum condẽdarũ datur authoritas, paucissimi legibus latis obtẽperant. Quid ergo: vim inferet & manu iecta seniores à iuuentute depellet? At solus Hercules cũ monstris dicitur certasse cæteris periculosissima est huiusmodi violentia. Forsitã scelestos homines mouebit, corripiet, obiurgabit. Cæterùm perturbatus animus monẽtis verba cõtẽnit, & quod deterius est, saust in monitorẽ. Qua de causa ab alio pugno, ab alio calce dum id tentaret, percussus est Socrates. Vnica restat iuuẽtuti via salutis Socratis cõsuetudo. Huic ergo Græcorũ ille sapientissimus charitate deuinctus sese miscet vbique & magna incedit adolescentũ comitãte caterua. Ita verus amator, vtpote pastor, agnarũ gregẽ à falsorũ amantium, ceu luporum voragine, ac pestẽ tutatur. Quoniã verò pares cum paribus facillimè congregãtur, parẽ se facit iunioribus puritate vitæ, verborum simplicitate ludis, iocis, atq; facetiis. Seq; ex sene puerũ facit, in primis vt pueros quandoq; reddat domestica & iucũda familiaritate seniles. Ad voluptatẽ prona iuuẽtus sola voluptate tenetur, rigidos effugit præceptores, hinc nostra adolescẽtiæ tutor ad patriæ suæ salutem rerũ suarum administratione neglecta iuniorũ susc ipit curã, eósq; primũ iucunda consuetudinis captat suauitate. Ita illaqueatos monet deinde seueri. Postremò cẽsura rigidiori castigat. Hoc pacto Phædonem adolescentulum lupanari publico prostitutũ ab ea calamitate redemit fecitq; philosophũ. Platonem poesi deditum coegit tragœdias igni tradere, & studia pretiosiora capessere. Xenophontẽ à vulgari luxu ad sapientũ traduxit sobrietatẽ. Æschinẽ & Aristippum ex pauperibus diuites, Phædrum

ex oratore philosophum, Alcibiadem ex ignorantissimum reddidit. Charmidem grauem fecit & verecundum. Theagem iustum, fortémque in republica ciuem. Euthydemum ac Menonem à Sophistarum captiunculis ad veram transtulit sapientiam. Quo factum est, vt non tam iucunda quàm vtilis fuerit Socratis consuetudo: ac multò ardentius ab adolescentibus vt Alcibiades ait, dilectus fuerit Socrates quàm dilexerit.

QVOMODO AGENDÆ SVNT GRATIAE SPIRITVI SANCTO, QVI nos ad hanc disputationem illuminauit atque accendit.

CAP. XVII.

IAm igitur Conuiua optimi quid amor sit, quis verus amator, quæue amantis vtilitas ex vestra primùm, ex mea deinde disputatione feliciter comperisse videmur. Huius autem inuentionis felicissima causam & magistrum eundem ipsum amorem, qui & cõpertus est, fuisse proculdubio existimate. Amore nãque, vt ita dixerim inueniendi amoris accensi: amorẽ quæsiuimus & inuenimus, vt eidem inquisitionis & inuentionis pariter habeoda sit gratia. O miram numinis huius magnificentiam! O incomparabilem amoris benignitatem! Cætera siquidem numina vix tandem post quam diu quæsierunse parumper ostendunt, Amor etiam quærentibus occurrit. Quapropter huic multò magis quàm cæteris homines se debere fatentur. Sunt autem qui diuinam potentiam sæpe audeant execrari, scelerũ nostrorum fulminatricẽ. Nõnulli etiã sapientiam oderunt, nostrorũ omniũ exploratricem flagitiorum. Amorem verò diuinorum bonorum omniũ largitorẽ non amare nõ possumus. Nos aũt amorẽ hũc adeò nobis ꝓpitiũ eam mẽte colem⁹, vt

ve-

Veneremur: Sapientiam & potentiam admiremur, vt amore duce totum, vt ita loquar, deum habeamus propitium, ac totum amoris flagrantia diligentes, toto etiam deo amore perpetuò perfruamur.

PLATONIS
CONVIVIVM, VEL de amore.

APOLLODORVS, FAMILIARES APOLLODORI, GLAVCO, ARISTODEMVS, SOCRATES, AGATHO, PHAEDRVS, PAVSANIAS, ERYXIMACHVS, ARISTOPHANES, DIOTIMA, ALCIBIADES.

VIDEOR mihi in his quæ peritis, satis præmeditatus esse. Heri enim cum domo ex Phalero in vrbem redirem, quidam mihi notus à tergo me aspiciens, eminus vocauit, & inter vocandum iocatus: O Phalereus, inquit, Apollodore, non expectas? Ego autem constiti, atque expectaui. Tum ille: Quærebam te modò audire cupiens qui de amore sermones habiti sunt in ea cœna, ad quam Agatho, Socrates, Alcibiades, nonnullique alij conuenerunt. Retulit enim mihi & alius quidam, qui à Phœnice Philippi filio audiuerat, addiditq; te scire. Verùm nihil certi ea de re afferre poterat. Quare tu mihi referas. Tua enim interest sermones amici tui narrare. Id autem primùm dicas. Ipse affuisti ne

disputarent,an non?Reuera,inquam,nihil certi retulisse tibi ille videtur, si quidem conuenisse illos adeò nuper existimas,vt ego potuerim interesse. Existimabam equidem,inquit ille. Vndénam istud?inquam ego. Nescis,ô Glauco,multis iam annis hùc Agathonem nõ accessisse? Ex eo verò tempore quo cum Socrate versari cœpi,eiúsque tum dicta tum facta diligentius quotidie obseruare, nondum tres anni fluxere. Antea verò quacunque fors ferebat,oberrans, existimánsque aliquid agere, omnium miserrimus eram perinde ac tu núc, qui quodlibet aliud agendum censes potius quàm philosophandum. Ne mordeas,inquit ille, sed quo tempore conuiuium celebratum sit, enarra. Ad hæc inquam. Dum pueri adhuc essemus, in primo tragœdiæ certamine victoriam reportauit Agatho. Sequenti autem die post palmam, sacráque victoriæ gratia celebrata,parato conuiuio disputatio instituta fuit. Longum, inquit, certè id tempus est. Sed quis tibi narrauit? Nunquid ipse Socrates? Non per Iouem inquam, imò idem qui & Phœnici, Aristodemus quidam Cydathenæus, qui exiguo corpore erat, & nudis semper pedibus ibat. Interfuit enim disputationi: quippe qui maximè omnium qui tunc erant,Socratem, vt mihi videtur,amaret. Quinetiam Socratem ipsum de nonnullis quæ ille retulerat, percontatus sum, qui in his eum illo consentiebat. Cur ergo,inquit,mihi non refers? Apta quidem via est quæ ducit in vrbem, & ad audiendum pariter, & ad dicendum. Sic itaque inter eundum de illis verba fecimus. Quapropter quemadmodum à principio dixi, in his rebus satis præmeditatus sum.

sum. Quòd si iterum vobis recenseri hæc vultis, iterum recensebo. Nam quoties vel ipse de philosophia sermonem habeo, vel dicentes alios audio, præter id quòd prodesse mihi id putem, mirificè lætor. Quoties autem sermones alios audio, vestros præsertim, qui cumulandis pecuniis studetis semper, & ipse angor, & vestri misereor, quòd efficere aliquid existimetis, cùm nihil efficiatis. Fortè etiam vos me infelicem putatis, quos & ipse de me vera putare arbitror. Ego autem vos non puto quidem, sed certò scio. FAM. Semper tui similis es, ô Apollodore: perpetuò enim tibi ipsi & aliis detrahis, ac videris proculdubio te quidem in primis, deinde alios omnes, præter vnum Socratem, infelices putare. Vnde verò insani cognomen tibi exortum sit, nescio. Semper enim loquendo te & alios acerbè ac duriter tractas, Socratem vnum probas. APOL. O dilectissime vir, ex eo insanire & delirare me constat, quòd ita de me déque vobis existimem. FAM. De his in præsentia contendere Apollodore nequaquã decet: sed precibus nostris obsequere, & qui sermones illi fuerint, nobis expone. APOL. Tales vtique illi fuerunt. Imò verò à principio eodem ordine quo Aristodemus retulit, vobis ipse nunc recensere conabor. Inquit enim[a] Socratem se offendisse & lotum & calceis pedes ornatum, quæ ille tarò faciebat: interrogasse verò quónam ita ornatus iret, & respondisse Socratem Agathonis in domum cœnatum, hesternam verò cœnam vitasse, quod turbæ propter Agathonis palmam concursum veritus esset, promisisse autem sequenti die se affuturum. Ea verò de causa

[a] *Socrates ratò lotus & calceatis pedibus incedebat.*

se ornasse, vt pulcher ad pulchrum iret. Quæsisse insuper, quónam pacto [te habes Aristodeme eò vt velis ad cœnam proficiscinon vocatus?] Vt tu iusseris, dicebam, inquit. Sequere igitur, inquit me, vt prouerbium profligemus, illud in hunc modum mutantes, quòd ad bonorum cœnas boni etiam non inuitati proficiscuntur. Homerus quidem videtur non modò non obseruare, sed & violare prouerbium. Nam cum Agamemnonem in re militari strenuum virum finxisset, Menelaum verò mollem, conuiuium celebrante post sacrificium Agamemnone, Menelaum inducit vltrò ad mẽsam Agamemnonis venientem. Vbi deteriorem ad præstantioris viri mensam non accersitum venire fecit. Hæc audiens, fortè & ipse, ô Socrates, dicebam, inquit ille, non talis qualem tu inquis, sed quemadmodum induxit Homerus, vilis homunculus ad sapientis viri conuiuium vltrò venire videbor. Cùm ergo me ducas, vide quam aduentus mei rationem assignes. Ego enim me inuocatum venire non confitebor, sed abs te inuitatum dicam. In ipso itinere, inquit, quid dicturi simus, duo cũ simus, fortasse coniultabimus. sed eamus iam. Talia quædam inter se cùm disputassent, iuisse dicebat: & Socratem cogitabundum lento nimis passu gradientem relictúmque cum expectasset, eum iussisse, vt præiret. Cum verò ædibus Agathonis appropinquaret, apertam ianuam inuenisse & contigisse ridiculum quiddam: in ipso enim limine famulum quendam occurrisse, & eò vbi accumbebant alij, introduxisse quos iam cœnaturos reperit. Séque vt vidit Agatho, O Aristodeme, dixisse, opportunè venisti vt nobiscum cœnes. Si ve-

* Prou.

Iliad. 6.

sò

rò aliud quicquam vis, in aliud tempus differas. Equidem heri te quærens inuitaturus nusquam vidi. Sed cur Socratem ad nos non ducis? Et ego, inquit, conuersus nusquam Socratem vidi, respondíque Agathoni: Equidem cum illo veni ab eo vocatus huc ad cœnam. Rectè, inquit, feciſti, sed vbinam Socrates? Post me modò incedebat. Quare ipſe quoque admiror, & vbi ſit neſcio. Non quæres Socratem puer (dixiſſe Agathonem,) & ad nos introduces? Tu autem Ariſtodeme iuxta Eryximachum accumbe. Heus tu dato huic manibus aquam, vt iam ſedeat. Tunc ingreſſum alium puerum quendam nuntiaſſe dicebat Ariſtodemus, Socratem ipſum in veſtibulum proximum ſeceſſiſſe, & accerſitum ingredi nolle. Abſurdum quiddam narras, inquit. Voca iterum, neque dimittas quouſque venerit. Non ſic, ô Agatho, reſpondiſſe dicebat Ariſtodemus, ſed mittite illum, mos enim Socratis iſte. Nonnunquam ſecedens, vbicunque accidit conſiſtere ſolet. Veniet autem citò, vt arbitror. Ne turbetis ipſum, ſed ſuo arbitratu venire permittite. Ita ſi tibi videtur, dixiſſe Agathonem, agendum eſt. Cæterùm vos, ô pueri, nobis aliis epulas afferte, & quodcunque lubet apponite [quandoquidem nemo vobis præeſt,] id quidem nunquam feci. Quapropter exiſtimantes nunc me vnà cum aliis conuiuio à vobis exceptum, curate omnia diligenter, vt veſtram operam comprobemus. Post hæc addebat Ariſtodemus cœnare eos cœpiſſe, & Socratem Agathonis iuſſu ſæpe vocatum non prius intraſſe quàm aliquãtum ſe more ſuo exercuiſſet, mediáq; in cœna veniſſe. Ad quem, Agathone qui

vltimus sedebat & solus. Huc ô Socrates, dixisse, propter me accumbito, vt te tangens sapienti illa sententia fruar quam in vestibulis excogitasti. Constat enim inuenisse illam te atque habere. Neque enim prius destitisses. Sedisse itaque Socratem, dixisseque: Bene se res nostræ haberent Agatho, si sapientia talis esset, vt in vacuum hominem ex pleniore ipso contactu profluueret, quemadmodum aqua ex pleno calice in vacuum [per lanam influit.] Si enim sapientia ita se habet, permulti facio quòd apud te sedeo. Me quippe abs te vberrima & præclara sapientia repletum iri puto. [a]Mea siquidem tenuis est & ambigua, somnij cuiusdam instar: tua verò luculenta admodum atque præpollens, vtpote quæ in adolescentia tua in conspectu plus quàm triginta millium Græcorum, tam claré emicuit & effulsit. Contumelioſus, inquit Agatho, es ô Socrates. Atqui hæc postea de sapientia ego ac tu diiudicabimus Dionysio iudice, nunc autem cœna. Post hæc, inquit Aristodemus, cum Socrates sese reclinasset, cœnassétque, aliíque etiam cœnati essent, libare inuicem & degustare vina sacrificantium ritu, deúmque cantare cœpisse, & alia quædam vt mos est, faciétes ad potum se conuertisse. Vnde Pausaniam ita loqui cœpisse: Videndum est, ô viri, quo pacto quàm iucundissimè bibamus. Nam vt de me in primis verum fatear, grauatum adhuc hesterno mero me sentio, & intermissione quadam indigeo. Opinor quoque & plurimos vestrum similiter affectos esse, heri enim adfuistis. Considerate itaque quomodo facilius bibamus. Ei mox Aristophanem respondisse, Scitè loqueris Pausania, potui moderationem quan-

[a] *Ironia Socratica.*

quandam adhibendam esse. Etenim ego quoque ex his sum qui heri *vino maduerunt. Cũ hæc audisset Eryximachus Acumeni filius, Probè dicitis, inquit. Atque hoc insuper à vobis audire desidero, quantum bibendo valeat Agatho. Minimè quidem, Agathonem dixisse. Ex voto sanè nobis contigerit, mihi inquam & Aristodemo & Phædro, atque his aliis, si vos qui ad bibendum valetis plurimum, nunc bibendo defessi [poculorum certamen detrectetis.] Nos enim semper imbecilles, excepto Socrate, qui ad vtrunque idoneus est. Quocirca quodcunque agamus, perinde erit. Hîc Eryximachum dixisse, Postquam præsentium nullus [largius potare velle mihi videtur] fortè si vera de ebrietate dixero, minus ero molestus. Id siquidem ex medicinæ peritia apud me constat, graue quiddam esse hominibus ebrietatem, & neque sponte supra modum bibere vnquam vellem, nec alteri consulerem, præsertim si quis ex crapula hesterna laboret. Huic Phędrum Myrrhinusium dixisse Aristodemus inquit: Equidem semper tibi fidem habui, in medicina præsertim. Nunc similiter, modò cæteri quoque consentiant. Hæc cum audissent omnes, concessisse inquit, non ad ebrietatem in præsenti conuiuio, sed ad voluptatem esse bibendum. Tum Eryximachus: Postquam visum est in cuiusque arbitrio fore quantum bibat, neminem verò suprà quàm velit, cogendum, quod restat exponam. Tibicinam quæ modò ingressa est, abigendam puto, sibiipsi tibia personantẽ, vel si velit, mulieribus quæ sunt intus. Nos autem confabulari inuicem debere hodie iudico. Qui verò esse sermones nostri debeant, si vultis aperiam. At

* βεβαπτισ-
μένοι.

hæc omnes sibi placere dixerunt, & explicare iusserunt. Eryximachus deinde, Mei, inquit, sermonis exordium ex Euripidis Melanipe erit. Neque enim mea fabula est quam incœpturus sum, sed Phædri: Phædrus hic mecum sæpe conqueritur, absurdum quiddam asserēs, quòd cum in cæteros deos cantilenas & hymnos poetæ finxerint, in amorem tamen tantum talémque deum nullus vnquā ex tot poetis laudem aliquam scripserit. Atqui si vis, inquit, ô Eryximache quærere, inuenies profectò Sophistas disertos soluta oratione Hercu. lē alióque laudasse, quemadmodum peritissimus Prodicus, quanquam hoc minus alicui mirum videri debet. Sed & ego legi quandoque sapientis viri librum, in quo Sal ad victus vtilitatem miris laudibus extollebat: aliáque huius generis multa reperire licet, laudibus celebrata. In his itaque studiosē versari, Amorē verò nullum adhuc hominum ausum esse ad hunc vsque diem pro dignitate laudare, sed vsque adeò contemni, cùm tamen tantus Deus sit, nónne indignum est? Mihi quidem oratio hæc Phædri vera videtur. Quare & huic munus id conferre gratificaríque cupio, & deum hunc honorari à nobis decens esse censeo. Quod si & vobis videtur, congrua disputatio inter nos orietur. Laudandum quippe amorem ab vnoquoque nostrûm ordine ad dextram, quàm præclarissimè poterimus, arbitror. Incipiat autem Phædrus, cū & primus sedeat, & huius sit sermonis inuentor. Tum Socrates, Nullus tibi, ô Eryximache, inquit repugnaret. Ego enim qui istuc renuerem, cū nihil præter amatoria scire profitear? Nec etiam Agatho & Pausanias aduersabuntur, & Aristophanes mul-

multò minus, cuius omne ſtudium circa Dionyſium Venerémque verſatur, nec alius vllus eorum quos nunc intueor. Quanquam non æqua ſors nobis obtigit, qui extremi diſcumbimus. Sed ſi priores ſcitè abundéque dixerint, ſat nobis erit. Verùm Phædrus felicibus auſpiciis iam exordiatur, Amorémque honoret. His omnes quæ Socrat. dixerat, aſſenſere, ſimilitérque iuſſerunt. Singula verò ſingulorum dicta, nec Ariſtodemus memoria tenebat, nec ego quæ ille recenſuit, ſingula teneo. Eorum igitur orationem vobis nunc referam, qui memoratu digna dixerunt. Principiò equidem, quemadmodum dico, Phædrum dixit hunc in modum exorſum fuiſſe.

PHAEDRI COL-

LAVDATIO IN amorem.

MAGNVS Deus eſt amor, & apud deos hominéſque mirandus, cũ propterea alia multa, tum maximè propter eius originem. Cum enim ex antiquiſſimorum deorum numero ſit honore dignus apparet. Id autem ex eo arguimus, quòd parentes Amoris neque ſunt, neque ab vllo vel poeta, vel alio quouis traduntur. Sed Heſiodus principio Chaos extitiſſe his verbis aſſerit, Terra ampla ſtabiliſque ſemper omnium ſedes, atque Amor: pòſt Chaos videlicet aſſerens duo hæc extitiſſe, Terram atque Amorem. Parmenides autem de generatione illius inquit, Ante deos

Amor deorũ antiquiſſimus.

omnes primum genera uit amorem. Acusileus quoque cum Hesiodo sentire videtur. Atque ita passim Amorem inter antiquissimos esse conceditur. Cum verò talis sit, maximorum bonorum nobis est causa. Nã quid melius accidere possit adolescenti, quã optimus amator: aut amatori, quàm amasius optimus, non inuenio. Quod enim à pueritia per omnem vitam ducere illum debet qui sit præclarè victurus, id neq; genus, neque diuitiæ, neque honores præstare citius ac melius, quàm amor possunt. Hoc verò est quod intelligo, nempe in rebus turpibus, pudor in pulchris & honestis gloriæ laudisque studium. Neque absque his duobus, aut ciuitas vnquam, aut priuatus præclarum aliquid & magnificum perficere poterit. Assero equidem amatorem, si turpe aliquid agere, vel pati ab aliquo per ignauiam, nec repugnare & vlciscì deprehendatur, seu à patre, siue ab amicis, siue ab alio quouis homine, haud tam vehementer angi, quàm si forte ab amasio deprehenderetur. Similiter adolescentẽ tunc maximè erubescere cernimus, quum amator eũ turpe qd cõmittentẽ offendit. Si quo pacto fieri ciuitas vel exercitus posset partim ex his qui amant, partim ex his qui amantur, suprà quã dici possit, fortiter agerent administrarẽtq; singula, dũ per verecundiã à turpib. abstinerent, & ad honesta quasi quadã æmulatione contenderent: talésq; homines vel pauci numero, vniuersos, vt ita dixerĩ homines prælio superarẽt. Amator sanè vel deserere ordinẽ, vel arma abiicere corã amato, vehemẽtius quã coram cunctis aliis hominibus erubescceret. Imò obire sæpenumero mallet, quàm dilectum derelinquere, & in periculis non succurrere.

Nec

Nec quisquam adeò ignauus est, quem amor non inflammet, & ad virtutem diuinum reddat, vt viro fortissimo par euadat. Etenim quod Homerus inquit vim furorémque à deo quibusdã heroũ inspiratũ, hoc amor amantib. dedit, à se immissum. Quin etiã pro alio mori amantes soli eligunt, nõ viri tantũ, sed etiã mulieres. Cuius sermonis testimoniũ Græcis Alceste Peliæ filia manifestũ exhibuit, quæ sola elegit pro viro suo perire, cum tamẽ ille & patrem & matrẽ haberet quos illa propter amorẽ, charitate adeò superauit, vt eos extraneos & nomine dũtaxat filio suo coniunctos esse mõstraret. Quod quidem facinus tam præclarum non tãtum ab hominibus, verumetiã à diis est iudicatũ, vt cùm è multis qui multa & egregia gesserãt, dii reuiuiscendi munus paucis admodum & præstantissimis attribuissent, hanc ab Inferis continuò suscitarint, tam egregio facinore delectati. Tanti studium, virtutémque circa amorem dii æstimant. [b] Orpheum verò Oeagri filium voti impotem ex inferis remiserunt. Neque enim fœminã cuius gratia descenderat, restituere, sed illius phantasma monstrarunt, cùm non auderet, vt Alceste, amoris gratia mori, sed vtpote citharœdus mollitie quadam absterreretur, & machinamenta quædam excogitaret, quibus viuens ad inferna descenderet, cuius delicti pœnas eũ pendere decreuerunt, iussérúntque à fœminis lacerari. [c] Achillẽ aũt Thetidis filium honorarunt, & in beatorũ insulas miserunt, quia cũ accepisset à matre, si Hectorem occidisset, statim sibi moriendum fore: sin minus in patriã se rediturum & senẽ deniq; moriturũ, audacter elegit pro Patroclo amatore suo pugnare, eiúsq; mortẽ vlcisci, nec

Iliad. y.

[a] *Orpheus à mulieribus laceratus.*

Iliad. σ.

[b] *Achilles amore sui Patroclo.*

pro illo mori solùm, sed & perempto illo interfici. Quod quidē magnopere probantes dii, insigni eum gloria decorarunt, quia tāti amatorem suum fecisset. Aeschylus autem planè delirat, cum Patroclum ab Achille dicit amatum, qui non Patroclo tantùm, verumetiā cum ēis heroibus forma præstabat, erátque adhuc imberbis, multóq; natu minor, vt inquit Homerus. Reuera virtutē hāc in amore dii plurimi faciunt. Vehementius autem admirantur, delectātúrque, ac maiora beneficia conferunt, quādo amatus amatorē tutatur & diligit, quā quum amator amatum. Diuinior enim est amator amato, cum diuino furore sit raptus. Quamobrem Achillem magis quàm Alcesten honorarunt: illū quippe in beatorum insulas trāsmiserunt. Ex his omnib. amorē assero deorum omnium antiquissimum, atq; honoratissimū, & maximè omnium ad virtutem & beatitudinem consequendā hominibus tā viuentibus quàm defunctis cōducere. Talē fuisse sermonem Phædri narrauit. Post Phædrum verò alios quosdā loeutos fuisse, sed è memoria excidisse. Eos igitur prætermittens, hanc quam modò referam orationem, Pausaniæ retulit.

PAVSANIAE COLLAVDATIO.

VIDETVR mihi Phædre, haud satis rectè sermo ille nobis esse propositus, quo amorem simpliciter laudare iubemur. Nam si

si vnus esset amor, probè dictum fuisset: Cùm verò non vnus sit duntaxat, satius fuerit eum prius qui sit laudandus, exprimere: hoc itaq; emendare conabor. Primò enim quê amorem laudare deceat explicabo, deinde pro dei isti' dignitate extollere nitar. Neminem profectò latet, absque amore Venerem nunquam esse. Quare si vna esset Venus, vnus & amor. Quoniâ verò duæ sunt Veneres, geminum quoque amorem esse necesse est. Geminam autem deam hanc esse quis neget? Nónne vna quædam antiquior est & sine matre Venus, cœlo nata, quam cœlestem Venerem nuncupamus? Altera verò iunior è Ioue & Dione progenita, quam Pandemum id est vulgarem communémque vocamus? Necessarium itaque amorem Veneris illius socium atque adiutorem, cœlestem vocari, huius verò, vulgarem. Laudare quidem deos omnes decet: sed vtriusque amoris opera distinguenda. [a] Actionis cuiuslibet hæc est conditio, vt suapte natura neque honesta sit neque turpis, vt ea quæ nunc nos agimus, bibere, canere, disputare. Nullũ ex his seipso turpe vel honestum. Sed agendi modus actioni certũ tribuit cognomentũ. Quod enim bene rectéque agitur, honestum: quod non rectè, turpe existit. [b] Eadem ratione non quilibet amor & quinis amandi modus, honestus est & laudandus. Imò ille solus, qui honestè amare nos hortatur. Etenim vulgaris cõmunisq; Veneris amor, reuera est & ipse vulgaris, & quodcunq; contingit peragit. Atq; is est quo praui abiectíq; homines amãt. Amant porrò fœminas non minus quã masculos, & corpora magis quã animos. & sine mente homines potius quã prudẽtes. Ad explendũ sanè

[a] *Actio quæuis ipsa in sese nec bona nec mala est, sed propter modum agendi bona vel mala est.*

[b] *Amor quidã honestus, quidã turpis & obscœnus.*

desideriū inhiant: honestè verò nécne expleāt omnino non curant. Quo fit, vt quodcunque fors illis offert, exequātur, & bonum similiter atque malum. Affectus enim huiusmodi à Venere illa multò, quàm altera iuniore, & vtriusque sexus in generatione participe profluit. Amor autē qui cœlestem sequitur Venerem, quæ nō fœminæ sed masculi tantùm sexus est particeps, puerorum tantùm est. Deinde quoniā antiquioris Veneris est comes, & ipse petulantiæ omnis est expers. Quocirca quicunque amore hoc inspirati sunt, genus masculum natura robustius & generosius, & mentis magis particeps diligunt. [a] Et qui amore hoc syncerè perfectéque sunt rapti, ex hoc perspicuè dignoscuntur, quòd pueros non amant, sed adolescentes, cùm mente valere iā cœperint: quod tum accidit, cùm proximi sunt pubi. Parati enim sunt arbitror, qui hinc amare incipiunt, per omnem vitam simul & communiter viuere, neque amatum decipere, neque ab vno ad alterum amandum abire: neque enim pueros adhuc mentis expertes amant, quos deinde irrideant & relinquant. Oportebat autem legibus constitutum esse ne quis pueros amet, ne in re ambigua tantum studium poneretur. Incertū .n. est quò aut corpus aut anima puerorū tā secundum virtutem, quàm secundum vitium postremò euadat. Probi quidem viri legē hāc sibiipsis sponte proponūt. Oportebat quoque eidem legi vulgares illos amatores adhibita necessitate subiicere, quemadmodum illos ipsos pro viribus, amare mulieres liberas prohibemus. Nam hi sunt qui occasionem conuitiis & quorundam sententiæ præbuerunt, qui [b] amatori obsequi turpe dicunt: qui quidem de vul-

[a] *Amor honestus puerum quis sit.*

[b] *Turpe amatorib. more gerere.*

de vulgaribus amatoribus ista loquuntur, quia importunitatem iniustitiámque illorũ agnoscunt & improbant. Nihil autem quod modestè & legitimè fit, vituperare decet. Lex vtiq; de amore in ciuitatibus aliis instituta, intellecta facilis est, quoniam simpliciter traditur. Hic autem & apud Lacedæmonios varia extat. [a] In Elide nanque & apud Bœotios, & vbi dicendi arte homines carent, simpliciter lege statutum est, morẽ amãtibus esse gerendum: nec apud eos quisquam aut iuuenis aut senex turpe id prædicat. Quod quidem ea de causa ab illis arbitror esse factum ne in persuadendis adolescentibus elaborãdum illis esset, vtpote qui ad orãdum inepti sunt. In Ionia verò, & apud alios multos qui barbaris subiecti sunt, omnino turpe hoc lege censetur. Nã inter barbaros quidem propter tyrãnides turpe istud habetur, & sapientiq; pręterea atque gymnasticæ studium. [b] Neque enim tyrannis conducunt ea studia, quæ subditorum mentes, acutas generosásque reddunt, quæve amicitias inter eos indissolubiles, societatésque frequentes pariunt: quæ cùm ab aliis, tum vel maximè ab amore gigni consueuerunt. Hoc autem ex re ipsa tyrãni nostri didicerunt. Nam Aristogitonis amor & Hermodii amicitia confirmata, illorum tyrãnidem dissipauit. Atque vbicunque constitutum est turpe esse amatoribus morem gerere, iniquitate leges cõdentium constitutũ est, principũ quidem auaritia, subditorúmq; ignauia. Vbi verò penitus permissa est, propter eorũ qui sic statuerunt socordiã & segnitiẽ est permissa. [b] Hîc verò multò rectius et institutũ: sed vt dicebã, non facilè cognitu. [c] Concedi planè videtur, si quis animaduertat, quòd

[a] *In Elide & apud Bœotios, qualis lex circa amorem.*

[b] *Tyrannis non conducunt ea studia quæ subditorum animos magnos & generosos reddunt, & amicitias eũ diuant.*

[c] *Apud Athenienses partim probatur partim damnatur puerorum amor.*

dicitur, præclarius esse palã amare quã clanculum, eósque præcipuè qui generosi & optimi sunt, etiã si minus formosi quã alii videantur. Fauet quoque amatori quàplurimum cõmunis omniũ cohortatio, quasi nihil turpe aggrediatur. Nã communiter si quis amatum capiat, pulchrum quiddã videtur: si non capiat, turpe. Et lex ad amatũ sibi conciliandũ amatori mira quædã machinamenta cõcedit, & ob illa laudari permittit: quæ si quis aliquando cuiusuis alterius rei quàm huius gratia tentare auderet, maximas apud philosophos vituperationes incurreret. Siquis enim accipiendæ ab aliquo pecuniæ, vel magistratus, aut alterius adipiscendæ potentiæ gratia, aggrediatur illa quæ erga amatos amãtes passim occurrat, supplex oret, obtestetur, ad fores noctu iaceat, & sedula quadam obseruantia seruiat, & in omnibus obsequatur, quę seruus aliquis agere nec vellet, nec etiam cogeretur, ab inimicis pariter atque amicis impedietur ista agere, illis adulationes seruilésque assentationes exprobrantibus, istis corripientibus cum eos seruitutis amici sui pudeat. Amator aũt dũ ista facit, gratiã adipiscitur, & quasi præclarũ aliquid agat à lege absque vlla infamiæ nota facere ista permittitur. [a] Quódve permaximũ est, vulgò fertur, quòd solis amatoriis periuriis dii dant veniã. Venereũ quippe iusiurandũ nihil valere aiũt. Itaq; tã dii quàm homines omnẽ amãti licẽtiã præstiterũt, vt lex nostra testatur. Si ad ista quæ dicta sunt, respiciamus, præclarissimũ quiddã in hac ciuitate existimari videbitur amor, quódve amanti amatus indulgeat. Si rursus ea quæ dicam animaduertamus, turpissimum hoc apud nos haberi putabimus. Nam pa-

[a] *Solis amatorijs periurijs dii dant veniam.*

Venereum iusiurandũ.

parentes pædagogis filios commendant, qui amatos cum amantibus loqui prohibeant. Socii quoque & æquales quoties tale quid vident, vituperant, eósque dum talia carpunt, senes non reprehendunt, neque eos quasi erient, corripiunt. Quapropter ita hoc habere se arbitror, vt ipsum secundū se, sicut principiò dictū est, neque honestū sit neq; turpe. [a] Neq; enim simplex, sed rectè factū honestū est, contrà, turpe. Turpe quidē est, prauo ac turpiter obsequi. Honestum verò, bono, atq; honestè. Prauus aūt est amator ille vulgaris, qui corpus magis quàm animū amet. Neque enim stabilis est cùm rem amat minimè stabilem. Simul enim vt corporis flos quē ceperat, defloruit, abit atque auolat nihil eorū quæ promiserat, seruans. Bonorum verò morum amator, per omnem vitā in amicitia perseuerat, vtpote qui rem stabilem sectabatur. Istos vtique nostra lex diligenter examinare præcipit, & his morē gerere, illos fugere. Et hos quidē propterea sequi iubet, illos fugere, diiudicans & examinans quæ quis amet, & quæ in quouis amentur. Atque ob hanc causā primū facilē, citóq; cā non turpe censetur, vt tēpus intercedat, quod [multa præclarè probare & examinare videtur.] Deinde aut pecuniarū copia, aut magistratuū potētia capi, turpe: siue [ignauia & cōsternatione animi trepidās det se ad nutū potētioris, nec cōstāter renuat,] siue acceptis pecuniis, ciuilibúsq; munerib. acquisitis, nō spernat. Nihil .n. ex iis solidū firmūq; esse videtur, præter id q; ab iis amicitia generosa oriri nequit. Vna itaq; secundū legē nostra via restat, qua amati amātibus iure gratificari possint. Etenim quē admodū apud nos de amantibus lex illa relata

[a] *Amor bonus vel malus esse potest.*

est, qua dicitur, nullum voluntarium amatoris in amatum obsequium, adulatorium & infame putandum: sic & alia quædã secundum legem voluntaria seruitus [amasij erga amantem] restat, quæ infamiam nullam subit. Hæc autem est quæ circa virtutẽ versatur. Ná nostris legibus est institutum, siquis velit aliqué colere, putans per illum vel sapientia quadam» vel in alia quauis parte virtutis proficere, hunc rursus voluntariam seruitutem neque dedecori seruienti fore, neque adulationé vocari debere. Oportet autem has leges in idem conducere, illam scilicet de amatoribus, & hanc de philosophia, aliáque virtute conscriptam, si vlla ratione contingere debet, vt deceat amatos amatoribus obsequi. Quoties enim in idem concurrunt amator atque amatus, vtrique legẽ habentes, hic quidé obsecuturis amatis iustè in omnibus ministrare seruiréque paratus, ille rursus sciẽtiæ morúmque præceptori suo iustè in singulis parituru: & hic quidẽ ad sapientiã, aliáque virtutes conferre potẽs: ille autẽ eruditione & sapientia indigens, tunc sanè in vnũ his legibus concurrentibus duntaxat euenit, vt honestũ sit amatos amatorib. moré gerere: aliàs autem nullo modo. In hoc vtique falli turpe non est. In aliis autẽ omnibus, obsequium huiuscemodi turpe censetur, siue obsequentẽ fallat opinio, siue non fallat. Si quis enim amatori, tanquã diuiti, diuitiarũ causa gratificatus, fallitur, neque pecunias accipit, quamuis amator pauper esse cõperiatur, nihilominus vituperatur. Videtur enim hic ser uilẽ animi sui habitũ ostendisse, quod pecuniarũ gratia in singulis rebus cuiuis seruiret: quod quidẽ minimè est honestũ. Eadẽ ratione

si quis

si quis tanquã bono gratificatus, ipse hac cõsuetudine sperans euadere melior, fallitur, cum ille prauus esse deprehendatur, honesta quędã deceptio est. Nam videtur affectũ suũ demonstrasse paratũ ad omnia ministeria virtutis cõsequendæ gratia tolerãda. Quod sanè præclarissimum iudicatur. Hac itaque ratione virtutis causa gratificari, atque seruire semper honestũ. Hic autẽ est ipsius cœlestis deæ amor, cœlestis & ipse: qui tã priuatim, quàm publicè pretiosus est, & amantẽ pariter atque amatum virtutis curam studiúmque suscipere cogit. Cæteri verò amores Veneris vulgaris sunt comites. Hæc in præsentia, ô Phædre, velut ex tẽpore de Amore tecũ confero. Cum Pausanias pausam, id est finẽ dicendi fecisset: sic enim alludere vocabulo sapientes me docent: oportuisse inquit Aristodemus Aristophanẽ dicere, verùm singultu vel propter repletionẽ, vel propter aliã causam contingente, impeditum fuisse. Quocirca ad Eryximachũ medicũ continuò post ipsum sedentẽ, ita loquutũ: O Eryximache tua nunc interest, aut singultũ reprimere, aut pro me loqui donec cesset. Ad ea Eryximachũ respondisse: Vtrunque efficiã. Equidẽ tuo loco dicã, tu verò meo, postquã singultus abierit. Interim dũ ipse loquor, si vis aliquandiu spiritũ cohibere, singultus cessabit. Si minùs id placet, saltem aqua multa intus alluc fauces. Et si fortè vehemens est, nares commodè stimula vt sternutatio irritetur. Nam si id semel, aut bis feceris, etiam si vehementissimus sit, tolletur. Antequàm finem dicendi feceris, inquit Aristophanes, quæ iubes, efficiam. Tunc Eryximachum ita loquutum.

ERYXIMACHI COLLAVDATIO.

NECESSARIVM inquit, mihi videtur, postquam Pausanias rectè exorsus, finem imposuit minus sufficientem, quod deest à me nunc impleri. Distinctionem quidem illã qua in duo distributus est Amor, approbo. Verùm nostra hac medicinæ arte cõperisse mihi videor, non solùm animis hominum erga pulchros Amorem inesse: verumetiã ad alia multa, atque in aliis tum corporibus animalium omnium, tum his quæ ex terra nascuntur: ac denique in omnibus, vt ita dixerim, quæ in rerum natura consistunt. Magnum quoque atque mirabilem hunc deũ per omnia tã humana, quàm diuina latissimè se porrigere. A medicinæ peritia primò exemplũ capiã, vt artem meã honorem. Corporũ sanè natura Amorẽ hunc geminũ continet. Quod enim in corporibus nostris bene valet, & quod malè, aliud atque dissimile esse constat. Quod verò dissimile est, dissimile cupit & amat. Alius ergo qui in sano corpore Amor, alius qui in ægroto. Et, vt paulò antè Pausanias asserebat, temperatis hominibus gratificandum esse, intemperatis verò nequaquã: ita & in ipsis corporibus bonis quidem sanisque obsequendum est, in quo maximè ratio medicinæ consistit: malis autẽ ægrotisque minimè, si modò artificiosus quis vult medicus esse. Est autẽ, vt summatim dicã, medicina scientia qua amatorij affectus corporis quo ad repletionẽ euacuationémve

a *Medicina quid sit.*

némve noſcuntur. Et quiſquis pulchrũ & deformẽ in his amorẽ diſcernit, is medicus peritiſſimus ſit Quíve ita permutare hæc poteſt, vt pro altero amore naſcatur alter: aut quibus abeſt Amor, adeſſe autem oportet, immittere valeat, & inſitum eximere eruditus ſit artifex. Poſſe autẽ oportet, quę in corpore inimica maximè ſunt, conciliare, & amorem illis inſerere mutuũ. Inimica verò maximè ſunt, quæ contraria maximè frigidũ calido amarũ dulci, humido ſiccũ, cæteráque huiuſmodi. Cùm Amorẽ his mutuũ concordiãque inſerere ſciret noſter ille progenitor Æſculapius, vt hi poetę teſtantur, quibus & ipſe credo, artẽ noſtrã compoſui. Medicina itaque omnis ea ratione qua loquor, ab hoc deo gubernatur. Similiter quoque agricultura atque gymnaſtica. Quòd autẽ eadẽ ſit & de muſica ratio, perſpicuũ eſſe cuiuis poteſt, qui vel pauliſper aduerterit. Quod [a] Heraclitus forſitã ſentit, verbis tamen parùm explicat. Vnũ quidem, inquit, ſecũ ipſo diſcrepans conuenire, vt harmonia tũ arcus tũ lyræ. Atqui abſurdũ dictũ eſt, harmoniã diſcrepare, atque ex diſcrepãtibus quandiu diſſonant eſſe. Sed hoc fortè ſignificare volebat, quòd ex his quæ prius diſcrepabant, graui ſcilicet & acuto, deinde per artẽ muſicã conſonantibus, harmonia conficitur. Nunquã enim ex graui & acuto dum diſcrepant, harmonia conflatur. Harmonia nanque concentus eſt. Concentus verò, concordia quædam. Concordia autem ex diſcrepantibus donec diſcrepant, fieri nunquam poteſt. Quod verò diſcrepat, neque eſt concors, concinere nequit, quemadmodum rhythmus & veloci & tardo, antea diſcrepãtibus, poſtea verò concinentibus conſtituitur.

[a] *Heraclitũ dictum: vnũ ſibi ipſi repugnans conſentire.*

Et quemadmodum humoribus medicina concordiam, ita vocibus musica consonantiâ tribuens, Amorem consensúmque mutuum gignit. Atqui est musica scientia circa harmoniâ & rythmum, affectus amatorios viréisque diiudicans. Sanè in ipsa harmoniæ & rythmi cõpositione vis amatoria facilè percipi potest: verùm geminus Amor nondũ hîc distinguitur, sed tunc demum, cùm ad alios rythmo & harmonia est vtendum: vel fingendo, quam melodiæ factionem vocant, vel vtendo rectè his quæ facta sunt, melodiis & metris, quam disciplinam nominant. Vbi difficilis obseruatio est, & perito est opus artifice. Huc iam superior ille sermo reuertitur, quòd videlicet modestis hominibus, & his qui nondum satis modesti sunt, vt fiant, gratificandum, horúmq; seruandus est amor. Atque hic est decorus ipse & cœlestis Vraniæ musæ Amor. Polymniæ verò musæ, vulgaris. Cui summa cautione indulgendum est, vt voluptatem quidem homines hauriant, incontinentiam verò deuitent. Sicut in arte nostra arduum est cupiditatibus quæ ad suaues coquorum epulas nos alliciunt, rectè vti, adeò vt absque bonæ valetudinis detrimento suauiter his vescamur. Quamobrẽ & in musica, & in medicina, & in aliis omnibus, tam humanis quam diuinis, vtrunque amorem qui omnibus inest, pro viribus obseruare debemus. Quinetiã anni temporum constitutio vtriisque his plena est. Nam quoties illa quæ modò dicebam, calida & frigida, sicca & humida, congruum inter se sortiuntur amorẽ, & harmoniam, temperiémque opportunâ suscipiunt, salubrem & fertilem annũ hominibus, animantibus omnibus, atque plantis afferunt.

neque

neque quicquam lædunt. Contrà verò, quum petulans & contumelioſus amor in anni temporibus prævalet, iniuria multa corrúpit. Peſtes ſiquidem ex his oriri conſueuerunt, aliíq; morbi permulti & varij brutis ac plantis innaſci. Quoniam pruina, glacies, grando, ſegetúmque rubigines, & putredines ex immoderato & excedente qualitatum amore proueniunt: horúmque & cœli motus, & anni tẽporum ſcientia, aſtronomia vocata eſt. Præterea ſacrificia omnia, & illa quibus vaticiniũ præeſt, cõmuniones videlicet deorũ hominúmq; inuicẽ, circa nihil aliud verſantur, quàm amoris curationem atque cuſtodiam. Omnis enim impietas tunc accedere conſueuit, quando quis modeſto amori haud indulget, nunc illũ honorans in omnibus veneratur, ſed circa amorem alterum peruagatur, nec officio congruè erga parentes viuos & defunctos, & erga deos vtitur. Hos amores diſcernere atque curare vaticinij propoſitum eſt. Eſt [a] inſuper vaticinandi ars amicitiæ inter deos & homines opifex, ex eo quòd intelligit qui potiſſimũ ex humanis amoribus fas aut nefas attingit. Atque ità multã & amplã, imò verò omnem vim ſummatim quidẽ omnis cõtinet amor: ſed qui circa bona cũ temperantia & iuſtitia tã erga nos quàm erga deos verſatur, vim ſummam habet, omnémque nobis beatitudinẽ exhibet. Nã & nos inuicẽ cõmuni vita conciliat, & diis humana natura præſtãtioribus amica efficit. Fortè & ipſe multa quæ ad laudandum Amorem pertinent, prætermitto, neque ſponte tamen. Quod autem deeſt, tuum eſt Ariſtophanes adimplere. Vel ſi aliter hũc deũ honorare vis, honora, quum ſingultus ipſe ceſſauerit. Iam ſe

[a] *Vaticinãdi ars amicitiæ inter deos & homines opifex.*

datus est, ait dixisse Aristophanem, nō tamen priùs quàm sternutamento repressus. Quò fit vt admirer, si congrua corporis affectio huiusmodi crepitibus & titillationibus indigeat, qualis est sternutatio. Etenim simulatque sternutatio exorta est, continuò destitit. Vide, ô bone Aristophanes, quid agas, respondisse Eryximachum. Risum contra te moues, sermonem habiturus, & obseruatorem me fieri cogis sermonis tui, si quid fortè ridendum protuleris, cui loqui securè licuisset. Probe loqueris Eryximache, Aristophanem dixisse. Sint ista mihi non dicta, sed ne me obserues: neque enim vereor ne quid quod risum moueat, in medium afferam: hoc enim musæ nostræ lucrum propriúmque esset, sed ne deridenda
*Prou. proferam, timeo. Emisso, respondisse Eryximachum, in nos iaculo Aristophanes aufugere speras. At mentem dicendis adhibe, tanquam rationem dictorum omnium redditurus: fortè verò, si videbitur, te dimittam.

ARISTOPHANIS LAVDATIO.

ALITER de Amore quàm tu & Pausanias loqui cogito. Mihi enim planè videntur homines Amoris vim omnino hactenus ignorasse. Nam si eam nossent, delubra illi insignia, aras, & hostias dedicarent: quorum nihil his temporibus agitur, cùm erga illum maximè omnium obseruare hæc deceat. Est enim præ cæteris diis summopere

pere generi humano beneficus, curator & tutor hominum, atque medicus, quibus sanatis, summam genus nostrum felicitatem nanciscetur. Conabor itaque vim illius vobis exponere. Vos autem qui à me hodie percipitis, alios deinde docebitis. Oportet in primis qualis hominum quondã natura fuerit, quæve illius passiones, perdiscere. Neque enim qualis nũc est, olim erat, sed lõgè diuersa. Principiò tria hominũ erant genera nõ solùm quę nunc duo, mas & fœmina, verumetiam tertium quoddã aderat ex vtriusque cõpositum. Cuius solum nobis testat nomen, ipsum periit. Androgynum quippe tunc erat & specie & nomine, ex maris & fœminæ sexu commixtum. Ipsum profectò defecit, nomen solũ infame relictum. Præterea tota cuiusq; hominis species erat rotunda, dorsum & latera circum habẽs, manus quatuor totidémq; crura, vultus item duos tereti ceruice cõnexos, & omnino consimiles. Caput vtriusque vultibus contrà versis, vnum. Aures quatuor, genitalia duo & alia singula, vt ex his quisque conuenienter existimare potest. Incedebat tunc & rectus, vt nũc, in vtram vellet partem: & quoties celerius ire contenderet, instar eorum qui prono capite & intra genua condito crura sursum circũferentes saltant, tunc octo membris innixus celeri circulo ferebatur. Ob hanc verò causam tria genera & talia erant, quia masculum Sole genitum erat. Fœmina, Terra: promiscuũ denique, Luna. Vtriusque enim luna est particeps. Sphetica verò erant & figura, & motu, quia parentũ similia. Vnde & robusto corpore, & elato animo erant. Quare cum dijs pugnare tentabant, & in cœlum ascendere quẽ-

[a] *Fabula prima hominũ conformatione secundũ quam geminis quisque omnibus mẽbris præditus in orbicularẽ figurã vndique erat conornatus.*

admodum de Ephiálto & Oto ſcribit Homerus. Iupiter igitur vnáque dii cæteri quid agẽdum eſſet conſultauerunt. Qua in re nõ parua inerat ambiguitas. Nam neque quomodo eos interficerent, reperiebãt, ne eorum ſicuti Gigãtum, fulminando genus delerent: extincto enim hominum genere, humanus deorum cultus veneratióque periret, neque in tanta inſolentia perſeuerare illos permittendũ cenſebãt. Tandem ſententiã Iupiter ſuam explicuit. Inueni, inquit, qua ratione fieri poſſit, vt & ſint homines, & modeſtiores ſint. Idque erit, ſi imbecilliores fiant. Vnumquenque nunc duas in partes diuidã. Ex quo & debiliores erunt, & nobis etiã magis id conducit. Numero ſiquidem plures erunt qui nos colent. Recti duobus cruribus ibunt. Quòd ſi rurſus impiè inſurgere videantur, iterum in duo ſecabo, vt vnico crure nixi, vtpote claudi, ſaltare cogantur. Hæc fatus bifariã partitus eſt ſingulos, inſtar eorum qui oua diuidunt, vt ſale condiãt, vel qui capillis oua ſecant. Mãdauítque Apollini, vt partitione ſtatim facta, cuiuſque vultũ ſeruicíſque dimidium in eã partem qua ſectus eſt, verteret, vt ſciſſionem ſuã conſiderans modeſtior fieret, reliquis autem mederi iuſſit. Ille continuò vultum vertit, & contrahens vndiq; cutem in eum qui nunc venter vocatur, tanquã contracta marſupia & os vnum faciens, medio in ventre ligauit. Quem quidem nexum vmbilicum vocant. Et alias quidem rugas maxima ex parte lænigauit, pectoráque articulatim diſtinxit, inſtrumento quodã tali vtens, quali coriarii cum corii rugas ſuper pedis formulam poliunt: nonnullas verò circa medium ventrem vmbilicúmque reliquit, vt quaſi cicatrices

trices quædam passionem nobis veterem semper repræsentarent. Postquam natura hominum ita diuisa fuit, cùm quisque dimidiũ sui agnitum cuperet, inter se concurrebant, circumiactisque brachiis se inuicem complectebãtur, conflari vnum affectantes. Vnde fame & torpore deficiebant, eò quòd nunquã sciungi vellent. Et cùm dimidium vnum moriebatur, restabátque alterum, quod supererat rursus aliud asciscebat, similitérque congrediebatur, siue solius cuiusdã totiúsque fœminæ dimidium esset, quã fœminam nunc vocamus, seu viri. Atque ita genus hominum deperibat. Quocirca miseratus Iupiter, remedium aliud excogitauit, permutauit genitalia. & quæ prius retro erant, ad anteriores partes trãstulit. Antea siquidem cùm ad nates hæc haberent, non inuicẽ sed in terrã spargentes semina cicadarũ instar concipiebant, atque generabant. Cũ verò ad anteriora transposuisset per hæc generationem in se inuicem fecit expleri: per masculum quidem in fœmina, hac de causa, vt si in amplexu vir fœminæ commisceretur, genita prole speciem hominũ propagarent. Sin autem masculo masculus, facietate ab amplexu amouerentur, & ad res gerendas conuersi victum curarent. Hinc vtiq; ex illo tempore mutuus hominib. innatus est amor, priscæ naturę conciliator, annitẽs vnum ex duobus efficere, hominúmque naturæ mederi. Est igitur quisque nostrum dimidiũ hominis, vtpote sectus, quẽadmodum pisciculi qui Plettæ vocantur, scissi ex vno duo efficiuntur. Quærit autẽ perpetuò sui quisque dimidium: quãobrem quicunque ex viris promiscui generis portio sunt, quod olim Androgynum vocabatur, mulieroſi

sunt,adulteríque vt plurimum ex his reperiũtur.Ex hoc sanè genere mœchi ducũt originẽ. Rursus quæcunque mulieres virorum cupidæ mœchæq; sunt,hac stirpe nascuntur.Quæ verò mulieres mulieris pars existũt,haud multũ viros desiderãt,sed fœminas magis affectãt,atque hinc fœminæ quę fœminas cupiũt nascũtur.At verò qui maris portio sunt, mares sequuntur.At dum pueri sunt,vtpote qui maris particula sunt,viros diligunt,virorúmque familiaritate assidua congressũque gaudent: híque sunt puerorum adolescentulorúmque omnium generosissimi, quippe qui natura præ cæteris omnibus sunt viriles.Hos quidã impudicos falsò appellant.Neque enim impudẽtia vlla,sed generositate,& fortitudine quadã masculà virilíq; natura hoc agũt:nam simili suo [delectantur].Huius euidens argumentumest, quòd quum adoleuerint, soli ad ciuilem administrationem conuersi,viri præstantes euadunt,& in ætate virili cõstituti ipsos adolescẽtes diligunt,matrimonium verò filiorúmque generationem natura spernunt, nisi lege cogantur.Cælebs porrò vita his placet. Omnino igitur vir talis mares diligit, amicorúmque studiosus efficitur,cognato semper delectatus.Quoties itaque dimidiũ suum alicui, cuiuscunque sexus auidus sit,occurrit, vehementissimè concitantur,& obstupescunt:amicitiáque & familiaritate & amore ardent,neque momentum quidem,vt ita dixerim, seiungi à se inuicem patiuntur. Atque hi sunt, qui per omnem vitam amare pergunt, neque quid potissimum à se vicissim expetant,exprimere possunt. Neque enim venereus coitus id esse videtur,cuius gratia alter alterius cõsuetudine

tudine tantopere delectatur. Aliud quiddam est profectò, quod animus vtriusq; cupit, nec exprimere valet, sed vaticinatur potius coniicítque & affectum insitum vestigiis signat obscuris. Atqui si vnà iacentibus illis supernè, Vulcanus cum suis instrumentis adstans interrogaret, quid est, ó homines, quòd à vobis vicissim exigitis? & ambigentibus illis iterum percontaretur: Nunquid hoc exoptatis, in vnũ idémque maximè cõgredi, adeò vt neque die neque nocte inuicem separemini? Si hoc affectatis, colliquefaciam vos confundámque in idem, vt ex duobus vnum efficiamini, & tam in hac vita, quàm apud inferos vnum semper perseueretis. Videte an hoc sit quod ardetis, satísque futurum sit vobis, si huius compotes efficiamini. Si ita, inquam, Vulcanus quæreret, constat quòd nemo renueret, aut aliud quàm hoc expetere videretur. Reuera enim quod olim cupierat, audisse se quisq; putaret, cõgressũ videlicet eõmixtionéque cum amato vnum ex duobus confici. Huius causa est, quia prisca hominũ natura hæc erat, integríque eramus. Totius itaque reficiẽdi cupido nixúsq;, amoris nomẽ accepit. Olim quidem, vt suprà narrabam, vnũ eramus. Deinde, propter iniustitiã à Deo scissi fuimus, quemadmodum à Lacedæmoniis Arcades. Verendum est præterea, ne si minus modesti quàm deceat in Deo simus, iterum diuidamur, talésque efficiamur, quales qui in columnis figurantur nares secti, cuadamúsque similes tenuissimorũ quorundam animalium quæ Lispæ vocantur. Sed horum gratia vnumquenque decet summa pietate deos colere, & alios ad hoc exhortari, vt hæc vitemus, adipiscamur autem illa,

quemadmodum dux noster amor & imperator admonet, cui nullus repugnare audeat Repugnat autem huic qui aduersatur diis. Nam si Deo reconciliati eum propitium habuerimus, singuli dimidium suum exoptatum reperiemus & consequemur. Quod quidem pauci his temporibus agunt. Neque sermonem hunc meum Eryximachus iste corripiat, quasi Pausaniam Agathonémque dicam: fortè enim & isti ex his sunt, & natura ambo mares existût. Asserо equidem de omnibus viris ac fœminis, ita demum genus nostrũ fore beatum, si quando amoris impetum expleamus, & suis quisq; delitiis potiatur, in antiquam naturam penitus restitutus. Si hoc felicissimum quiddam est, sequitur vt ex iis quæ nunc nobis tributa sunt, quod huic proximum est id sit & optimum: hoc est, vt quilibet eos qui natura ipsi cordi sunt, nanciscatur. Cuius vtique autorem Deum laudantes, amorem iure laudare debemus, qui in præsenti tempore nos summopere iuuat, dum ad id quod cuique proprium est, nos deducit, & in posterum spem summam porrigit nobis deos piè colentibus, in veterem figuram restituendo medendóque se nos beatissimos effecturum. Hic meus est Eryximache de amore sermo, à tuo diuersus: quem, vt suprà ornani, ne carpas, vt audiamus quid quisque reliquorum afferat: imò quid vterque. Nam Agatho duntaxat & Socrates restant. Morem tibi geram, dicere Eryximachum. Nam mihi oratio tua placet Et nisi cognouissem Socratẽ, & Agathonem in amatoriis esse facundos, vehementer dubitassem ne verba illis deficerent, eò quòd multa variáque sunt dicta. Verum adhuc illis confido. Strenuè & ipse certasti, ô

Ery-

Eryximache, Socrates, inquit, dicebat. Verum si in eo gradu constitutus esses, in quo nunc ego sum, imò in quo ero cùm Agatho quoque scitè dixerit, perinde vt ego nunc maximè formidares, & angustiis vndique premereris. Incantationibus circumuenire me vis, ô Socrates Agathonem respondisse, vt in conspectu vestro pauescam, quòd magna apud vos tanquam in theatro de me expectatio sit, quasi elegantissimè sim dicturus. Nimis, ô Agathon, obliuiosus essem, dixisse Socratem, si te nunc propter nos tam paucos homines trepidaturum putarem, quem tam fortiter, támque generosè ascendisse pulpitum tragicum vnà cum histrionibus viderim, & sine vllo terroris motu coram tanta spectantium multitudine carmina tua protulisse. Ne me adeò, dicere Agathonem, theatri studiosum eiúsque fauori deditum putes, vt ignorem prudenti viro paucorum sapientium magis, quàm multorum insipientium iudicium esse verendum. Iniquè iudicarem Agatho, Socratem dicere, si quid in te rusticum existimarem. Noui equidem, quòd si in aliquos incideres tuo iudicio sapientes, magis eos quàm vulgus curares. Sed vide ne ipsi tales minimè scimus. Interfuimus ibi & ipsi, vulgarium numero computati. Sin autem aliis occurreres sapientibus, nequid in eorum conspectu ineptè faceres, formidares. Nunquid aliter dicis? Non vera enim refers, dicere Agathonem. Vulgus autem non metueres, dicere Socratem, si quid ineptum committere te putares. Hîc Phædrum, ô amice Agathon, subiecisse, si Socrati respondere pergis, nihil curabit quomodocunque cætera hic agãtur, modò habeat quicum disputet, pulchrè

præsertim. Equidem libenter Socratem audio disputantem. Veruntamen curandum mihi est, vt amor à singulis ordine certo laudetur. Laudate igitur & vos Deum primò, posteà arbitratu vestro inuicem disputabitis.

AGATHONIS ORATIO.

PRAECLARE loqueris Phædre, Agathonem dixisse, neque me quicquam dicere prohibet. Cum Socrate quidem sæpe alias disputare licebit. Ego verò nunc primum quatenus dicendum sit, demonstrabo, posteà dicam. Videntur mihi omnes qui hactenus locuti sunt, non ipsum Deum laudasse, sed beneficia quæ feliciter ab illo conferuntur hominibus narrauisse. Qualis verò ipse sit qui horum bonorum causa est, nullus adhuc expressit. [a] Recta autem laudandi ratio sola in omnibus illa est, qua illius de quo agitur natura prius ostenditur, posteà quorum causa est declaratur. Sic & in præsentia qualis ipse sit amor primùm ostendere decet deinde munera illius exponere. Assero equidem cùm dij omnes beari sint, amorem, si modò fas est & tolerabile dictu, esse omnium beatissimum, quippe cũ pulcherrimus omnium optimúsq; existat. Quòd verò pulcherrimus sit, ex eo primum patet, quòd deorum, ô Phædre, [b] omniũ maximè iuuenis est. cuius ipse euidens argumentum præbet, cũ senectutem fugiat, velocem videlicet, quæ citius quàm oportet aduen-

[a] *Prius laudanda est rei natura, posteà eius effecta declaranda.*

[b] *Amor omnium deorũ maximè iuuenis.*

tat

tat,eámque amor natura odit,fugítque, iuuenibus verò se miscet. Scitè quidem veteri* prouerbio fertur,simile simili semper hærere. Et cum multa Phædro concedo, in hoc vno minimè assentior,quòd amor Saturno & Iapeto sit antiquior. Imò præ cæteris diis iuuenem esse aio,sempérque iuuenem:prisca verò deorum gesta, quæ Hesiodus Parmenidésque describunt,necessitati potius quàm amori attribuenda,si modò illi vera narrarunt. Neque enim castrari inuicem, & vinciri,aliáq; violenta permulta diis olim contigisse:si amor illis tunc adfuisset, sed beneuolentia, & pax summa regnasset, quemadmodum nunc, ex quo imperare diis amor incepit. [a]Ergo iuuenis est & tener præterea,mollísque. Opus autem est tali quodam poeta, qualis Homerus extitit,ad teneram amoris mollitiem demonstrandam. Homerus quidem Atem,id est calamitatem,deam inquit esse & mollem. Vtq; illius pedes teneros esse ostenderet,ait *nunquã paumenta calcare,sed per capita hominum incedere*:perspicua sanè coniectura quod tenera sit, vsus fuisse videtur, quia per dura non graditur,sed mollia tangit. Eodem nobis vtendum est argumento, quod tener sit Amor ostendere cupientibus. Neque enim per terram,& caluarias vadit, quæ non admodum molles sunt, sed mollissimis omnium rebus se infigit atque permanet. [b] In animis quippe & mentibus deorum & hominum sedem suam locat. neque tamen in quibuslibet animis:nam durum animi offenderit habitum,aufugit: sin autem mitem mollémque,inhabitat. Cum itaque mollissimarum rerum mollissimas semper partes pedibus totóque corpore tangat, tenerrimum

* Proverb. Simile simili gaudet.

a *Amor tener & mollis* Iliad 1.

b *Vbi sedes est amoris.*

esse amorē necesse est. Quapropter & iuuenis est & tener præ cæteris amor. [a] Quinetiā aquę instar liquidus est, & lubricus. Nō .n. vndique per omnem animam circunfluere posset, & clā influere, & effluere clā, si durus ac rigid⁹ esset. Aptæ verò, cōpositæ, flexibilisque formæ, argumento esse formositas potest hoc est figurę concinnitas, qua amor omnium maximē proculdubio decoratus est. [b] Inter deformitatem porrò & amorem est pugna perpetua. Coloris quoque decorem assidua inter flores habitatio huius Dei significat. In eo siquidem quod floribus caret aut defloruit, siue corpus, siue animus, seu quoduis aliud sit, Amor ipse non insidet. Vbicunque verò floridus, & odorifer est locus, gratissimè conquiescit. De huius dei pulchritudine permulta insuper afferri possent, sed ista sufficiunt. [c] Deinceps de virtute amoris est dicendum, Quod in primis maximi faciēdū est, Amor nec iniuriā infert Deo, vel homini, nec à Deo, vel homine iniuriā patitur. Nō .n. ipse vi patitur, si quid patitur. Nā violentia non tangit amorē. Neque vi facit, si quid faciat. Quisque enim spōte amori in singulis paret. Quæcunque verò volens quispiam cum volente vltro contrahit, iusta habentur, vt regiæ ciuitatis leges statuunt. Nec iustitiæ solum, verumetiam summæ est temperantiæ particeps. Siquidem inter omnes conuenit tēperātiam esse, libidinibus & voluptatibus dominari, nullámque voluptatem esse amore potentiorem. Quōd si voluptates omnes amore imbecilliores sunt, ab illo vtique superantur, ille verò dominatur. [d] Amor itaque quoniam libidinibus, & voluptatibus dominatur, mirum in modum est temperans. [e] Quod ad fortitu-

[a] *Amor liquidus & lubricus.*

[b] *Amor pulcher & formosus.*

[c] *Amoris virtus quæ sit.*

[d] *Amor temperans.*

[e] *Amor fortis.*

titudinem præterea neque Mars equidem Amori resistit. Neque enim Mars amorem, sed amor Veneris, vt fertur, Martem detinet, potentius autem est quod detinet quàm quod detinetur. Qui verò cæterorum fortissimo dominatur, omnium absque dubio fortissimus iudicandus est. De iustitia igitur, temperantiáque, & fortitudine huius dei iactis est dictum. De sapientia deinceps dicendum restat, quod quidem pro viribus est exequendum. Principiò, vt & ipse artem meam, perinde ac suam Eryximachus, honorem, [a] hic deus poeta est adeò sapiens, vt alios quoque poetas possit efficere. Quilibet enim licet antea rudis, poeta euadit, cùm primũ amor afflauerit. Ex quo perspicuè coniectare licet amorem peritum esse poetam, omnésque summatim musicos poesis numeros continere. Nam quæ nec habet aliquis, neque nosci, alteri dare, vel monstrare non potest. Quòd vtique per amoris sapientiam animalia cuncta gignantur atque nascantur, quis dubitet? Artium præterea facultatem, nónne ab hoc Deo tradi videmus? eúmque hominem cuius hic est præceptor, quãuis in arte præcellere, clarúmque euadere? contrà verò eũ qui ab amore non tangitur, in obscuro iacere? Sagittandi namque, medendi, & diuinandi peritiam appetitu atque amore duce inuenit Apollo, qui est Amoris discipulus. Musicam similiter Musæ. Fabricam Vulcanus ærariam. Texendi artificium Minerua: Iupiter deorum hominúmque gubernationem. [b] Quocirca res deorum amore interueniente dispositæ sunt, amore, inquam, pulchritudinis: deformitatem quippe non sequitur amor. Antea verò, vt initiò dicebam, permulta atque atrocia inter deos

[a] *Amor sapiens.*

[b] *Amoris beneficia in genus humanũ.*

propter neceſſitatis regnum, vt dicitur, contigerunt. Poſtquam verò deus hic ex pulchrorũ deſiderio natus eſt, bona omnia tam ad deos quàm ad homines prouenere. Ita mihi videtur, ô Phædre, amor ipſe primùm pulcherrimus optimúſque eſſe, deinde talia quędam cęteris quoque largiri. Succurrit mihi in præſentia metricum quiddam, *Hic deus eſt qui pacem largitur Humano pacem generi, pelagóque ſerenum Ventum, tum requiem Ventis, hominique cubile.* Et *ſomnum curis permiſtum.* Hic ruſticitatem à nobis amouet, hic nos familiaritate conciliat, cœtus huiuſmodi omnes congregans In ſolennibus feſtíſque diebus, in chotis, in ſacrificiis, dux nobis & præſidens. Manſuetudinem quidem porrigens, exterminans feritatem, beneuolentiæ largitor, maleuolentiæ omnis expulſor, propitius, beneficus, ſpectandus ſapientibus, diis placidus, exoptandus expertibus, participantibus poſſidendus atque tenendus. Deliciarum, mollium illecebrarum, gratiarum dulcis perfuſionis & deſiderij pater. Bonorum ſtudioſus, malorum ſpretor: in labore, in timore, in deſiderio, in ſermone gubernator, perfectus adiutor, ſeruatórque præcipuus. Cunctorum deorum atque hominum decus, & dux pulcherrimus atque optimus: quem profectò ſectari debet, pręclariſque hymnis venerari vir quiſque cantilenæ illius particeps quam amor ipſe concinit, mentem deorum hominúmque permulcens. Hæc igitur oratio mea Phædre, deo vouearur, partim iocis partim ſeriis rebus pro ingenij mei facultate referta. Dum hæc Agatho dixiſſet, quemadmodum retulit Ariſtodemus, conuiuæ omnes ſummo quodam applauſu orationem ipſam comprobauerunt:

vtpote

vtpote quæ ſicut & Agathone & Deo dignum erat habita, videretur. Quapropter Socrates, ad Eryximachum conuerſus, inquit: An non meritò, ô Acumeni filii, ſuprà timuiſſe nũc videor, quod reuera contigit vaticinatus, quòd Agathon elegantiſſimè loqueretur vnde mihi verba defore putabam? Vnum quidem, Eryximachum reſpondiſſe, rectè vaticinatum te puto, ſcitè locuturum Agathonem: alterum verò tibi, defuturam facundiam, minimè. Qui non, dixiſſe Socratem, & ipſe, ô beate, & alius quiuis à dicendo abſterreatur, cui poſt tam luculentam copioſámque orationem ſit loquendum? Et cætera quidem quamuis aptè compoſita, non adeò miranda videntur: elegantiam verò nominum atque verborum qua in orationis calce eſt vſus, ſi quis animaduerterit, protinus obſtupeſcet. Quandoquidem & ipſe cum intelligerem non poſſe me eloquentia propè accedere, parum abfuit quin verecundia motus hinc aliò, ſi quò licuiſſet, abirem. Etenim Gorgiæ me ſermo admouit, quòd illud mihi Homericum contigiſſet. Extimui nempe ne finem verbis imponens Agatho, Gorgiæ facundi caput è ſermone ſuo in meum tranſmittens, mutum me factum, lapidem pro homine redderet. Tunc demum temerè promiſiſſe me agnoui amorem vobiſcum pro virili mea collaudaturum, & ineptè amatoria profeſſum fuiſſe, quum omnino neſcirem qua quidque ſit ratione laudandum. Putabam equidem ob rudicatè meã, de quocunque quod laudatur à nobis vera oportere referri, & hoc quidem adeſſe atque

Encomia vera.

licere, ex his autem pulcherrima seligentes quàm decentissimè adscribere nos debere. Quocirca ingenti quadam spe elatus sum, quasi rectè dicturus, quandoquidem vera laudandi rationem, vt videbatur, haberem. Tandem verò haud congruus laudationis hic modus apparuit. Oportere namque videtur, maxima quæque & præclarissima rei quam laudamus, ascribere, siue reuera illi adsint, siue non adsint. Nihil enim referre falsáne an vera sint, cũ propositum sit non quomodo amor ipse laudatur, imò vt quisque amorem laudare quàm maximè videatur. Quapropter vniuersa amori tribuitis, talémque eum esse, & talium tantorúmque causam affirmatis, vt quàm pulcherrimus optimúsque appareat, ignorantibus videlicet. Nunquam enim intelligentibus laus huiusmodi recta, & pura iudicaretur. Equidem laudationis huius modum penitus ignorabam. Nesciens itaque vobiscum conueni me quoque inter alios collaudaturum. Lingua ergo pollicita est, mens verò nequaquam. Absit igitur à me istiusmodi laudatio. Neque enim sic illum extollere possem. Veruntamen si vultis, ritu meo vera loqui cupio, & ad meipsum respicere potius, quàm cũ orationibus vestris certare, ne risum moueam. Vide itaque Phædre, vtrum vobis placeat orationem huiusmodi nunc audire quę de amore vera duntaxat enarret, verborum nominúmque vtcunque accidit compositione procedens. Phædrum igitur. Mihi sanè & aliis placet, dicere, vt tuo arbitratu loquaris. Concede mihi, ô Phædre, dicere Socratem, vt pauca quædam Agathonem rogem, vt ab illo confirmatus loquar. Concedo equidem, Phædrum respondisse,

dísse. Interroga modò. Deinde Socratem hinc initium dicendi fecisse narrabat.

SOCRATIS ORATIO.

PRIMA, ô amice Agatho, orationis tuæ fundamenta iecisse videris, cùm diceris primò quid amor sit ostendendum, posteà illius opera numeranda. Hoc equidem principium valdè probo. Age itaque postquam de amore cætera ornatè atque magnificè es elocutus, hoc insuper circa illius naturam mihi declara, vtrum talis sit amor, vt alicuius amor sit, an nullius. Haud peto vtrum matris alicuius patrísue sit. Ridicula namque interrogatio esset, vtrum amor patris matrísue sit amor. Verùm si interrogassem, nunquid pater alicuius pater esset, an non, respondisses vtique, si modò congruè loqui voluisses, patrem filij aut filiæ patrem esse. An non? Prorsus, Agathonem dixisse. Nónne & matrem alicuius esse matrem? Et istud consensisse. Responde præterea, Socratem dixisse pauca quædam vt quod sentio magis intelligas. Frater nunquid ipsum quod est, alicuius est frater? Esse dixisse. Nónne fratris aut sororis. Horum profectò. Conare similiter de amore nobis ostendere, num amor alicuius, an nullius sit amor? Alicuius certè. [a] Hoc itaque memoriter serua quòd alicuius sit recordatus. Atque ad hoc respondе, vtrum amor, illud ipsum cuius

[a] *Amor cũ ad aliud referatur illud cuius est amor, appetit & eo indiget.*

est amor appetat,néene? Et maximè quidem. Nunquid hoc ipsum apud se habet, & tamen quod habet appetit atque amat? An potius non habet quod & amat, & appetit? Verisimile est non habere. Aduerte prætetea vtrum pro eo quod verisimile est,necessarium sit ita, quicquid appetit,id quo eget appetere: & si non eget,nec cupere. Mihi quidem mirum in modum hoc placet,vt necessarium sit. Tibi verò quid videtur Agatho, dixisse Socratem? Quod & tibi,respondisse Agathonem. Bene loqueris. An vellet magnus quispiam magnus esse,& robustus aliquis,esse robustus? Ex his quæ suprà concessimus fieri nō posse mihi videtur. Neque enim indigus esset eorum quę in seipso iam contineret. Vera dicis. *Etenim si ille qui robustus est,vult esse robustus, & qui velox,esse velox,& sanus denique sanus, fortè quispiam crederet,& hos & alios quoslibet,ea quæ habent appetere. Ne igitur hîc decipiamur,ego ob hanc causam hæc dico. Hæc si diligenter animaduertas. Agatho,necessarium est se videbis quæcunque præsenti in tempore hi habent,eadem in tempore eodem habere, seu velint,siue nolint,hoc ipsum verò quisnam cuperet? Cum verò quis addit: at ego sanus dum sum,volo equidem sanus esse: & diues dum sum,esse diues: atque ideireo, quæ habeo cupio: huic protinus respondemus. O bone vir, ipse diuitias sanitatem, robúrque adeptus,vis hæc & in futuro tempore possidere: quoniam in præsenti velis nolisue habes. Vide ergo cũ dicis,quæ mihi adsunt cupio, nunquid aliud quàm hoc inferas, quæ mihi nunc adsunt, & in futuro adesse exopto. Censes hunc hominẽ Agatho hoc, an aliud responsurum? Nihil aliud,

* *Qui expetit id quod iã habet, id expetit, quatenus nõ habet, nẽpe futuri tẽporis respectu.*

aliud dicere Agathonem. Amor profectò huiusmodi, illud respicit quod nondum in prõptu est, nec habetur, adesse videlicet & seruari illa in tempore quod sequatur. Sic est omnino. Et hic igitur, & alius quicunque appetit, quod nondum paratum est, appetit, quódue non adest, nec habet, & quod ipse non est, quóue indiget. Talia quædam sunt illa, quorum est appetitus, & amor. Talia proculdubio. Age, dixisse Socratem, quæ suprà dicta sunt repetamus. a Primò quidem amor, aliquorum dictus est amor, deinde illorum potissimum quibus indiget. Certè respondisse. Recordare præterea, quorum esse amorem asseruisti. Ego tibi in memoriam si vis reducam. Equidem ita dixisse te arbitror: A diis omnia propter pulchrorum amorum fuisse disposita. Turpium quippe amorem omnino nullum esse, An non ita dicebas? Ita profectò. Probabiliter quidem loqueris, ô amice. Et si ita est, amor certè pulchritudinis amor est, turpitudinis verò minimè. Consentio. Nónne concessum est, id quo eget, nec habet, amare? Concessum planè. Ergo pulchritudine indiget amor, eámque non habet. Necessarium. Quid verò? Num pulchrum vocas quod pulchritudinis indigum est, nec eam habet? Nequaquam. Nunquid vlterius, hæc ita se habent, amorem pulchrum asseris? Nihil eorum quæ suprà dixi, intellexisse videor. Rectè dixisti. Sed respõde parumper vlterius, nunquid ipsa bona pulchra esse videntur? Mihi verò. Si igitur amor pulchris caret; bona verò pulchra sunt, bonis quoque caret. Repugnare tibi, ô Socrates, nullo modo possem. Esto igitur,

a *Ex modò concess s cõficit elẽchũ superiorum qui Amorẽ laudauerãt ostendsitq; amorem nec pulchrũ, nec bonum esse.*

vt tu ais. Veritati quidem nunquam,ô dilecte Agatho, aduersari potes, Socrati verò facillimè.

VERVM Agathonem iam dimittam, vobisque,ô conuiuæ, referam sermonem de Amore, quem olim accepi à fatidica muliere Diotima, [a] quæ & harum rerum perita erat,& alia multa sapienter intelligebat,& Atheniensibus olim sacris decennio ante pestem peractis, morbi dilationem dedit. Illa me in amatoria facultate instruxit. Quæ igitur illa dixit, conabor vobis ex meipso secundum ea quæ inter me & Agathonem conuenerunt exprimere. Oportet autem primò,ô Agatho, vt & tu exposuisti, quid & quale sit amor ostendere, deinde opera illius enumerare. Præstat, vt mihi videtur, eodem ordine vobis nûc referre, quo hospes illa me examinans pertractauit. Fermè enim eadem ego illi quæ mihi Agatho prædixeram. Magnum esse deum amorem,& ad pulchra respicere. Eisdémque rationibus me redarguit, quibus hunc ipse, quòd neque pulcher esset amor, vt dicebam, neque bonus. Ad quam ego tunc. Quid ais,ô Diotima, inquam? Turpisne igitur ac malus est amor? Et illa, dic meliora quæso. an putas necessarium esse, vt quicquid pulchrum non est, sit turpe? Maximè. Et quod non sapiens, ignotans? An non aduertisti, esse quoddam sapientiæ & ignorantiæ medium? [b] Quid istud? Rectè opinari, hoc est veri absque certa ratione participem esse. Hoc siquidem neque scientia est: nam sine ratione scientia nunquam. Neque ignorantia rursus. Quod enim veri compos est, ignorantia non vocatur. [c] huiusmodi quiddam est opinio recta, inter

[a] *Diotima fatidica.*

[b] *Inter sapientiã & ignorantiã media est recta opinio.*

[c] *Quid sit opinio recta.*

ter sapientiam & ignorantiã medium. Vera dicebã ego, narras. Ne cogas igitur, inquit, quod pulchrum non est, esse turpe, quódue non bonũ, esse malum. [a] Eadem ratione quãuis amorẽ neque pulchrum, neque bonũ esse concedas, non tamen putare debes turpẽ necessariò esse, vel malũ, sed inter ista mediũ. At verò in hoc omnes consentiunt, magnũ esse deum amorẽ. Ignorantésne dicis, inquit, omnes? an scientes? Cunctos inquã. Quónam pacto (inquit illa ridens) magnũ esse deum hi confiterentur, qui nec deum quidẽ esse volunt? Quinã isti, inquã ego? Vnus quidem tu es, inquit. Ego altera. Quónam pacto dixisse me hoc asseris? Facilè tibi ostendã. Dic age. [b] Nónne deos omnes pulchros ac beatos affirmas? Nũquid auderes deorum quẽpiam non pulchrũ beatúmve dicere? Non per Iouẽ. Beatos autẽ nónne illos vocas, qui bona pulchráque possident? Illos dũtaxat. Atqui amorem in superioribus admisisti propter pulchrorũ bonorúmque inopiã, hæc ipsa quorum indigus est, appetere. Admisi equidẽ. Quónã igitur modo deus est, inquit, qui pulchrorum bonorúmq; est expers? Nullo pacto, vt videtur, inquã. Vidésne quòd & ipse amorem Deum esse non putas? Quid ergo inquã? Num mortalis est amor? Minimè. Quid igitur? Superiorum instar, mortalis immortalisve medium. Quid inquam est, ô Diotima? Magnus, ôsocrates, dæmon. [c] Etenim omnis natura dæmonum inter mortales deósque est media. Quam vim habet? Interpretatur, inquit & traiicit humana ad Deos, diuina ad homines: horum quidem preces & sactificia, illorũ precepta sacrósque solennes, institutiones, & ordinem. In amborum medio constituta totum

[a] *Amor est medius inter turpe & pulchrum.*

[b] *Amorem nõ esse deum probatur sed dæmonem duntaxat.*

[c] *Natura dæmonum, quali & quæ ipsorum munia.*

complet, vt vniuersum secum ipso tali vinculo connectatur. [a] Per hãc vaticinium omne procedit, sacerdotúmq; diligentia circa sacrificia, expiationésque, & incantationes, & diuinationem omnem, atque magicã. Deus quidem homini non miscetur, sed per id medium commercium omne atque colloquium inter Deos hominésque conficitur, & vigilantibus nobis & dormientibus. [b] Quicunque harũ rerum peritus est, δαιμόνιος, id est, felix vir, & sapiens nuncupatur: qui verò alias artes, & facultates quæ manibus explentur, callent, βάναυσοι, id est, mercenarii nominantur. Enimuerò hic dæmones multi atque varii sunt. Ex his vnus est amor. Quínam parentes, inquam, amoris? Quãuis dictu prolixum sit inquit, exponã tamen. Quando nata est Venus, parato conuiuio discubuerũt dii cæteri & μήτις, id est cõsilii, πόρος, id est affluentiæ deus, filius. Cũ cœnati essent, πενία, id est paupertas mendicatura cibũ, vtpote epulis illic abundantibus venit, & circa fores erat. Porus quidem nectare ebrius, vinũ nanque nondũ erat, Iouis hortũ ingressus est, & somno grauatus dormiebat. [d] Penia verò inopia compulsa quo pacto filiũ quasi quibusdã insidiis ex Poro conciperet, excogitauit. Quare iuxta illũ accubuit, Amorẽq; concepit. Vnde natus est Amor, sectator cultórque Veneris, propterea quòd in Veneris natalibus est progenitus. Quinetiam natura, pulchri desiderio capitur, quũ Venus ipsa sit pulchra. Quoniã verò Pori ac Peniæ Amor est filius, sortem huiusmodi nactus est. Primum quidem pauper est semper, multúmque abest vt sit mollis, & pulcher, quemadmodum plerique arbitrantur, sed aridus est, & squalidus, nudis pedibus,

[a] *Diuinatio & magica conceditur per dæmones.*

[b] *δαιμόνιος quis dicitur.*

[c] *Amor vnus ex dæmonibus.*

[d] *Amor Pori & Paupertatis filius.*

bus, semper humi volans, sine domicilio, sine strato, & tegmine vllo, ad fores in via sub dio dormiens, naturámq; matris seruans, semper egenus. Secundū verò patris stirpem, pulchris ac bonis insidiatur, virilis, audax, & vehemens sagáxq; venator, noua semper machinamenta contexēs, prudentiæ studiosus, facund⁹, per omnē virā philosophans, incantator, fascinatórque potens, venefícus atque sophista. Neque immortalis omnino secundum naturam, neque mortalis: sed interdū eodem die pullulat atq; viuit, quoties exuberat: interdū deficit atq; iterū reuiuiscit ob patris naturā. Quòd verò acquiritur, continuè subterfluit. Quocirca neque mēdicus est amor vnquā, neque etiā opulentus. Quinetiā inter sapientiā & insciti ā constituitur. Sic enim res se habet. Nullus deorum philosophatur, aut sapiens fieri cupit. Est enim. Nec alius quiuis sapiens philosophatur. Neque omnino ignorantes philosophantur, neque sapientes fieri cupiunt. [a] hoc enim habet ignorantia pessimum, quando qui nec pulcher, nec bonus est, neq; sapiēs, sufficiēter hæc habere se censet. Nūquā igitur expetit illa quorū se indigū non aduertit. Qui ergo potissimū, inquā, [b] Diotima philosophantur, si neque sapiētes, neq; ignorantes id agunt? Hoc profectò vel puer intelliget inquit, quòd hi videlicet qui inter istos sunt medii, è quibus est amor. Sapiētia nēpe pulcherrimum quiddā est, amor autē circa pulchrum versatur. Ex quo necessariò sequitur, Amorē esse philosophū, cúmq; philosophus sit, mediū ignorantis sapientíq; tenere. Horum causa in eius genitura consistit. Nam ex patre sapiente & opulento est genitus, matre verò minimè sapiente, & certè paupere.

[a] *Ignorantiæ summum vitium.*

[b] *Quinam philosophantur.*

Natura itaque dæmonis, ô amice Socrates, ista. Nec mirũ est talẽ te amorẽ finxisse ex ea opinione quam de natura eius habebas. Nã, vt ex tuis dictis coniicio, nõ amantẽ, sed amatũ amorem esse putabas, & idcirco pulcherrimum tibi amorẽ esse visum existimo. [a] Amabile quidem ipsum reuera pulchrũ est, delicatũ, perfectũ, & beatissimũ. Amans aũt aliã talem ideã habet, qualẽ in superioribus figuraui. Esto, inquam, vt ais, hospes, præclarẽ enim loqueris. Cùm verò talis sit amor, ad quid conducit hominibus? Hoc deinceps, ô Socrates, docere conabor. Talis quidem est, & ita genitus amor. [b] Est autem pulchrorum, vt ipse inquis. Verùm si quis ita quærat, cuius gratia amor pulchrorũ est, ô Socrates, atque Diotima? Imò ne clamus Quid pulchra amat, quid ab his potissimũ expetit? Quid respondebimus? Adesse videlicet sibi. At hæc responsio quæstionẽ huiusmodi vlterà requirit. Quid erit illi cui pulchra aderũt? Nihil in prõptu quod respondeã habeo. Siquid verò, inquit, mutatis vocabulis, & bono pro pulchro vtens, percontetur. Qui amat bona, quid expetit? Adesse sibi, inquam. Quid huic erit, cui bona aderunt? Facilior ad ista responsio, inquã Felix enim erit. Possessione sanè bonorũ beati sunt quicũque beati, [c] neque requirere vlterius opus est, ad quid felix esse velit, qui felicitatẽ optat sed finẽ iã respõsio habere videtur. Vera loqueris, inquã. Nunquid hanc voluntatẽ amorémq; cunctis censes hominibus esse cõmunẽ? omnésq; velle bona sibi semper adesse? Cõmunem planè. Cur ergo non omnes, ô Socrates, amare dicimus, siquidem omnes & eadẽ, & semper amant, sed quosdam amare, alios minimè? Admiror & ipse.

[a] *Amabile pulchrũ est.*

[b] *Amor est pulchri.*

[c] *Omnis homo felix esse vult, propositio immediata.*

Sed

Sed ne mireris. [a]Nam ſpeciem quádam amantium ſeligẽtes, Amorem denominamus, totius nomen attribuentes. In aliis autẽ, nominibus aliis vtimur. Exemplo, inquam, quodam declara. Vt ecce. Scis vtique facere, amplũ quiddam eſſe, facere ſiquidem generatim dicitur cauſa, qua vnumquodque ex non eſſe ad eſſe procedit. Quapropter omnes cuiuſque artis actiones, effectiones ſunt, & artifices omnes poetæ, id eſt, factores. Vera narras, inquã. Vides tamen quod non vocantur poetæ, ſed alia nomina ſortiũtur, ex omni verò factione, vna ſelecta particula, quæ ſcilicet circa muſicã carminaque verſatur, totius nomine nuncupatur. Poeſis enim, id eſt, effectio, hæc ſola vocata eſt: quíve hãc effectionis particulã habent, poetæ. Vera hęc ſunt, inquã. Idem quoque circa amorem accidit. [b]Nã ſummatim quidem omnis bonorum felicitatíſque appetitio, maximus & inſidiator amor eſt cuique. Verùm qui ad bonũ ſtudio pecuniarũ, vel gymnaſticæ, vel ſapientię proficiſcuntur, nec amare, nec amatores cognominantur. Qui verò ſecundum certã ſpeciẽ ad id contendunt, totius nomen ſubeunt, amorẽ videlicet, & amare, & amatores. Rectè loqui videris. Nonnulli ferunt, eos qui dimidium ſui perquirunt, amare. Ego autem, neque dimidii, neque totius amorẽ aſſero, niſi aliquo pacto ſit bonũ: quandoquidẽ & manus & pedes, ſi videãtur ipſorum mala ac pernicies eſſe, vel à ſeipſis homines abſcindere volunt. Nõ enim ſuũ quiſque diligit: niſi fortè quiſpiã quod bonum eſt, ſuũ ac propriũ cuiuſque vocet: quod verò malum, potius alienũ. Quippe cùm nihil aliud præter bonum homines ament. Nonne ſic & tibi videntur? Sic vtiq;. Simpliciter ergo

[a] *Amor qui vulgò dicitur eſt ſpecies quædam amoris vniuerſaliter accepti.*

[b] *Omnia bonorum felicitatuq; appetitio maximus cuique eſt Amor.*

[a] *Propriũ obiectum amoris est bonũ.*

dicendum est, [a]homines bonũ amare? Proculdubio. An nõ addendũ, quòd adesse sibi bonũ cupiunt? Addendum, Nec adesse solùm, sed & semper adesse? Et semper. Est igitur summatim amor appetitio, qua bonũ sibi semper esse quis cupit. Vera nimium loqueris. Postquam huiusmodi quiddam semper vniuersalis est amor, potésne dicere quæ potissimùm appetendi conditio, quíve prosequendi modus, & in quali vel actione vel studio Amor proprie nominetur? Si id ostendere potuissem, nunquam sapientiã tuã admiratus essem Diotima, neque discẽdi gratia ad te venissem. At ego dicã. [b]Est, inquam, hoc partus in pulchro, tam secundum animam, quàm secundum corpus. Vaticinio opus est ad id quò ais intelligendum. Hoc enim nullo modo percipio. Dicã equidem planius. Omnium, ô Socrates, hominum prægnans & grauidum corpus est, prægnans & anima. Et cùm primùm ad certam ætatem peruenerimus, parere nostra natura cupit: parere verò in turpi nequit, in pulchro potest. Viri sane mulieríque cõgressu fœtus partúsque prouenit. [c]Est autem opus hoc diuinum, & in animali ipso mortali, immortale hoc est, conceptio scilicet & generatio. Hæc in eo quod sine proportione & dissonum est, expleri nequeunt. Dissonum autem est quod turpe, ab omni quod est diuinum: pulchrum verò diuino consonum. Parca igitur & Lucina generationi pulchritudo ipsa est. Quocirca quoties pulchro quod grauidum est adhæret, lætitia gestit, hilaritate & voluptate diffunditur, paritque & generat. Contrà verò cùm turpi propinquat tristitia quadã & dolore contrahitur, abterretúrque & cohibetur nec gignit, sed

[a] *Amor est appetitio partus in pulchro tam secundum animã quã secundũ corpus.*

[b] *Conceptio & generatio est opus diuinum & immortale in homine mortali.*

sed fœtum retinens angitur. Quapropter quod concipit, & iam luxuriat, adultúmque ad generationem anhelat, circa pulchrũ [maximè versatur & agit,] quoniam inde acri anxietate leuatur. Est enim amor non pulchri Socrates, vt tu putas. At cuius, inquam? Generationis partúsque in pulchro. Sit ita, inquam ego. Maximè, inquit. Cur generationis? Quia sempiternum quiddam est & immortale, vt in mortali, generatio: immortalitatem autem vnà cum bono appetere necesse est, ex illis quæ suprà concessimus, quandoquidem amor est appetitio, qua bonum sibi quisque semper adesse desiderat. Ex his concludiur [a] Amorem immortalitatis quoque esse. Hæc omnia mihi Diotima tradidit, cùm de amatoriis sermonem habuit. Necnon sic interrogauit, Quam huius amoris cupiditatisque causam, ô Socrates, arbitraris? An non vides quàm grauiter afficiuntur animantes omnes, & quæ gradiuntur, & quæ volant, cùm ad generationem toto impetu proferuntur, & amoris ardore insaniunt? Primò quidem generationis causa quàm vehementer congredi concupiscunt. Deinde quantum circa natorum alimenta laborant. [b] Horúmque causa imbecilla etiam animalia aduersus robustissima, prælia poscunt, & pro illis occũbere parata sunt, ac fame deficere, modò filios nutriãt, & aliud quodlibet audacter aggrediuntur. Homines quidem forte putaret quispiã rationis discursu hæc agere, brutis autem quænam amoris tam ardentis causa est? Assignare hanc potes? Minimè, inquam. Credisne, inquit, in amatoriis peritus fore, dum hæc ignoras? Ob hanc causam ad te, ô Diotima, vt suprà dixi, con-

[a] *Amor ne-ster fertur etiam ad immortalitatẽ.*

[b] *De animãtiũ erga natos charitate.*

fugio, quia præceptore me indigere cognosco. Horum itaque precor, & aliorum quæcunque ad amorem attinent, causam afferas. Si credis illius naturæ amorem esse, cuius sæpe iam diximus, ne mireris. Ex hoc enim similiter vt ex superioribus, a natura mortalis, semper & immortalis esse pro viribus nititur: hoc autem generatione duntaxat assequitur, quoniam semper alterum iuuenem veteris loco substituit. b Enimuerò eo ipso in tempore, quo animalium vnumquodque viuere dicitur, idémque esse, vt à pueritia ad senectutem, quamuis idem dicatur, nunquã tamen in seipso eadem continet, sed nouum semper efficitur, & vetera exuit, secundum pilos, carnem, ossa, ac sanguineum, & vniuersum corpus. Neque in corpore solùm, verumetiam in anima id contingit. Mores, consuetudines, opiniones, cupidines, voluptates, dolores, atque timores continuè permutãtur. neque quicquã ex istis idem & simile perseuerat, sed priora quidem abolentur, noua verò succedunt. Quinetiam quod mirabilius est, scientiæ quoque non solùm euanescunt, aliæ surgunt, neq; semper secundũ scientias iidem sumus, verũetiã vna quæuis scientiarũ idẽ patitur. c Quod enim dicitur meditari, quasi exierit, sciẽtia dicitur. Obliuio nanque scientiæ exitus est. Meditatio verò nouã memoriã semper abeuntis loco restituens, scientiã seruat, vt esse eadẽ videatur. Hoc vtique pacto omne mortale seruatur, non quia semper omnino idem sit, vt diuinum, sed quia quod tabescit, & abit, nouũ & simile sibi relinquit. Hoc remedio Socrates, quod mortale est siue corpus, seu quodlibet aliud particeps immortalitatis euadit: quod verò

a *Natura mortalis semper immortalitatẽ appetit.*

b *Assidua mutatio in corpore & anima.*

c *Scientia quomodo renouatur in homine.*

rò diuinum & immortale, alia ratione. Quamobrem mirari non debes, si omnia germen suũ natura chariſſimum habeant. Nã immortalitatis gratia nixus huiuſmodi atque amor cuilibet ineſt. Cùm hæc audiuiſſem admiratione commotus, inquã. Siccine, ô ſapientiſſima Diotima, reuera de iis iudicandũ? Tum illa, vt perfecti ſophiſtæ ſolent. Certò ſcito, inquit, ô Socrates. [a] Etenim ſi gloriæ ſtudiũ quod hominibus ineſt, conſiderare volueris, admiraberis ruditatem tuam, quòd ea quæ dixi, non ſatis comprehenderis. Cernes quidem quàm vehementer exoptent, notos ſeſe omnibus exhibere, & in futurũ immortalem gloriã conſequi. Nam huius gratia magis quàm filiorũ, pericula ſubeunt, pecunias erogant, laboréſque nullos reſpuunt, ac denique ſeſe morti exponunt. An cenſes Alceſten pro Admeto mori voluiſſe, aut Achillẽ in vltione Patrocli occumbere, aut veſtrũ Codrum pro filiorũ regno perire, niſi immortalẽ virtutis memoriã, qualis apud nos extat, conſecuturos ſe præſagiſſent? Longè abeſt, inquiebat. Imò pro immortali virtute & honeſta opinione cuncta hæc, vt arbitror, omnes agunt: & quò meliores homines ſunt, eò magis ad iſta contendunt. Nam immortalitatẽ amãt. Quicunque igitur corpore fœcũdi ſunt, ad fœminas ſe magis conuertunt, atque ita amant, & filiorum generatione immortalitatem, memoriam, felicitatem, per omne tempus aſſequi ſperant. Sunt & qui animam grauidam atque fœcundam magis quàm corpus habeant. hi ſanè concipiunt ea quæ animæ & concepiſſe & concipere conuenit. Sed quídnã conuenit? Prudentiã videlicet: aliáſque virtutes, quarum rerũ poetæ omnes genitores ſunt,

[a] *Gloriæ & immortalis nominis cauſa omnia præclara ſiunt à præſtantibus naturis.*

Iliad. 6.

nécnon artifices illi qui inuentores dicuntur.
[a] Maxima verò, & omnium præstantissima prudentia est qua ciuilia & domestica gubernantur, cuius nomen est temperantia atque iustitia. Quisquis ergo virtutum huiusmodi natura plenus & grauidus est, ideóque diuinus, ætate debita imminente parere iam generaréque affectat, & idcirco passim vagatur, quærítque pulchrum, in quo generet. in turpi nanque minimè generaret. Quapropter corporibus speciosis magis quàm deformibus gratulatur, vtpote prægnans. Quod si animã præterea pulchrã, generosam, docilémque reperiat, vtraque pulchritudine concurrente mirificè delectatur, & coràm homine illo confestim de virtute loquendo facundia pollet, qualis esse debeat vir bonus edisserens, quódve sit eius officiũ, atque hac doctrina imbuere illũ studet. Adhærens quippe pulchro, eóque familiariter vtens, quæ quondã conceperat, parit & gignit, illius tã in absentia, quã præsentia memor: quódve inde nascitur, cum illo cõmuniter nutrit atq; educat. [b] Vnde augustiorẽ communionẽ, firmioréque amicitiã viciſſim contrahunt, quàm mortaliũ filiorum parentes, vtpote qui in filiis immortalib magis pulchrioribúsque vnã cõmunicant. Etenim huiusmodi filios quilibet potius quàm humanos eligeret, præsertim qui Homerũ Hesiodũque consideret, & poetas alios, æmuletur, dũ cernit quales filios reliquerũt: qui cũ immortales sint immortalẽ quoq; gloriã memoriãque parentibus præbuerũt: qualésq;, si tibi placet, Lycurgus Lacedæmoniis reliquit filios, Lacedæmoniæ ac totius penè Græciæ seruatores. Honoratur & apud vos propter generationẽ legum

[a] *Temperãtia & iustitia ciuilia & domestica gubernantur.*

[b] *Ingeniorũ magnorum fœtus suis procreatoribus immortale decus pepererunt.*

ipſo

ipſe Solo, aliíque permulti alibi apud Græcos & Barbaros, qui multa atq; præclara opera demõſtrarũt, virtutẽ omnẽ progenerãtes. Quib. ſacra ac tẽpla multa, ob huiuſmodi ſæpe filios dicata ſunt, ob humanos verò adhuc alicui nũquam. In his vtique amatoriis, ô Socrates ipſe forſitan initiari poſſis. Vtrũ verò [ad perfecta, & penitiora ipſiſque oculis intuenda amatoria ſacra, quorũ gratia hæc ſunt ſi quis illa rectè obierit, nescio an ipſe poſſis penetrare.] Dicam tamen, omnique ſtudio tibi opitulabor. Tu verò pro viribus ſequi me nitere. Oportet eum qui ad hoc recto ſit tramite progreſſurus, ſtatim ab adoleſcentia pulchra corpora contemplari: & primùm quidem ſi modò rectè ducatur, vnum corpus amare, ibíque rationes pulchras producere, cogitare deinde pulchritudinem quæ corpori cuilibet ineſt, alterius corporis eſſe germanam. Et ſi ſequi decet quod in ſpecie pulchrum, abſurdum eſt credere eam quæ omnibus corporibus ineſt, non vnam eandémque pulchritudinem eſſe. Et qui hoc aduertit, omnium ſimpliciter pulchrorum corporũ amator euadere debet, amoris autem erga vnum vehementiã hac ratione remittere, atque vnus ſpeciem parui facere. Poſt hæc pulchritudinem quæ animis ineſt, illa quæ in corpore præſtantiorem exiſtimet adeò vt ſiquis animi ingenui ſit, quamuis [exiguo corporis flore ſit præditus,] ſufficere tamen arbitretur, & amet, curétque, & rationes huiuſmodi pariat, quęrátque ſermones omnes qui reddere meliores adoleſcentes poſſint: vt hinc ad pulchritudinem quæ in officiis ac legibus reperitur: inſpiciendam ducatur, intelligátque illã omnem ſibiipſi vniformem

cognatámque exiſtere, vt eam quæ circa corpus eſt pulchritudinem parui faciat. Poſt officia legéſque, ad ſcientias tranſeat, vt ſcientiarũ pulchritudinẽ contẽpletur: dúmque id quod ampla exuberat pulchritudine, cõtuetur, haud amplius tanquã mancipiũ vnius puelli ſpeciẽ admiretur: neque vnius hominis vel officij pulchritudine ſit contentus. Nam quiſquis in hoc delinquit, exilis & abiectus eſt ſeruus. [a] Verùm in profundum pulchritudinis ſe pelagus mergat vbi ipſo intuitu multas præclaras atque magnificas rationes intelligentiáſque in philoſophia abundè pariat, donec ibi confirmatus & roboratus, ſcientiam iam vnam talem intueatur, quæ pulchri talis exiſtit. Aciem verò mihi nunc mentis pro viribus adhibe. Quicunque hucúſque per amatoria gradatim deducitur, recto ordine pulchra intuitus, ad finem iã amatorij affectus perueniens, ſubitò quandã naturã mirabilẽ inſpiciet pulchritudinem. Hoc illud cuius gratia labores omnes præcedẽtes ſubiuimus. [b] Principiò quidẽ ſemper eſt, nec fit, nec interit, neque creſcit vnquã neque decreſcit: præterea non hac ex parte pulchrũ, ex illa turpe, vel tũ pulchrũ, tũ minimè. Neque ad hoc quidem pulchrũ, turpe verò ad illud. Vel hîc pulchrũ, ibi turpe, vt quibuſdã pulchrũ ſit, quibuſdã verò nequaquã. Neque rurſus imaginatione quadã ipſum pulchrũ ita fingetur, quaſi vultus pulcher, vel pulchræ manus, aut aliud quiddam cuius corpus eſt particeps. Neque vt oratio quædam, aut ſcientia quædam. Neque in alio iacere putabitur, velut in animali, vel terra, vel cœlo, aut alio quopiam, ſed idipſum per ſeipſum cum ſemetipſo vniforme ſemper exiſtens. Cætera verò omnia

[a] *Ex inſpectione multorum pulchrorum, deueniendum ad Vniuerſalem quãdam Pulchri ſcientiam.*

[b] *Idea ipſa perfecta pulchri, Deus, ad cuius cõtemplationẽ nos intuitu horum ſenſibilium, & intelligibiliũ pulchrorum tanquã per gradus quoſdã aſcẽdere oportet.*

omnia quæ pulchra sunt, illius participatione pulchra, ea scilicet conditione, vt nascentibus & intercuntibus aliis, nihil subtrahatur illi, aut addatur, neque passionem vllam incurrat. Quando verò ab his aliquis rectè pueros amando ascendens, illud ipsum pulchrum contueri incipit, fermè iam finem attingit. Hoc est profectò ad amatoria rectè pergere, vel ab alio duci, quando videlicet quis ab his pulchris gratia pulchri illius ascendere incipit, quasi quibusdam gradibus vtens, atque ab vno primum in duo transiens, & à duobus in omnia quæ pulchra sunt corpora, ab his in omnia officia pulchra, à pulchris officiis ad doctrinas pulchras conuersus, à doctrinis denique multis in illam doctrinam perueniens, quæ non alterius est quàm illius ipsius pulchri doctrina: atque ita demũ quid ipsum pulchrũ sit, contẽplatur. In hoc vtique vitæ statu, ô amice Socrates, inquit hospes illa vates, si vsquã alibi, homini videlicet ipsum pulchrũ spectanti viuendũ. Quod si quando videris, suprà quàm dici possit pretiosius auro ornatisq; vestibus, & pulchris pueris adolescentibúsque censebis. Quos nunc & tu & alij multi, dum spectatis, nimiũ obstupescitis, & si fieri posset, eligeretis inter illos semper cibo potúque neglecto versari. [a] Quàm felix illud spectaculum fore putamus, si cui contigerit, vt ipsum pulchrum intueatur, syncerum, integrum, purum, simplex, non humanis carnibus, coloribus, non aliis mortalibus nugis contaminatum, sed ipsum secundum se pulchrum diuinum inspiciat. Num vitã huiusmodi parui facias, hominis videlicet ipsius qui illuc suscipit, qui tam præclarum spectaculũ contuetur, qui illi

[a] *Ipsum pulchrum si oculis cerni posset incredibiles sui amores in nobis excitaret.*

cohæret? Nónne cogitas quod ſibi ſolum cernens ille eo oculo pulchrum quo percipi poteſt, non imagines virtutis vlterius, ſed virtutes ipſas pariet? quippe cùm non ſimulachrũ, ſed rem ipſam attingat. Cúmque virtutem veram pariat, atque alat, Deo amicus efficietur, & ſi quis alius hominum, is maximè immortalis exiſtet Hæc ô Phædre, aliíque conuiuæ, Diotima narrabat. Cui fidem adhibeo, atque aliis perſuadere ſtudeo, hominem naturam haud facile poſſe ad beatæ immortalitatis poſſeſſionem quicquam legitimo amore conducibilius inuenire. Quamobrem honorandũ amorem ab omnibus hominibus cenſeo Equidem amatoria colo, méque ſummopere in his exerceo, aliósque exhortor. Et nunc quidem ac ſemper pro ingenij facultate amoris vim & fortitudinem laudo. Hunc, ô Phædre, ſermonem, ſi vis, quaſi laudationem quandam amoris exiſtima: ſin autem aliter appellare placet, appella. Cùm hæc Socrates, dixiſſet, reliqui omnes probarunt. Ariſtophanes autẽ dicere, quidpiã conabatur, quia Socrates cũ diceret, mentionẽ ipſius quodã loco fecerat. Sed repentè veſtibuli oſtiũ percuſſum ſonitũ dedit, & clamor debacchantium iuuenum tibicinæque auditus. Tum Agathonem dicere, Videte miniſtri, quínã homines aduẽtarint, & ſi quis familiaris noſter interſit, ad nos accerſite. Si nullus, nos haud amplius bibere ſed iam quieſcere nunciate. At paulò pòſt, vocẽ Alcibiadis audierunt, ebrietate inſultantis, altiúſque in veſtibulo clamantis, & percontantis vbi eſſet Agathon, iubentíſque ſe ad Agathonem deduci. Eum igitur tibicina aliíque cõtubernales ducebãt, & adtores veſtibuli ſiſtebant, corona quadam

dam ex hedera violisque conserta redimitum, vittisque multis circundatū, clamantémque, Saluere vos iubeo viri, ebrium valdè hominē compotatorem suscipite. Vel abeamus. Agathonem solum coronantes, cuius rei gratia venimus. Heri equidem interesse nequiui, hodie veni vittas ferens, vt à meo capite sapientissimi pulcherrimique caput, (si ita dicam) reuincirem. An me velut ebrium deridebitis? ego verò, rideatis licet, vera tamen loqui me scio. Respondete clarè, nunquid ad hęc ingredi permittatis? compotetis an non? Hîc acclamasse omnes iussisséque ingredi, atque accumbere. Accersiuit & Agatho. contubernales igitur adducebant. ille vittas tollens & Agathonis caput circundaturus, Socratem licet in conspectu esset non vidit. Prope Agathonem igitur assedit, inter hunc & Socratem medius. Ei nanque Socrates cesserat. Cùm sedisset, Agathonem complexus est colo nauítque tū dixit Agatho. Soluite calceos Alcibiadi, inquit, ô pueri, vt sic velut tertius accū bat, prorsus dixisse Alcibiadem, & quis tertius conuiua esset, interrogasse conuersúmque Socratem vidisse, cúmque resiliisset, Prò Hercules dixisse quid hoc est? hîc etiam insidiatus mihi ô Socrates consedisti? Sic semper soles, vbi minimè omnium expectarem, protinus mihi occurrere: & nunc cur huc venisti? Cur hîc potius quàm apud Aristophanem sedes? aut si quis alius ridiculus hîc est, videríq; vult? Sed calidè excogitasti, qui iuxta conuiuarum pulcherrimum hîc sederes. Socratem autem Agathonem conuersum. Vide, dicere, Agatho, si quo pacto mihi succurrere pores; Amor quippe huius hominis haud leue quid-

dã mihi extitit. Ex eo nanq; tempore quo hũc amare cœpi, nunquam mihi licet aut aspicere pulchrum aliquẽ aut alloqui, quin iste zelotipus, id est amatoria suspicione captus, & inuidens mira quædam tentet conuicietúrque, imò vix se continet quin manus inferat. Vide igitur ne in præsentia tale quid agat sed nos concilia: vel si vim inferre conetur, opitulare. Nã huius furor & amatorius impetus me maximè terret. Ad hæc Alcibiades, Inter me ac te conciliatio nulla cadit, sed horum causa aliàs te vlciscar: nunc autem Agatho mihi aliquas ex his vittis impertias, vt & huius mirabile hoc caput exornem, ne mihi succenseat quòd te coronauerim, non ipsum qui omnes homines sermonibus superat, non nuper tantùm vt tu sed semper. Acceptis itaque vittis, coronauit Socratem, ac sedit. sedens autem inquit, Agedum homines. Nimium mihi sobrij videmini, neque permittendum vobis id censeo. bibendum est enim. Nam inter nos id conuenit. Ergo bibendi principem donec satis biberitis me vobis propono. Ferri iube Agatho, si quod adest amplũ poculũ. sed nihil opus est, imò feras huc puer vas illud, quod plures quàm octo * pateras capere videtur. Cùm vas impleuisset, prior ipse bibit, Socrati deinde infundi iussit, & inquit, Aduersus Socratem, ô conuiuæ doli nihil prosunt. Quantuncunque quis iusserit, ebibet, nec ebrium vnquam videbitis. Socrates, cùm infudisset puer bibit. Tum Eryximachus, quid agimus Alcibiades: Ita nec loquimur quicquam super calicem, neque canimus, sed quasi sitientes bibimus? Ad quẽ Alcibiades, Salue optime Eryximache, optimo & prudentissimo patre nate. Et tu salue, Eryxi-

* Cotylas, siue Heminas.

Eryximachus subiunxit. verum quid nobis agendum? Quod, inquit Alcibiades, tu præceperis. Tibi quidem parendum est. *Vir medicus multis alijs præstabitur vnus.* Impera ergo quodcunque lubet. Audi iam, inquit Eryximachus. Antequam ingredereris, visum fuit ab vnoquoque præsentium facto in dexteram circuitu, deinceps Amore pro ingenij facultate laudandũ. Nos quidem singuli diximus, tu quoq; cùm nõ dixeris, biberis autem, iure dicere debes: & cũ dixeris, tunc demũ Socrati quicquid volueris imperabis. Socrates quoque illi qui ad dexteram succedit similiter, cæteríque deinceps. Præclarè loqueris, inquit, Eryximache. Sed non æqua ratio videri debet, vt ebrius cum sobriorum oratione verba sua conferat. Sed ô beate vir, persuasítne tibi Socrates quidquã horũ quę paulò antè narrauit? Vel scis contra esse omnino. Hîc enim si eo præsente quenquam laudauero, vel Deum, vel hominem alium quàm hunc ipsum, manus non continebit. Bona verba quæso dixisse Socratem. Nihil ad hæc dicas respondisse Alcibiadem: per Neptunum enim neminem alium te præsente laudabim. Sic agendũ inquit Eryximachus, vidétur, & si vis Socratem lauda. Quid ais? inquit Alcibiades. Oportere videtúrne Eryximache? hunc virum aggrediar, & coram vobis vlciscar. Quid cogitas? dixisse Socratem: de ridiculis quibusdam me laudabis? An quid ages? Vera loquar, inquit Alcibiades, permittísne? Vera quidem, dixisse Socratem, loqui permitto, ac etiam iubeo. Parebo, inquit Alcibiades, quàm libentissimè, modò id assequi possim. Vetùm tu obserua, & siquid minus verum refero, interpella vt lubet, mendaciúm-

Iliad. λ.

que redargue. Nunquam enim spontementiar. Neque miretis, si aliud aliunde vtcunque redit in memoriã reuoc⁹. Nam haud facile est homini sic affecto duros tuos mores facundè certóque ordine numerare: Socratem autem, ô viri conuiuæ sic per imagines laudare conabor. Iste igitur fortè suspicabitur, ne ad ridicula sermonem conuertam. Sumetur autem imago veri non ridiculi gratia.

ALCIBIADES COLLAVDANS Socratem.

*Vide pro apud Trat. Sileni Alcib.

SOcratem affero persimilem Silenis istis qui sedentes inter alias imagines à sculptoribus figurantur, ita vt fistulas tibiásue teneãt. Qui si bifariam diuidantur, reperiuntur intus imaginem habere Deorum. Satyro quoque[a] Marsyæ similem esse dico. Et quod aspectu quidem es persimilis, ne tu quidem ô Socrates, negabis. Quòd verò in aliis quoque similitudinem eorum habes, deinceps iam audi, procax & contumeliosus es, annon? si non fateris, equidem testes adducam. An non tibicen? Et tibicen quidem Marsya longè præstantior. Ille enim instrumentis quibusdam homines demulcebat oris potentia, & nunc etiam siquis modulatione illius vtitur. Nam illa quæ Olympus modulatus est, [b]Marsya docente modulatũ esse dico. Eius igitur harmonia seu vir quidam bene, seu fœmina malè vtatur, sola animos attrahit, & quia diuina est, ostendit quinam diis mysteriisque indi-

[a] *Marsyas Satyrus.*

[b] *Olympus Marsya discipulus.*

indigeant. Tu autē in hoc dūtaxat differs ab illo, quòd sine vllo instrumēto nudis quidē verbis hoc idē efficias. Nos certè quoties aliū audiuimus alterius verba referentem, etsi nimiū boni oratoris, tamen nullius, vt ita dixerim, illa facimus. At cùm quis te audit, aut tua verba quouis alio referente, quanuis ineptus ille sit qui refert, & siue vir seu fœmina siue adolescentulus audiat obstupescimus quidem, ac mente corripimur. [a] Equidē nisi suspicarer, ne fortè nimis ebrius videar, iureiurando interposito affirmarem, qualia mihi aliàs ab huius verbis contigerunt, contingántque etiā nunc. Quoties enim hunc audio, multò magis quàm hi qui Corybantum more furiunt, cor in me concitatur ad huius verba, lachrymásque effundo, videóque multis aliis hoc idem contingere. Et cùm Periclem audiebam cæteróſque oratores bonos, videbantur illi quidem mihi præclarè dicere, sed nihil tale mihi contingebat neque concitabatur animus, neque [indignabatur quod instar mancipij se haberet] Sed ab hoc Marsya nostro sæpe ita inflector, vt existimē nullo modo in hoc statu vitę mihi esse viuendum. Hæc ô Socrates ne negaueris. Quinetiā certò scio, si in præsentia aures illi præbere velim, minimè tolerarem, sed eadem illa mihi euenirent. Cogit enim me fateri, quòd cum ipse ego in multis deficiam, tamen meipsum negligo, rémque populi Athenienſium curo. Vi ergo quali aduersus Sirenas obturans aures, hunc fugio ac vito, ne apud eū sedens consenescā. Patior autem erga hunc solū, quod nemo de me existimaret, vt alicui[a] pudor ac verecūdia me teneat. Atqui hūc solū vereor. Cōscius. n. mihi sum, cōtradicere me non

[a] *Mira Socratis ad persuadendum vis.*

posse,quin sint agenda quæ iubet, sed quũ ab eo discedo, populari ambitione me superari. Fugio igitur hunc atque vito,& quoties ipsum intueor, verecundia me, quia promissa non seruauerim,capit, vt sæpe cupiam hunc è vita decedere.Rursus verò si acciderit,scio me longè id iniquius toleraturum.Itaque quò me vertam,aut quemadmodum hoc vtar nescio. Et à modulationibus quidem Satyri huius talia mihíque & multis aliis contigerunt. Cætera verò audite, vt similis sit his quibus ego similem esse dicebã,& vim quam mirabilẽ habeat,intueamini.Scitote neminem vestrũm Socratem cognoscere. Sed ego vobis ostendam quandoquidem dicere iam incepi. [a] Cernitis quàm vehemẽter Socrates erga pulchros afficitur?sempérque inter eos versatur & obstupescit?ignorat omnia, nihil nouit. figura profectò hæc Silenis est persimilis. Scitote igitur eum hac habitus forma exterius amiciri, tanquam sculptum quendam Silenum.[b] Intus verò si aperiatur mira,ô viri conuiuæ, castimonia & integritas inest.Neque pulchritudinem corporis cuiusquam quisquam æstimat.neque diuitias,neque honores,neque cætera quæ vulgus admiratur,sed ea cuncta suprà quam existimari queat longè spernit ac pro nihilo ducit. Quocirca nullo nos esse apud eum pretio vobis asserò:fingit tamen ironicus aliter, ac iocari palam de his rebus nunquam cessat.Seriò autem agentis atque intus aperti,nescio vtrum quisquam vestrum diuinas quæ intus latent imagines vnquam inspexerit. Ego cerè quandoque eas cõspexi,atq; mihi visæ sunt vsque adeo diuinæ, & aureæ,& formosæ, & mirabiles vt nullo modo fas existimem aliter quàm

a Socratis amores erga pulchros casti fuerunt teste Alcib.

b Socrates Iron.foris de formis, intus mirè pulcher.

quàm Socrates præcipit, agere. Ego iã aliquãdo ô viri conuiuæ, Socratem arbitratus mea specie reuera admodum delectari occasionem hanc mirificam felicémque ad id quod affectabam, me nactum esse putaui. Gratificari quippe Socrati constitui, vt quæcunque ille nouerat, mecum communicaret. Nam magnũ aliquid & mirificum formositatem meam existimabam, eáque plurimum fidebam. Cúmque antea nunquam sine comite cum eo loqui consueuissem, quandoque dimisso comite, solus cum eo restiti. Vera vobis omnia aperienda sunt. Attendite obsecro. Si mentior Socrates, ipse redarguet. Restiti equidẽ, ô viri conuiuæ, solus cum solo, sperans eadem hunc mihi dicturũ, quę amatores amatis cum soli sunt, loqui solent. Qua spe valde lætabar, horum verò nihil actum est, sed vt solitus erat, cùm ad vesperam vsque disseruisset, abiit. Post hæc ad palestram hunc citaui exercuíque, quasi in hac aliquid perfecturus. soli itaque sæpe nos simul gymnastica exercuimus. Quid multis opus est verbis? Nihil mihi successit. Postquam verò hac nequaquam successerat durioribus machinamentis virum hunc aggredi statui, nec ab inceptis desistere. Audite quàm vehementer huic insidiatus sum. Cœnatum accersiui tanquam amator amatis insidiatus. Is nõ facilè nec primò paruit, tandem verò obsecutus est. Venit ergo: sed sumpto cibo confestim abiturus surrexit. Tunc ego pudore detentus, abire permisi. Sed alias vehementiores insidias tendens, post cœnam ad multam noctem sermonem protraxi: cúmque vellet discedere, obiiciens intempestam noctem manere coegi. Quieuit igitur in proximo lecto, super quem

sedens cœnauerat, nec alius præter nos vllus ibi ea nocte dormiuit. Quæ hactenus dicta sunt, sine rubore vbique proferri possunt. Quæ verò sequuntur, non prius audictis quã prouerbium illud recensuerim, [a] Vinum & cum pueris, & sine pueris est veridicũ. Quin etiam iniustum videtur, vt is qui Socratem laudat, superbum & inuictum facinus illius silentio prętereat. Præterea non aliter affectus sum quam ille [b] quem vipera momordit. Illum quippe ferunt qualis sit eius passio aperire nolle, nisi his qui pariter morsi sunt, quasi hi soli, vtpote mali non ignari, ignoscant, si quis cruciatu compulsus, & loqui & agere cuncta non dubitet. Ego igitur præ cæteris adstrictus vehementiori philosophiæ morsu, qui omnium est acerrimus, & siue cor, siue animum, siue quomodocunque id appellandum sit, sau cius cupiditate sermonum philosophiæ, qui acrius quàm vipera mordent, & occupant si quando attigerint iuuenilem animum qui nõ penitus ignauus sit, compellúntque ad quicquid tandem sit, faciendum atque dicendum, ac intuens Phædros, Agathones, Eryximachos, Pausanias, Aristodemos, Aristophanes, Socratem denique ipsum, & cæteros. (Omnes enim mecum vnà philosophiæ furore ac bacchatione correpti estis) propterea audite omnes. Etenim mihi veniam dabitis pro his quæ tunc à me facta, & nunc dicta fuerint. Famuli autem, & si quis alius adsit prophanus & agrestis, aures obstruant. Extincto lychno, famulisque absentibus, visum mihi, ô viri conuiuæ, haud amplius dissimulandum differendúmque, sed ingenuè quod sentirem aperiendum. Tetigi itaque illum dicens, Socrates dormis? Nondum,

[a] *Prouerbiũ vinum est veridicum.*

[b] *Vipera morsus non indicat vulnus nisi iis qui pariter morsi sunt.*

sum, inquit. Scisne quid hactenus mihi visum fuerit? inquam. Qua de re & quid rogas? inquit. Tu mihi solus amator me dignus extitisse, videris inquam, verecundior tamen in amore fuisse. Equidem cùm ita se res habebat, egóque talis sim, stultum esse ducerem, nisi in hoc quoque tibi gratificarer, & in cæteris omnibus, siue meis rebus, siue amicis indigeas. Mihi quidem nihil est antiquius, quàm vt optimus vir euadam. Ad hoc nemo me magis quam tu iuuare potest. Ego autem tanto viro non obsecutus, vehementius sapientum increpitiones vererer, quàm obsecutus insipientium verba: quæ cùm audisset, solita ironia dissimulans, ita respondit, O amice Alcibiades, videris reuera non ignauus vilisque esse, si vera sunt quæ de me refers, & inest mihi vis quædam per quam ipse melior effici possis, & miram in me pulchritudinem conspicis, tua forma longè præstantiorem. Si ita cognoscens, communicare mecum exoptas, & pulchritudinem pulchritudine commutare, tanquam fœnerator multò plus quàm ego reportare contendis. Nam pro opinione veritatem pulchrorum lucrari conaris & aurum pro aurichalco recipere. Sed ô beate, diligentius animaduerte, ne te mea conditio lateat, cùm nullius sim pretij. [a] Tunc sanè mentis oculus acutè incipit cernere, cùm primùm corporis oculus vigorē suum amittere incipit. Tu verò ab hac ætate es procul. Quæ cum audissem, Mea quidem talia sunt qualia dixi inquam. Neque enim in ore vnum, in corde aliud habeo. Tu autem ita delibera, vt tibi & mihi melius fore censes. Probè inquit loqueris, ergo posthac inuicem consultantes agemus quod vtrisque tam in

[a] *Mentis oculus tunc incipit acutè cernere quũ deficiũt corporis oculi.*

his,quàm in cæteris omnibus maximè conducturum putabimus. Cùm hæc audissem, & obiecissem, quasi iaculo quodam saucium existimaui, surgénsque ne verbum quidem vlterius loqui permisi, & hoc amictu quem videtis circundatus,erat enim hyems, substrato huius pallio veteri recubui: & hisce brachiis felicem hunc sapientémque virum penitúsque mirandum amplexus, noctem ic totam quieui.Hæc scio non negabis,ô Socrates. Is tamen formam, qua ego maximè fidebam, spreuit omnino quasi ridiculam, superbéque contempsit. Deos omnes Deásque testor, ô Iudices, estis enim Socraticæ superbiæ iudices, me non aliter surrexisse, ac si cum patre, vel fratre natu maiore iacuissem. Quam mihi mentem post hæc fuisse putatis, cùm me quidem contemptum existimarem, eius autem ingenium,temperantiam & fortitudinem admirarer, virum talem nactus,qualem me prudentia & tolerantia reperturum esse nullum credideram? Quapropter qua ratione illi succenserem ab eóque discederem, haud inueniebam, neque rursus quibus illecebris ipsum mihi conciliarem. Noueram equidem difficilius hunc pecuniis,quàm Aiacem ferro domari posse,& id quod facilius irretiri illum separaueram,me fefellit.Anceps itaque animi huic viro magis quàm alius quisquam alteri mancipatus circunuagabar. Hæc omnia tunc à me facta sunt Procedente[a] post hæc tempore militia illi simul mihíque obuenit aduersus Potidæam,fuimúsque Socrates & ego in eo exercitu contubernales atque conuictores. Primũ quidem laborum patientia non me solum,sed alios omnes longè superabat: & si quo in loco

[a] *Socrates laborum fortis, in media patientissimus.*

eo,vt accidere solet in bello, commeatus deficeret,nulli pares huic reperiebantur ad famem sitimque perferendam. Rursus verò in abundantia rerum & comessatione,mensáque militari solus hic frui posse videbatur. Et quamuis bibere nolle:, tamen si cogebatur omnes protinus bibendo longè vincebat : & quod omnium maxime mirabile est ebrium, quisquam eum nunquam conspexit. Sed hoc mihi adhuc & statim probare posse videtur. Adversus autem hyemes & frigora,quę illis in locis asperrima sunt, mirabilia faciebat. Quandoque enim gelu maximo intolerabilíque facto ita vt nulli exire de tabernaculis auderent & si qui exibant, non nisi suffarcinati admodum, pedésque & crura pellibus pannísque laneis diligenter circumuoluti : Socrates per hoc ipsum tempus ita exibat cum cæteris militibus vt nihil ad eam vestem adiungeret, quã primò ferre solitus erat. Nudis verò pedibus per glaciem facilius incedebat,quàm cum calceis alij. Milites verò hæc intuentes,se contemni ab eo suspicabantur. Et in his quidem talis erat Socrates. Quid autem fecerit tolerantissimus vir in eodem exercitu, operæpretium est audire. Nam cùm aliquando cogitatio quædam incidisset, stetit cogitans eodem vestigio à matutino tempore : cúmque explicare id quod cogitabat non daretur, perstabat cogitans,nec dimittebat:& iam meridies erat, militésque id senserant, ac mirabantur alterque narrabat alteri Socratem ab aurora stetisse cogitantem.Demum verò ab Ionia quidam milites, cùm nox iam immineret, cœnati prius : erat enim tunc æstas, circa eum strata posuerunt & in frigore iacuerunt, illum ob-

seruantes,an per noctem quoque perseueraret. Socrates verò stetit vsque ad auroram sequentem,ac solis exortum. Postea verò abiit,cùm iam solem nascentem salutauisset. [a] In præliis quoque qualis fuerit,non est silentio prætereundum.Nam cum ea pugna fuit, ex qua me quasi optimum pugnatorem duces exercitus præmiis donauerunt, nemo alius me seruauit quàm Socrates. Videns enim me grauiter vulneratum nequaquam deseruit,sed ante me prosiliens,meipsum atque arma mea protexit, ab hostibúsque seruauit. Atque ego tunc ista prædicãs conatus sum,vt non mihi,sed Socrati huic,à quo seruatus eram, dona illa traderentur.Neque ista confutaueris, neque veluti falsa negaueris Socrates. Tunc sanè duces ad meam respicientes dignitatem, donare me maluerunt,te in primis, ô Socrates obsecrante, vt mihi non tibi honor exhiberetur. Sed præclarum,ô viri,fuit Socratem videre,cùm exercitus noster à Delio fugeret. Nam interfui quoque huic prælio, & quidem ex equo pugnans, cùm Socrates ipse pedes esset. Profligatis igitur nostris, ac fuga iam omnium facta,Socrates vnà & Laches pedem referebant. Atque ego cum in hos casu incidissem, bono animo esse iussi néque nunquam deserturum eos dixi. Hîc igitur eò melius aspicere potui Socratem quàm apud Potidęam,quòd ipse cõfisus equo,minus formidabam.Primùm igitur intueri licebat,quanta cautione ac præsenti animo Lachem superaret. Deinde mihi visus est,ô Aristophanes, quod & eum hîc facere ais, *incedere superbus, & oculis quietè omnia circumferrent,cautéque examinans singula.* Hostes siquidem ciuésque vicissim respiciebat, oculis

[a] *Socrates in prælio strenuus.*

& a-

& aſpectu præferens, oſtendénſque vel remotioribus, ſi quis eum inuaderet non eſſe id impunè facturum. Itaque tutè abibat & ipſe & alter. fermè enim qui ita incedunt, nemo eos inuadit, ſed eos qui effuſa fuga deferuntur. [a] In multis quidem aliis mirificè laudari Socrates poteſt, ſed talia ſunt, vt cæteri quoque forſan nonnulli eâdem laudem mereantur: verũ illa præcipua in hoc, per quæ nemini aliorum hominum, neque antiquorum, neque nouorum eſſe ſimilis reperitur. Nam qualis Achilles fuit, talem coniectet forſan aliquis fuiſſe Braſidam & alios quoſdam: & qualis Pericles, tales Antenorem atque Neſtorem. Sunt alij quoque qui hoc modo conferri inuicem poſſunt. Sed qualis Socrates eſt, qualiſque eius mira dicendi ratio, nemo propè ad eius ſimilitudinem accedit, neque veterum, neque eorum qui nunc ſunt, niſi vt ego nunc dixi, atque aſſimilaui. [b] Quippe nulli hominum, ſed Silenis & Satyris ſimilis ipſe eſt, eiúſque ſermones. Nam & hoc à me prætermiſſum erat prius ſermones eius perſimiles eſſe Silenis apertis. Siquis enim huius ſermones audiat, videntur prima, vt fertur facie nimium eſſe abſurdi. Nomina quippe & verba exteriori aſpectu Satyri cuiuſdam contumelioſi habitum præ ſe ferunt. Aſinos enim, fabróſque ærarios, & ſutores calceorum, coriarióſque ſemper habet in ore eadémque ſemper dicere de eiſdem videtur, vt omnes ferè qui minus experti peritiúe ſint, verba illius irrideant. Verùm ſi intus aſpiciat quis eius ſermones, primò quidem reperiet ſenſuum profunditatem habere ſolos aliorum omnium & inſuper diuiniſſimos eſſe ac plurimas virtutum ſpecioſiſſimas imagines

[a] *Socrates incomparabilis.*

[b] *Socrates Silenis & Satyris ſimilis.*

continere, atque ad plurima sese extendere: imò omnia præcepta comprehendere, quibus instrui debet is, qui honestè benéque est victurus. Hæc sunt, ô viri conuiuæ, in quibus Socratem laudo, ac etiam de quibus conqueror. Audistis enim interim quas mihi iniurias intulit. Nec aduersus me solum ita se gessit, verùm etiam aduersus Charmidem filium Glauconis, & aduersus Euthydemum Diocle natum [a], aliósque permultos eadem fecit quos ipse sub specie amatoris fefellit: nam pro amatore amatus euasit. Quamobrem te quoque Agatho admoneo, vt huius simulationes dissimulationésque caueas, & ex his quæ ego sum passus hûc cognoscens rem tuam cures, neque secundum prouerbium, [b] stultorum instar accepto incommodo sapias. Cùm hæc Alcibiades dixisset, eius audacia & loquendi libertate risum omnibus concitatum esse Aristodemus narrabat, quoniam visus est & amore Socratis esse captus. Sobrius mihi videris, ô Alcibiades. Socratem dixisse. Alioquin nûquam ita artificiosè longo verborum circuitu facto id occultare studuisses, cuius gratia cætera omnia dixeras quod in orationis calce, vt [obiter & quasi aliud agens] proferre videris, tandem apposuisti, quasi non omnia idcirco dixeris, vt me ab Agathone dissungeres. Arbitraris me neminem prætet te vnum amare debere. Agathonem verò à nullo alio quàm abs te amari. Verùm non latuit nos quid sibi vellet tuum illud Satyricum Silenicúmque figmentum. Sed, ô amice Agatho, danda opera est, vt nec isti sua machinamenta proficiant nec vllius ea lumniæ inter me ac te iactæ dissidium faciãt. Vera, ô Socrates, Agathonem respondisse, loqui

[a] *Socrates simulãs se amare pro amatore amatus euadebat.*

[b] *Stulti accepto incommodo sapiũt*

qui videris. Quod ex eo coniicio, quia vt nos seiungeret, inter te ac me se medium interposuit. Sed nihil hoc illi proderit: hinc enim surgens prope te sedebo. Sic agendum profectò, dixisse Socratem. hîc infra me sede Prò Iupiter exclamasse Alcibiadem, Qualia perpeti me vir cogit? In omnibus superare me vult. At si aliud nihil, saltem, ô mirifice, medium hîc Agathonem sedere permitte. Nequaquam decet, respondisse Socratem. Tu enim me laudasti. Oportet autem me nunc ad dexteram hûc sedentem laudare. Si ergo post te maneat Agatho, haud me rursus laudabit, prius quàm à me laudatur. Sed dimitte bone vir, neque huic meas laudes inuideas. Equidem laudare illum vehementer desidero. Hui hui Alcibiades, Agathonem ibi dixisse. Quid hîc motor? Hinc iam discedo vt me Socrates laudet. Mos is Socratis est, Alcibiadem respondisse, vti eo præsente nemini liceat alteri formosos sibi conciliare. Vide nunc obsecro quàm facilè & quâ probabili ratione hunc ad se traxerit. Surrexit ergo Agatho, vt apud Socratem requiesceret. Tunc subitò debacchantes multi patentes fores nacti, nam paulò antè quis [vt in locum aliquem, qui erant in regione iret egressus erat] ingressi sunt, & circa illos consederunt. Quorum strepitu turbata sunt omnia, nec vllus post hæc modus in bibendo seruatus. Eryximachum, ac Phædrum, aliósque nonnullos abiisse, Aristodemus recensuit, séque diu dormiuisse, nam longæ tunc noctes erant, & circa auroram gallis iam cantantibus surrexisse. Somno excitum inuenisse, quòd alij quidē partim dormiebant, partim discesserant. Agatho verò, & Aristophanes, atque Socrates soli

[a] *Socrates vigilādo potando, & disputādo indefatigabilis.*

adhuc vigilabant, bibebántque ampla quadam phiala, facto in dexteram circuitu sibi inuicem succedentes. Socrates autē in ipsis disputabat. Neque aliorum se recordari Aristodemus, inquit, neque enim ab initio adfuisse, & somno fuisse grauatum. Summam verò disputationis illius extitisse, quòd Socrates illos fateri cogebat, eiusdem viri officium esse tragœdiam, comœdiámque componere, eúmque qui arte tragicus est, esse quoque comicum. Cùm hæc illi coacti potius quàm persuasi concessissent, se somno dedisse, Aristophanem primò, Agathonem deinde exorta iam luce: Socratem verò dormientibus illis in Lyceum, ipso vt consueuerat, comitante, fuisse profectum, & totum solito se more diem totum exercuisse, ac demum ad vesperam domi requieuisse.

PHAEDRVS, VEL, DE PVLCHRO.

Marsilij Ficini Argumentum.

PLato noster poeticæ musæ, quam à tenera ætate imò ab Apollinea genitura sectatus est, furore grauidus, primum peperit liberum totum penè poeticum & candidissimum candidissimus, & de pulchritudine simul atque Amore vir, pulcherrimus, omniúmque amore dignissimus, vt meritò cæteros quoque liberos deinceps ediderit venustate & gratia plenos à venerea Musa exordium felix auspicatus, solúsque omnium venustatem vbique cum dignitate coniunxerit. Quoniam verò plurima huius libri mysteria in Theologia & libro de Amore expo-

sui-

posuimus, argumentū eius breuissimè perstringemus. Symposium de Amore quidem præcipuè tractat, cōsequenter verò de pulchritudine. At Phædrus gratia Pulchritudinis disputat de amore. Neque ab re omnino inserta est oratio Lysiæ, atque oratoria disputatio. Pulchritudo enim & ad mentem, & ad visum, auditúmque pertinet. Quò fit, vt vbi de animarum nominúmque pulchritudine agitur, itémque de pulchritudine corporis, meritò de orationis pulchritudine disputetur. Statim verò ipso exordio Socrates inter iocandum seria nimium tradit præcepta, Omnia ob sapientiæ studium penitus contemnenda. Potissimum sapientiæ studiū considerare seipsum. Inter hæc artificiosissima loci descriptio allegoricè significat Academiā: Platanus Platonem: Castū arbustum, amoris Platonici & Socratici castitatē: Fōs in communicanda sapientia largitatem: ornamenta cætera oratorios poeticósque flores quib. Academia Platonis abundat. Reprehenditur iure Lysias quòd qualis sit amoris affectus inquirat, neque prius amorē ipsum definierit, neque distinxerit: cōsidera inter hæc amoris Socratici pudicitiam, nonnulla enim minus honesta pronūciaturus obuoluto capite exorditur. Mox inuocat Musas, vt rem minus honestā ipsæ suo saltem splendore elocutionis honestent. Sed antequā turpē vituperet amatorem, ne in eodem sit quo Lysias crimine, turpem amorem desiuit esse cupiditā ē quādam siue libidinem à ratione rebellē, quæ superet opinionē ad recta tendentem, & ad formæ rapiat voluptatem. Sed dum ad definiendum pergit, duos nobis tribuit duces, vnum quidem appetitū voluptatis ingenium, alterum verò legitimam quandā opinionem acquisitam paulatim per disciplinam & ad honesta ducentem. Verùm hos nobis intrinsecos duces, extrinsecci duo mouēt, Dæmō quidā aereus opinionē, aqueus verò libidinem. Postquam verò definiuit, multis

rationibus adolescentes à turpibus amatoribus segregat. Tum verò interea mirabile notæ mysterium, Mosaico mysterio simile. Malorum plurimus in ipso statim principio, dæmon aliquis immiscuit voluptatem. Quoniam verò non tam philosophicam quàm poeticam agit personam, subdit se correptum à dæmone, quòd Amorem Dei nomen vituperauerit. Idq; fecit, vt distincturus Amorem poetico potius quàm dialectico more distinguat. In his animaduertes grauissimum peccatum esse in Dei nomen delinquere. Rursus in animo esse præsagium. Deinde poeticis quibusdam ambagibus artem a furore secernit. Furorem in diuinum diuidit & humanum. Diuinum in quatuor, scilicet in vaticinium mysterium, poesim, atque amorem. Prouidentiam religionémque confirmat. Sapientiam diuino furore infusam humanæ sapientiæ longissimè anteponit. Antequam peragat animarum tractatum particularium, animas in medium communes adducit, scilicet mundi animam, quam nominat Iouem atque sub ea duodecim animas sphærarum duodecim mundanarum quibus subdit totidem ordines dæmonum, totidémque particularium animarum. Singulis verò currus accommodat, id est cœlestia corpora atque sempiterna. De rationalib. animabus disputat, diuinis atque humanis, de circuitu vtrarumque: & qua ratione hominum anima tam in cœlo animarũ cœlestium contemplationem comitentur, quàm super cœlum angelicum sequantur intuitum. Quid verò in anima Currus vehiculum, alæ, auriga, equi, Fatum, casúsque in corpus, quid iterum Iupiter in cœlo magnus, cæteríque Dij sequentes in Theologia exponimus. Satis verò ibi fuerit in præsentia intelligere, geminas alas esse geminum instinctum mentis ingenitum, ad superna animum eleuantem: in intellectu quidem instinctum ad diuinum verum, in vo-

voluntate verò instinctum ad diuinum bonum pro viribus conuertentem. Quando verò hi quidem remittuntur, inclinatio autem vegetalis naturæ intenditur ad corpora gubernanda animas fractu iam alis in elementa descendere Pythagorici putant. Post hæc cadentem de cælo animam in nouem distribuit gradus. In his omnibus & poetica licentia vtitur, & Pythagorica potius quàm propria narrat. Inter hæc animaduerte similem animarum describi casum à Pythagorico, atque dæmonum à prophetis. Numerũ quoq; nouenarium tã choris angelicis, quã lapsis inde dæmonibus cõuenire. Mitto nunc quòd simile quendã casum Pherecydes Syrius narrat dæmonibus accidisse: Additque Ophionẽ, id est serpentem dæmonicum fuisse caput exercitus rebellantis à mente diuina. Huic & simile quod in mysteriis diuinis cõtinetur: Iouẽ scilicet inferiores dæmones ad inferos dæturbasse. Sed ad dialogum redeamus. Denique virum purgata mente deo deditum, omnibus inde bonis impleri, solumq; sapientẽ esse, quãuis quasi extra se positus, vulgò derideatur velut insanus. Post hæc descendit ad diuinũ legitimi amoris furorem, quem accendi putat in animo, quãdo pulchrã aspiciens corporis formã, diuinæ pulchritudinis, quã quòdam cõtemplatus fuerat facilè recordatur, illiusq; recuperandæ desiderio inflammatur, & furit. Sed cõtrarium huic describit furorem quasi ferinum, à forma corporis nõ ad diuinũ intuitũ ascendentẽ, sed ad venereũ cõgressum turpiter descendentem. Describit rursus humanũ quendam furorem inter diuinum atq; ferinũ in eius accensum animo qui admiratione formæ corporeæ occupatus, neq; obliuioni diuinam tradit omninò, neque penitus recordatur. Quo fit, vt neque intemperatus sit omnino, neq; etiã temperatus, sed modò quasi incontinens, modò cõtinens videatur. Quærens postea causas rob quas alii alios aut magis minúsue ament,

confugit ad sidera, quorum ab initio sint comites animæ. Tot enim animarum ordines humanarum in Timæo disponit, quot in cœlo sunt stellæ. Hinc reuertitur iterũ ad vires animæ dividendas: & rationem quidẽ aurigam vocat geminos verò appetitus equos geminos: appetitum rationalem equum bonum, appetitum irrationalẽ equũ malũ: sed in hoc genere appetitũ vergentẽ ad iracundiam, minus malũ, declinantem verò ad concupiscentiã, magis malum. Deinde passiones amantiũ tam continentiũ quam incontinẽtiũ, mutuasq; amorẽ quasi poeta depingit. Quo fit, vt non aliter hu allegoricè indulgendum sit quam canticis Salomonis. Hu actu, cum de pulchritudine quæ ad mentem, & quæ ad visum pertinet, tractauisset, iam ad examinandam orationem Lysiæ pergit, atque oratorii officium demonstrandum, vt pateat qualis orationis pulchritudo sit, quæ pertinet ad auditum. Pulchritudinem orationis in ordine collocat, videlicet vt caput habeat à fine differens, habeat & media, capitis & finis inuicem necessariò copulata. Huiusmodi ordinem in primis ab oratore præcepit obseruauit. Probat autem neminem oratorem rerum esse posse, nisi rerum præsertim humanarum, animorumque scientiam habeat. Quo autem orator id assequi possit, præcipit vt à dialectico facultatem discat dividendi atque componendis quem esse vult præcipuum veritatis indagendæ, inueniendæq; instrumentũ: & in Philebo dei nuncupat donum, propterea quòd sicut in mũdo perpetuum dei officium est dividere atque componere, ita & dialectici est in arte. Ideóq; cõsummatũ dialecticum, id est metaphysicũ iudicat tanquã deum esse colendũ, cõparat posthac inuicem oratores, vituperátque eos, qui verisimile vero anteponentes, populum fallant atque seipsos, stulteq; confidunt quid veri potissimum simile sit, etiã absque veri ipsius notitia posse cognoscere

scere. Mox optima quædam nota præcepta. Tria primum oratori necessaria sunt, Ingenium, Doctrina, Exercitatio. Philosophia opus est ad ipsam maximè cuiusque artis perfectionẽ. Ab exercitatione dialectica, rerúmque contemplatione sublimiũ, tandẽ mẽs in sublimitas vísq; ad agendũ efficax comparatur. Quæ quidẽ duo in artibus maxmarũ perfectione magnopere necessaria sunt. Deinde cõparat oratorẽ non legitimum coquis adulatoribúsque, quemadmodũ in Gorgia: legitimum verò, medico. Proinde regulam tradit, qua tã animi quam corporis, imò rei cuiusq; natura sit cognoscenda. statímq; redit ad oratoris officiũ. Subdit ob ipsum scribendi officiũ literas in Ægypto à dæmone quodam Teuthe vnà cum cæteris disciplinis inuentas fuisse. Deridet præterea scribendi studium, in eo videlicet qui per literas indubitatã posteris confidat pat. facere veritatẽ. Atque Pythagoreorum more probat contemplationẽ traditionémq; veritatis in animos, potius quam in libros. Quod in epistolis quoq; confirmat. Denique solum oratorem laudat: qui ingenio sit studiósq; philosophiæ. Cõcludit verò dialogũ oratione, votisq; pulchritudinẽ animi à deo petentibus. In qua considera Socratẽ cæteris omnino spretis sola pulchritudine animi, id est sapientia esse cotentũ, verũtamen indicare hanc ipsam non tã humano studio quàm diuino munere comparari.

SOCRATES, ET PHAEDRVS.

AMICE Phædre, quónam & vnde? PH. A Lysia ô Socrates, Cephali filio Pergo autem deambulandi gratia extra vrbem. Plurimũ enim tempus cũ eo sedens à

matutino ad hanc vsque horam illic constiti. à tuo autē meóque sodali Acumeno persuasus deambulando exerceor. quod quidē exercitationis genus facilius salubriúsque ille quā currendi certamen existimat. SOC. Probè ille quidē, ô amice, monet. Verūenimuerò Lysias erat, vt videtur in vrbe. PH Erat. nā apud Epicratē diuertit in hanc Olympio proximam Morychi domum. SOC. Quid rei agebatur illic? an videlicet orationis epulo Lysias vos accepit? PH. Scies, modò tibi otium sit obambulandi vnà mecum audire. SO. Quid verò? nónne putas me iuxta Pindarum, negotio etiam antefere, tuam & Lysiæ collocutionem audire? PH. Perge igitur. SOCR. Dicas modò. PHAED. Atqui disputatio illa, ô Socrates, tuis auribus congrua. Sermo nanque fuit qui habitus est, nescio quo modo amatorius. Scripserat enim Lysias solicitatū ex pulchris istis quendā, sed non ab amatore, in eóque ipso sese ostentauit quò probet *non amanti magis, quàm amāti gratificandum esse.* SOCRAT. O generosum virum! Vtinam scriberet inopi potius, quàm opulento, & seni quàm iuueni, & in exteris omnibus ita affecto vt ego & nostrum complurimi sumus, esse gratificandum. Siquidem vrbana & publicè vtilis foret oratio. Me tamen cupido tanta cœpit audiendi, vt si Megaras vsque deambulando proficiscare, atque Herodici more vbi ad murum accesseris, protinus inde recedas, non te relinquam. PH. Quid ais optime Socrates? An putas quæ Lysias multo tempore per otium composuit disertissimus omnium, qui nunc sunt, scribendi, ea me rudem ita vt illo dignum est, cōmemoraturum? permultum certè absum. atque

mallem

mallem equidem id mihi, quàm multum auri adesse. SOC. O Phædre, si ego Phædrum ignoro, mei quoque oblitus sum. sed horum sanè neutrum est. Id enim certè scio, quòd non semel tantũ ille Lysiæ sermonẽ audiuit, sed iussit sæpius recenseri. Lysias autẽ parebat libens. Nec verò Phædro id satis fuit, verũ sumpto de mũ libro, quæ maximè cupiebat, considerauit. Quòd cum fecisset illic à matutino vsq; sedẽdo fatigatus, deãbulatum abscessit. per Canem, vt equidẽ reor, memoriæ mandans, nisi fortè prolixior erat oratio. Tendebat aũt modò extra muros, vt ea ipsa meditaretur. Obuians verò homini sermonũ amore insano, eo conspecto lætatus est, quia cõgaudentẽ, coexultãtémque foret habiturus, ac pergere vnà iussit. Deinde verò ab homine ipso sermonũ auido rogatus dicere, simulabat grauari, quasi nõ cuperet referre: tandem verò, & si nemo sponte audire vellet, erat ad audiendũ illata vi coacturus. Te ergo Phædre rogarim, quòd etiã non rogatus facturus es, mihi nunc vt facias. PH. Satius est igitur vtcunque possum dicere. Videris enim non prius me dimissurus, quàm pro viribus dixero. SO. Verè nimium tibi videor. PH. Sic igitur faciam. Sed enim verba quidem ipsa ô Socrates, non edidici: sententias autem penè omnium, quibus amantem ostendit à non amante differre, teneo equidem, eásque breuiter referre tibi per ordinẽ pergo à principio exordiens. SO. Ostende amabò, prius quid in sinistra habes sub pallio. Suspicor enim te librum ipsum habere. Id si sic est, ita cogita, me quidẽ te magni facere, attamen præsente Lysia, me tibi auditorem præbere non est consilium. sed age, ostende. PH. Desistas. Magna de spe me

deieciſti,ô Socrates, quam in te habui. nempe ingenium vnà tecũ exercitaturus. Sed vbi vis ſedentes legamus? SO. Huc circa Ilyſſum fluuium diuertamus. Poſtea vbi videbitur, ſedẽtes requieſcemus. PH. Peropportunè decalciatus ſum: nam tu quidem ſemper. Facilè igitur erit nobis per aquulam ipſam vadere, & non iniucundũ præſertim hac anni amœnitate atque diei. SO. Perge igitur, & ſimul conſpice vbi ſedeamus. PH. Vides illam altiſſimã Platanum? SOC. Video. PH. Ibi & vmbra, & ventus modicus, & mollis herba, vbicunq; ſedere vel etiam recumbere velimus. SO. Perge igitur. PH. Dic mihi, ô Socrates. Nónne hîc olim fertur Boreas ab Ilyſſo Orythiam rapuiſſe? SOC. Fertur quidem. PH. An non hîc grata, pura & nitida apparet aquula, puellarúmque apta ludis? SO. Nequaquam, ſed paulò inferius ad duo vel tria ſtadia, vbi Dianæ Agrææ templum offendimus, atque ibidem ara quædam eſt Boreæ. PH. Non adeò noui. Sed dic per Iouem Socrates, túne hanc fabulam putas veram fuiſſe? SOC. Iam ſi non putarem, vt ſapientes, abſurdus non eſſem: deinde rem commentans ventũ Boreæ diceré proximis è petris, cum Pharmacia ludenté Orithyam deieciſſe, atque ita mortuam, raptam hinc à Borea fingi, vel ex Areopago. Eſt.n. & alia fama non ex hoc loco, ſed ex alio raptã fuiſſe. [a] Ego autem, ô Phædre, iucunda quidem hęc exiſtimo, ſed curioſi nimium atque anxii, nec porrò fortunati viri, non ob aliam cauſam, quàm quòd ei neceſſe ſit Centaurorũ & Chimeræ formam interpretari. Atque etiã confluit turba Gorgonum & Pegaſorum, aliarúmque monſtroſarũ multitudo formarũ. Itaq; ſi quis

[a] *Quàm inane ſit in explicãdis poetarum fabulis & figmentis hærere.*

quis hæc non ita vt narrantur, esse credat, sed ad conuenientẽ sensum singula velit traducere, rustica quadã sapientia fretus, otio nimium indigebit. Mihi verò ad hæc otium non est, ob eam, ô amice, causam, quia nondum queo secundum Delphicum præceptum meipsum cognoscere. [a]Ridiculum igitur puto, cùm me ipse ignorem, aliena perscrutari velle. Quare his dimissis & iis quæ de his feruntur fide adhibita, non ipsa quidem, sed meipsum considero, vtrum ego sim bestia aliqua Typhone multiplicior, ardentiórque, & furiosior, siue placatius quoddam & simplicius animal diuinæ cuiusdam mitísque sortis naturæ particeps. At, ô amice, nónne hæc ad quam inter loquendum peruenimus, ea erat arbor ad quam nos ducebas? PHAE. Hæc certè ipsa. SOC. Per Iunonem præclara diuersio. Nam Platanus ista patulis admodũ ramis & procera est, & altitudo viticis illius, opacitásq; pulchra nimium & amœna, ac præcipuum nunc habet florescendi tempus, vt omnis circum locus suauitate cõpleatur odoris. Fons quoque nitidissimus sub Platano fluit aquæ admodũ frigidæ, vt ex tactu pedis coniectare liceat: quem nymphis & Acheloo sacrum esse à puppis & imaginibus istis coniecto. An non aduertis præterea quàm iucunda & dulcis hîc aura spiret? Aestiuum insuper quiddam & canorum & cicadarum subresonat choro. Sed omnium ornatissimũ est, herbã ipsam aspicere, vt sensim in prato accliui caput hominis molliter recumbentis suscipere est apta. Itaque tu perquã optimè me quasi hospitem deduxisti, ô amice Phædre. PH. O admirabilis vir, absurdissimus quidem videris: & profectò quod ais, hospiti

[a] *Sui cognitioni omnes cæteris positis dare operam conuenit.*

cuidam aliunde deducto, non incolæ similis es: ita neque fines nostros trāsisse vnquā, neq; extra mœnia ipsa egressus appares. SO. Ignosce mihi optime Phædre. Nam discendi cupidus sum, agri verò & arbores nihil docere me possunt, sed homines qui in vrbe versantur. Tu autem videris mihi exeundi incitamentū inuenisse: vt enim famescentibus animalibus frondes, aut fructus porrigentes ea ducunt, ita tu mihi librum porrigens, per totam Atticam & aliò quò velis, perduceres. Iam igitur cùm huc peruenerimus, recumbere mihi placet. Tu autem [qua potissimum figura putabis commodissimè posse legere, in eam te componens legito.] PHAE. Audi igitur. [a] Mearū quidem rerū status sic se habet, & id maximè nobis, vt audisti, conducturū puto. [b] Arbitror autē me non minus ob id abs te si quid petiero consequi debere, quòd amore tui captus minuerim suum. Nā amatores cùm primùm libidinem expleuerunt, collati beneficij pœnitet: eos verò qui amore irretiti non sunt, non est cur pœnitere conueniat vnquā. non enim coacti, sed sponte cùm optimè de suis rebus consultauissent, pro rerum suarum facultate beneficia contulere. Præterea amatores mente quandoque reuoluunt, quàm negligenter res suas propter amorē administrauerint, & quæ suo damno contulerint beneficia, quósve labores subierint, ideóque dignam amatis gratiā retulisse existimant. [c] Sed hi qui amore decepti nō sunt, neque rei domesticæ negligentiā, neque labores præteritos, neque propinquorū discordias se incurrisse amici causa conqueruntur. Quāobrē tantis malis sublatis, nihil aliud restat, nisi vt prōpti sint ad omnia quę grata illis fore

[a] *Oratio Lysiæ contra amatores.*

[b] *Non amanti potius quàm amāti gratificandum.*

[c] *Quæ à non amantibus conferuntur beneficia à constanti iudicio nō cæco affectu proficiscuntur.*

fore existiment, peragenda. [a] Aiunt plerique, maiores idcircò pluris facere oportere, quòd maxima erga amatos charitate deuincti sint, sempérque parati, tum dictis, tũ factis amatis obsequi, etiã si ex hoc cæteros omnes offenderint. Quorũ sententiam verã non esse hinc facilè coniectamus, quòd translata ab aliis in alios beneuolentia, posteriores amatos prioribus anteponunt: ac si recentiores iusserint, superiores malis afficiunt. [Atqui quanã ratione decet rem tantam permittere illi, qui ea calamitate affectus est, quam peritus non suscipias auertendam ab eius quem illa occuparit animo?] Enimuero & ipsi insanire potius quàm sapere confitentur, & nosse præterea insaniam suam, sed continere se minimè posse. At verò qui sapiunt, quónam pacto eorum qui sic affecti sunt, consilia voluntatésque probabunt? Præterea si ex amantibus optimum eligere velis, ex paucis tibi optio dabitur: sin autem ex aliis commodissimum tibi sodalem quæsiueris, ex multis sanè licebit eligere. Maior verò spes est, hominem amicitia tua dignum inter multos quàm inter paucos repertũ iri. [Si igitur ex legum constitutione publicã hominum qui tua facta rescisscent veteris infamiam illud te statuere oportet amatores qui ita se amandos ab aliis censent, vt ipsi alios amant, solere palàm, verbis iactare se & gloriari, & hoc in primis studiosè affectare apud omnes ne videãtur incassum laborasse erga amatos suos.] Eos verò qui non amant, quoniam continere se possunt, solere quod optimum est, potius quàm rumorem multitudinis quærere. Adde quòd vulgus cùm sentiat amatores amatos sequi assidue, atque hoc operæpretium

[a] *Firmior in non amantibus, quàm in amantibus amicitia inuenitur.*

putare, suspicatur ne turpis eos cupiditas ceperit, aut fortè iam capiat, quum eos vident simul colloqui & versari. Non amantium verò familiaritatem improbare nemo audet: scit enim quisque necessarium esse homines inuicem, vel amicitiæ, vel commoditatis alicuius causa sæpe versari. Proinde si te metus inuaserit putantem difficile fore vt maneat amicitia, imò alia ratione simultate orta accidere communem vtriusque iacturam: te verò concedente ea quæ multi facis, maximè læsum iri: non iniuria amatores valde timebis. Multa enim illos offendunt, atque omnia in sui detrimentum accidere arbitrantur. Quapropter amatos versari inter alios prohibent, metuentes ne diuites eos opibus superent, aut docti viri intelligentia præstent: atque omnino si qui egregium aliquid in se habere videantur, ab iis amatos procul arcere conantur. Ita vt ab iis abstineant persuadentes, amicis omnibus priuant. Tu verò si rerum tuarum ratione habita melius quàm illi deliberaueris, ab eis dissentiens atque abibis. Qui autem amore tui capti non sunt, sed propter virtutem, quæ oportet efficiunt, aliorum tibi familiaritatem minime inuidebunt: sed potius oderint eos qui tibi hærere noluerint, arbitrantes ab illis quidem te despici, à familiaribus verò iuuari. Quamobrem multo maior spes est amicitias ex hoc commercio, quàm inimicitias prouenire. Accedit ad hæc quòd amantium plurimi prius corpus cupiunt, quàm aut mores, aut alia quæ sunt amasiorum propria nouerint. Quò efficitur, vt dubium sit an extincta cupiditate in amicitia perseuerent. [Non amantibus autem *subau. ad libidinem* qui cum prius

prius amici essent, se inuicem suósque mores cognouerunt: nequaquam consentaneum est mores illorum inuicem cognitos amicitiam imminuere post beneficia accepta: sed potius ea illos notitia vti pro monumento & pignore constantis inter ipsos in posterum futuræ benevolentiæ.] Quinetiam meliot euades, si mihi credideris, quàm si amatoti præbueris aures. Nam amantes præter modum dicta & facta tua laudibus efferunt, partim quia verentur ne te offendant, partim quia propter cupiditatis ardorem in iudicando falluntur. Talia enim quædam amor designat: infortunatos quidem, ea etiam quæ aliis molestiam nullam præbent, tristia putare compellit: fortunatos autem & voti sui compotes, quæ lætitia digna non sunt, cogit tanquam iucunda laudare. Quapropter misetari eos magis oportet, quàm [illis inuidere tanquam beatis.] Quòd si mihi credideris, primò quidem non ob præsentem voluptatem, sed ob futuram vtilitatem adero tibi, non amori mancipatus, sed mihi imperans, neque ob minimas causas, aliquando graues inimicitias susceitabo, imò verò ob maximas vix tandem commotus, inuoluntariis erratis ignoscam, voluntaria emendare & deuitare conabor. Hæc sunt ad multum tempus duraturæ amicitiæ argumenta. Si autem tibi videtur non posse firmam, nisi amore, amicitiam nasci, animaduertere debes, quòd hac ratione, neque filios multi faceremus, neque parentes, neque fidos eos haberemus amicos, qui non ex amoris huius ardore, sed

a *Pauperib. & inopibus potius benefaciendum, quàm diuitibus.*

aliis ſtudiis facti ſunt amici. a Ad hæc ſi egenis gratificandum eſt maximè, conuenit omnino non optimos homines, ſed pauperrimos iuuare. Maximis enim liberati malis gratias ingentes habebunt. In proprijs quoque & priuatis ſumptibus non conuocandi amici erunt, ſed eſurientes & ſupplices. Hi enim beneficium maximi facient, te ſectabuntur, ad fores opperientur, applaudent, gratias ingentes agent, vota pro te fundent. b Cæterùm decet forſitan non egenis maximè indulgere, ſed his potius qui referre gratiam poſſunt: neque amantibus ſolùm, ſed beneficio dignis: neque his qui forma tua delectantur, ſed qui tibi etiã ſeni profuturi ſint: nec illis qui voti ſui cõpotes facti, palàm ſefe iactabunt, ſed qui verecundi tacebunt: neque illis qui breue ad tẽpus te colent, ſed qui per omnẽ vitã ſimiliter amici futuri ſunt: neque illis qui extincto cupiditatis ardore, inimicitiarũ occaſiones inquirent, ſed qui forma defloreſcente, virtutẽ ſuã conſtantiãque oſtẽdent. Tu igitur quæ dixi, memento, atq; id cogita, quòd amãtes, ab amicis increpãtur, quaſi turpe quiddã ſit amor. At eos qui nõ amãt, nullus familiariũ ob id vituperat, quòd hoc pacto malè ſibiipſis conſulant. Forſitan me rogabis, nunquid omnibus non amantibus obtemperare te moneã. Ego autẽ puto neque ipſum quidem amatorem iuſſurum eſſe te erga omnes amantes hanc eandem mentem habere. Neque enim accipienti, id pari gratia dignũ, neque tibi cæteros latere volẽti, ſimiliter facile. Oportet autem iacturã quidem ex hoc nullam, vtilitatem verò ad vtroſque aliquam prouenire. Ego iam dicta ſufficere arbitror: ſi quid autẽ tibi addendum videtur, interroga.

b *Superioris ſententiæ prauæ correctio.*

a Quid

a Quid tibi videtur, ô Socrates? Nónne mirificè oratio hæc & cæteris rebus & verbis cõposita est? SOC. Mirum in modum, ô amice, ita vt obstupuerim. atque ita, ô Phædre, propter te affectus sum, dum te respicerem, quia mihi videbare in legenda oratione gestire. Putans ergo te talia magis quàm me cognoscere, te secutus, ô diuinum caput, ipse quoque tecũ vnà bacchatus sum. PHAE. Sícine tibi videtur iocandum? SOCR. Ego tibi iocari videor: An non seriò loqui. PHAE. Nullo modo, ô Socrates, sed verum dic per eum qui amicis præest, Iouem, putas quenquam Græcorum hac ipsa de re plura atque maiora dicere posse? SOCR. Quid verò? laudandum scriptorem eo solùm censemus, quia ea dixerit, quæ oportuerit, ac non eo solùm, quia dilucidè & rotundè, & eleganter singula verba posuerit? Si enim vis, tui gratiâ concedendum est, nam me quidem ob ignauiam meam & imperitiâ latuit. Eloquentiæ enim dicentis solum intendi, ad id verò nec Lysiã quidem ipsum idoneum se existimare putabã. Profectò mihi visus est, ô Phædre, nisi tu aliud dicas, bis & ter eadẽ repetisse, quasi deesset illi copia eadẽ de re multa dicendi, vel quasi nulla ipsi de hoc cura esset. Ac mihi visus est sese ostentare, quòd posset eandẽ rem aliter & aliter dicendo vtroque modo luculenter dixisse. PHAE. Nihil ais, ô Socrates, hoc enim maximè oratio habuit. Nã quæ erant in re de quibus cõmodè dici posset, eorum nihil prætermissum est, vt præter illa quæ ab hoc dicta sunt, nemo eadẽ de re plura, aut probabiliora dicere possit. SO. Id ego non iã amplius cõfiteri possum, prisci enim sapientésq; viri & mulieres qui de his dixerunt scripserúntque,

a *Transitus ad supplenda ea quæ adhuc deesse videbantur in oratione Lysiæ ad plenam confirmationem thesεos susceptæ.*

redarguent me, si tui gratia concessero. PHAE. Quidnam isti? & vbi tu meliora audisti? SOC. In præsentia quidem non satis memini. sed profectò alicubi audiui, vel Sapphus pulchræ, vel sapientis Anacreontis, vel scriptorum aliorum. Vnde verò hoc ipse conjecto? quia plenum, ô beate, mihi sentio pectus aliorum, & non deteriorum quæ dici possunt: quòd verò ex meipso nihil tale inuenerim, satis scio meæ insciitiæ mihi conscius. Restat igitur me instar vasis hæc ex aliorum fontibus hausisse, sed iterum ob ruditatem meã, & quo modo, & à quibus perceperim, oblitũ esse. PHAE. Optimè, ô generose, dixisti. A quibus quidem acceperis, & quomodo, neque etiã si iusseris, dicas. At illud dicas, quod profiteris, rursus habere te plura & præstantiora his, quæ à Lysia scripta sunt: quòd si feceris ab istis abstinens aureã tibi promitto in Delphis statuã æquilibré, quòd nouè illi principes solent, non meã solum, sed tuá etiam ponere. SOC Amicissimus es, & revera aureus, ô Phædre, si me dicere putas Lysiã omnino aberrauisse, ac posse præter hæc omnia alia dici Hoc enim ne deterrimo quidem scriptori arbitror euenire. Principiò quantũ attinet ad id de quo sermo habetur, putásne aliquẽ probare volentẽ non amanti magis quàm amanti gratificandũ esse, nisi probauerit non amantem prudentẽ esse, amantẽ verò insanũ, & illũ quidẽ laudauerit, hunc vituperauerit, quæ sanè necessaria sunt, alia deinde quæ dicat habiturũ? Sed existimo hæc talia sinenda, & scriptoribus ignoscenda esse, nec inuentionẽ horũ sed dispositionẽ esse laudandã at illorum quæ non sunt necessaria, & difficulter reperiuntur, non dispositionem

solùm,

solùm,sed inuentionē etiam laudandum puto. PHAE. Concedo quod ais. tolerabiliter enim dixisse videris. faciā igitur & hoc ipse modò. Amantem enim quàm non amantem magis ægrotare,præsupponere tibi permittam. In aliis autem,si plura & præstantiora, quàm Lysias dixeris, iuxta Cypselidas in Olympia affabrè factus stabis. SOCR. Seriò id accipis, ô Phædre,quod virum tibi dilectissimum reprehendi. Ego verò tecum iocabar. Ac me putas reuera hoc aggressurum esse, vt aliud quiddam præter illius sapientiam ornatius & copiosius dicam. PHAE. Hac de re ô amice,in similes ansas peruenisti,dicendū tibi omninò est,vtcunque poteris. Ac vt ne molestam illam rem comœdorum sæpius inuicem respondere cōpellamur,caue néve illud me dicere cogas. Si ego, ô Socrates,Socratē ignoro,mei quoq; ipsius oblitus sum. Et,cupiebat quidē,sed simulabat grauari. Demum ita cogita, non esse nos prius abituros hinc,quàm tu dixeris,quæ habere aiebas in pectore meliora. Sumus enim soli, & quidem in solitudine. Ego autem iunior & robustior. Ex his omnibus intellige quid dicam, nec velis coactus potius, quàm sponte loqui. SOCR. Ait enim,ô beate Phædre,ridiculus ero, si ipse rudis cum optimo illo scriptore contendero,ac de rebus eisdem ex tempore disputauero. PHAE. Scis,vt se res habet? Desine apud me gloriari. Fermè enim inueni,per quæ te cōpellam. SOCRA. Ne dicas obsecro. PHAE. Ne dicam? Imò verò iam dico. Ad iusiurandum me vertam. Iuro enim tibi per aliquem Deum, vel si vis,per hanc platanum,nisi tu dicas in eius conspectu,me nunquam post hac cuiusquā orationem tibi ostensurum esse vel nuntiatu-

rum. SOC. Papæ. ô inuenuſte, quàm pulchrè re periſti, qua arte virum collocutionum ſtudioſum & cupidum, ad quiduis agendum compelleres? PHAE. Quid ergo cùm talis ſis, tergiuerſaris? SOCR. Minimè amplius, quandoquidem tu ita iuraſti. Qui enim quirem ab his epulis abeſſe? PHAE. Dic igitur. SOCRA. Scis quid agam? PHAE. Qua de re dicis? SOCRA. Obuolutus dicam, vt celerius tranſcurram ſermonẽ, ne ad te reſpicens, ob pudorem impediar. PHAE. Dicas modò. cætera vt vis, ſic facito. SOC. Iam agite, ô Muſæ dulces, ſiue propter cantus ſpeciem, ſiue propter muſicum genus illud ſuauium & ſtridularum cognomen habetis. meũ adiuuate ſermonem, quem me dicere oportet iſte compellit, vt eius ſodalis, qui primò huic ſapiens videbatur, nunc magis etiam videatur. Erat puer quidam, imò vero adoleſcentulus egregia indole præditus: huic autem erant amatores complurimi quorũ vnus vir ſanè verſutus cũ nihilo quàm cæteri, minus eum amaret, perſuaſit puero ſe non amare. Cúmque flagitaret aliquando ipſum illud ipſum, non amanti potius, quàm amanti gratificandũ eſſe perſuaſit, atq; ita inquit, [a] In omnibus, ô puer, vnicum principiũ iis qui bene conſulere volunt, eſt intelligere quid illud ſit de quo conſulantur, vel omnino aberrare neceſſe: pleroſq; verò latet, quòd neſciant rei ſubſtantiã. Tanquã igitur ſcientes, in diſquiſitionis principio non declarant. Procedente verò quod par eſt, conſequitur, vt nec ſibi, nec aliis conſentanea loquantur. Tibi igitur & mihi ne accidat quod in aliis damnamus, poſtquã nobis diſcere patio eſt. vtrùm cũ amante potius quàm non amante amicitia ſit incũda. quid amor ipſe ſit,

[a] *In omni diſputatione ante omnia videndũ quid ſit illud de quo diſputatio inſtituitur.*

&

& quam vim habeat, definitione ex consensu posita cognoscamus, atque ad id respicientes, referentésque considueremus, emolumentúmne, an detrimentũ afferat. Quòd igitur cupiditas quædam sit amor, omnibus manifestũ: quòd verò etiã qui non amant, pulchra seu bona cupiunt, nõ ignoramus. [a] Vt igitur quo amans à non amante discernitur, intelligamus, scire oportet duas in vnoquoque nostrũm formas siue species esse dominantes atq; ducentes, quas sequimur quocunque ducunt. Altera quidẽ est innata nobis voluptatũ cupiditas. Altera verò acquisita opinio optimi affectatrix. Hæ autem in nobis quãdoque consentiũt, quandoque in seditione & discordia sunt: & modò hæc, modò altera peruincit. Quando igitur opinio ad id quod optimum est, ratione ducit ac superat, hæc ipsa viuendi potestas [b] tẽperantia nominatur. Quando verò cupiditas absq; ratione ad voluptates trahit, nobisq; imperat, imperiũ hoc [c] libido vocatur. Libido autẽ cum multiformis sit, multarúmque partium, multas vtiq; appellationes habet, & harũ formatum, quæ maximè in aliquo est inordinata, sua illũ appellatione nominatũ reddit, nec vllũ suis decorum aut dignũ tribuit cognomentũ. Circa cibos enim superatrix rationis, & [eius quod optimũ est] præterea aliarũ cupiditatũ, cupiditas, [d] ingluuies appellatur. & eũ qui hãc habet, hac ipsa appellatione nũcupatũ reddit. Rursus quæ circa ebrietatẽ tyrannidẽ exercet, ac eũ quem possidet: hac ducit, patet quod habebit cognomen. atque alia horũ germana, & germanarũ cupiditatum nomina vbi aliqua maximè dominatur, quomodo ponenda sint, manifestum est. Cuius autem gratia superiora omnia dixi-

[a] *Duo hominis affectus regunt, innata cupiditas & opinio recta à bono quæ extrinsecus aduenit & acquiritur.*

[b] *Temperantia quid.*

[c] *Libido quid.*

[d] *Ingluuies & gulositas quid.*

mus, ferè iam patet: siue tamen dicatur, siue non, magis quàm si prætermissum sit patebit. Nam cupiditas absque ratione quæ superat opinionē ad recta tendentē, rapítque ad voluptatē formæ, & à cognatis cupiditatibus, circa corporis formā vehementer corroborata peruincit & superat, [a] ἀπ' αὐτῆς τῆς ῥώμης, id est robore & vehemētia, ἔρως id est amor appellata est. Num tibi, ô amice Phædre, quēadmodū mihi, videor diuinū quiddā passus fuisse? PH. Profectò quidem, ô Socrates, præter solitum profluens quædam copia te inuasit. SOCR. Silentio igitur me audi. Nam reuera diuinus hic videtur locus. Quare si sæpius nymphis procedente sermone corripior, ne mireris. Ea certē quæ modò canebam à dityrambis non multum distant. PHAE. Verissima narras. SOCR. Horum equidem tu causa es. sed audi cætera, ne abeat id quod superuenit. Hęc verò Deo curæ erunt, nos disputando ad puerum reuertamur. Age igitur, ô optime, quid si id de quo consulitur, dictū & definitum est. Respicientes ergo ad hoc quod reliquū est, videamus quid emolumenti vel damni ab amante, & non amante ei qui obsequitur, sit meritò prouenturum. Hominem libidini mancipatū & voluptatibus seruientē necesse est amatū suū pro viribus sibi quàm iucundissimum reddere. Ægrotanti quicquid non repugnat, iucundum, quod verò melius, aut æquale, molestum. [b] Quare neque præstantiorē, neque parē amator amatum sponte vnquam patietur esse, Inferiorem autē, indigentiorémq; quoad poterit, semper efficiet. Deterior ignorās sapiente, fortiti timidus, ineptus ad dicēdū, rhetorico, hebes acuto. Hæc & plura insuper animi mala cùm

[a] *Amor seu ἔρως proprie quid.*

[b] *Amator amasii suiam mum virtutibus excoli & imbui non libenter patitur, & cur.*

natura

natura insunt vel fiunt amato, gaudet amator: atque alia insuper inferre conatur. Alioquin voluptate priuatur. Inuideat ergo necesse est amator amato, atque eũ ab omni consuetudine, studióque vnde vir excellens euadere possit, amouens vehementer officiat. Maximè tamẽ ex priuatione illius obest, quod prudentissimum efficit. Prudentissimũ verò diuina facit Philosophia, à qua amator procul abducere amatũ compellitur, metuẽs ne ab eo, si fiat sapiẽtior, conténatur. Deniq; omnia efficit, quibus ille omnium ignarus euadat, admiretúrque amantem. Qualis cùm fuerit, amatori quidẽ iucundissimus erit, sibi autem ipsi pernicioſissimus. Atque ita in his quæ ad intelligentiã pertinent, noxia est cũ amatore consuetudo. [a] Post hac videndũ quo pacto is quo bono dulce anteponere cogitur, corpus illius quẽ amat, si cõmissum sibi fuerit, sit curaturus. Optabit profectò corpus non solidũ, sed molle & delicatũ, non sub sole, sed vmbra nutritum, quòd procul à periculis & laboribus, siccisque sudoribus, muliebri & delicato victu fuerit educatum, coloribus alienis extraneisque ornamentis ex propriorũ defectu ornatũ, cęteríque horum similibus consuetum. Quæ omnia cùm prolixius recensere indignum sit, summatim in præsentia concludemus, vt reliqua prosequamur. Talem sanè corporis habitum in prœliis & quauis alia ingenti necessitate, hostes quidem audacter inuadunt, amici autẽ ipsíque amatores huic maximè metuunt. Sed hoc iam tanquam manifestũ dimittendũ est. Deinceps verò dicendum quid nobis emolumenti, vel damni in rebus externis amantis familiaritas & custodia præbeat. Atque hoc omni-

[a] Idẽ Amator corporis, fortunarum reliquorúmque externorũ bonorum amasii sui detrimentũ quærit.

bus,amatori præsertim,est manifestũ quòd amicissima charissimáque & diuinissima possessione orbũ fieri amatũ desiderat. Parentibus enim,necessariis,amicis priuari eũ exoptat,existimans eos dulcissimæ ipsius cum amato consuetudini impedimento fore. Puerum præterea vel auri,vel cuiusuis possessionis ditissimũ, neque facilè capi posse putat: neque si captus fuerit,detineri. Quamobrẽ necesse ist amatorem tanquam inuidum amati prospetitate dolere,aduersitate gaudere. Quinetiã sine vxore, sine filiis,sine domo, diu exoptat viuere adolescentẽ,cupiens plurimum tempus sua voluptate frui. Sunt alia quoque mala,sed horum plurimis in ipso statim principio dæmon aliquis voluptatem immiscuit, veluti adulatori grauissimæ bestiæ maximæque calamitati inseruit natura oblectamentum aliquod inconcinnum. Vituperabit quoque scortum aliquis,vtpote noxium,& alia huiusmodi animalia atq; studia quæ nos quotidie delectare consueuerunt. Amans verò præter quam quòd noxius, est etiã sua consuetudine omnium molestissimus. *Pares enim cum paribus veteri prouerbio iucundissimè congregantur. Nam æqualitas temporis,cùm ad æquales voluptates propter similitudinem trahat,amicitiam parit. Verumtamen etiam satietatẽ habet horũ consuetudo. proinde necessitas omnibus in rebus cuique grauis est,quæ quidẽ simul cũ dissimilitudine in amãte ad amatũ est maximè. Iuniori enim senior adhærẽs,neque die vlla,neque nocte ab eo spõtè recedit,sed necessitate & furore rapitur. qui illũ quidem voluptatũ illecebris trahit videntẽ,audientem, tangentem, & omnino amatum sensu quolibet attingen-

sem,

*Amato adolescẽti mul laex adultiore amante voluptas.

* Prouer. Pares cũ paribus congregãtur.

tem,ita vt ingenti cum voluptate illi assiduè obsequatur. Amatum verò qua voluptate, quóue solatio æquale tẽpus adeò detinebit,vt extrema molestia non vexetur,cùm faciẽ seni lẽ deformémque aspiciat,cæteráque similiter, quæ non factu solùm,verumetiam anditu molesta sunt necessitate quadã ad ipsum captandum semper proposita dum malè suspicios custodiis,sẽper& vbiq; obseruatur: auditq; importunas immoderatásque tum laudes tũ vituperationes,quibus amans ipsum prosequitur. quæ in sobrietate quidẽ intolerabiles sunt, in ebrietate verò non intolerabiles solũ, verumetiã ob nimiã apertè & ad satietatẽ loquendi licentiã turpissimæ.[a] Præterea dum amat, pernicios & importunus est. Cùm verò amare desierit:in posterũ infidus aduersus illum,quẽ multis iuramẽtis,precibus atque promissis vix tandem induxerat,vt præmiorum spe infestam eius consuetudinem sustineret. Demum cùm rependere deceat,principẽ alium in se ac præsidem accipit,mentem temperantiámque pro amore atque insania,factúsque iam alius amatum fallit. Tunc amatus eorum quæ dicta quondã & facta sunt memor,beneficiorũ gratiam exigit.putans cum eodem verba se facere.Sed alter ob verecundiam,neque audet mutatũ esse se confiteri ,neque inuenit qua ratione prioris illius principatus insani iuramenta & promissa persoluat,mentis iam & temperantiæ compos effectus,ne si eadem quæ & antea fecerit,similis idémque ac fuerat antè,rursus euadat.Hinc efficitur,vt qui antè amauerat,iam aufugiat,mutatúsque abeat, quasi testa in aduersum cadente: alter verò persequi cogatur,grauiter ferens: ad imprecationésque

[a] *Amãtis erga amatum inconstãs & infidus est amor.*

conuersus. Qui sanè ab initio deceptus est, cùm ignorauerit non decuisse, amanti necessariò amanti gratificari, imò homini multò magis ab amore libero, mentémque habenti. Alioquin necessarium fore, seipsum committere homini infido, moroso, inuido, molesto, pernicioso ad rerum possessionem, pernicioso ad corporis habitum, longè verò ad animi disciplinam pernicioſissimo, qua nihil apud deos & homines reuera aut est, aut erit vnquam venerabilius. Hæc, ô puer considerandа sunt atque illud insuper animaduertendum, amatoris amicitiam non beneuolentia vlla, sed auiditate quadam expletionis quasi fame constare.

Vt lupus ipse agnum, puerum sic ardet amator.

Hoc illud est quod prædixeram, ô Phædre. Nec dicentem me vlterius audies, sed iam finem habeat sermo. PHAE. Atqui putabam dimidiũ disputationis transactum esse, ac restare tantundem de non amante dicendum, quòd illi potius indulgere deceat, ad idque quot illi bona insunt enumeranda, nunc autem cur desistis, ô Socrates? SOCR. Animaduertisti Phædre carmina me iam non dithyrãbos amplius canere, quamuis in vituperando mea versetur oratio? quòd si laudare alterum pergam, quid facturum me putas? An non sentis me à nymphis quibus me obiecisti, diuina prouidentia manifestò afflari? Quare summatim dico, tot bona inesse alteri, quot mala in altero numerauimus. Sed quid multis opus est verbis? De vtriusque enim sufficienter dictum. Atque ita oratio quod ei consentaneum est, habitura est. Ego iam transmisso flumine abeo, prius quàm ad maius aliquid abs te compellar. PH.

Non-

Nondum,ô Socrates,prius quàm æstus abscedat. An non vides, vt iam planè meridies sit, quæ appellatur Constans & stabilis, vel in qua maximè viget æstus? Sed interim morantes, ac de his quæ diximus, colloquentes,cùm primum æstus abierit,tunc discedemus. SOCR. Diuinus es circa sermones, ô Phædre,ac verè mirabilis: Arbitror equidem orationum quæ his temporibus habitę sunt, neminem pluribus autorem causámque fuisse, quàm te, siue vltrò dicendo, siue quoquo modo alios compellendo. [a]Simmiam Thebanum excipio. Alios verò longè antecellis. Et nunc videris in causa fuisse, vt aliqua à me oratio haberetur: qua tu bellũ sanè denũciasti. PH. Sed quónam modo, & quæ oratio illa est?

[a] *Simmias Thebanus.*

SOCR. [b]Cum flumen transiturus essem, dæmonium & solitum mihi fieri signum factum est: quod sanè quoties accidit, quod facturus eram, agere prohibet. hinc vocem audire visus sum, quæ abire me vetat, antequam expiauerim, quasi aliquid deliquerim erga Deum. Sum igitur vates quidem, at nequaquam bonus. sed quemadmodum qui malè sciunt literas, quantum ad meipsum sufficiens. Clarè itaque iam intelligo delictum meum. Siquidem,ô amice, præsagij quiddam etiam est in animo. Me enim commouit, & antea dum loquebar. vnde quodammodo verebar, ne cùm fortè secundum Ibycum apud deos deliquerim, apud homines gloriam consequar. Nunc sentio in quo deliquerim. PHAE. Quid est? SOCRA. Grauẽ, ô Phędre, grauem, inquam, sermonem & tu attulisti, & me dicere compulisti. PHAE. Quónam pacto? SOCR. Stultum & quodammodo impium: quo quis grauior esse potest? PHAE.

[b] *Elegãs trãsitio qua p̃ speciẽ palinodias & exẽplum Stesichori cõuertit se Socratis ad contrariã superiori thesin defendẽdã: hoc est ad laudes Amoris quẽ superiori oratione vituperauerat.*

Nullus, si tu vera narras. SOCR. Quid enim Amorem? nónne Veneris filium, & Deũ aliquẽ putas? PHAE. Dicitur quidem. SOCR. Non tamen à Lysia, neque ex sermone tuo, qui per os meum abs te, quasi quadam incantatione deductus prolatus est. Si autem est, vt certè est, Deus aut diuinum quiddam amor, malum vtique nõ esset. At sermones de illo, quasi malum esset, habiti sunt. In hoc ego aduersus Amorem deliquimus. Atqui valde ineptæ disputationes hæ nostræ videntur, quamuis vrbanæ, quæ cùm nihil syncerum verúmque cõtineant, gloriantur tamen tanquam plurimũ valeant, si ab homunculis nonnullis deceptis approbentur. Mihi igitur, ô amice, expiari necesse est. Est autem his qui confabulando peccant, expiatio quædam vetus, quam Homerus non nouit, sed [a] Stesichorus. Oculis enim priuatus ob Helenæ vituperationem, non ignorauit cæcitatis causam, vt Homerus, sed vtpote musicus eam agnouit. Itaque statim illa fecit carmina,

Non verus sermo ille fuit, nec nauibus altis
Existi fugiens, nec adisti Pergama Troiæ.

Atque ita edito poemate, quam παλινῳδίαν, id est recantationem, vocant, confestim visum recuperauit amissum. Ego autem in hoc ero vtriusque sapientior, quòd antequam accidat mihi quicquam mali ob amoris vituperationem, conabor illi palinodiam reddere, & quidem aperto capite, non vt suprà, ob verecundiam velato. PHAE. His verò, ô Socrates, nihil mihi gratius efficere posses. SOCRA. Etenim meministi, ô Phædre, quàm impudenter ex libro lectum est, & à meipso quoque de amatore dictum. Quòd si generosus aliquis vir &

[a] *Stesichori palinodia.*

mo-

modestus, qui similem sibi alium amet amauerítve, nos audiat, cùm dicimus amantes ob minimas sæpe causas maximas inimicitias suscitare,& inuidos amatis pernicioſósque esſe homines,audire se arbitrabitur in nauibus educatos,qui liberalem aliquem amorem nunquam inspexerint,neque vllo modo nobis cõcedet,quæ in amoris vituperationem adducimus. PHAE. Fortè per Iouem,ô Socrates. SOC. Hunc ego hominem veritus & Amorem ipsum metuens, cupio veluti potabili & dulci oratione salsum illum auribúsque nostris noxium sermonem diluere Consulo quinetiam Lysiæ, vt quàm primum scribat amanti potius quàm non amanti ex similibus indulgendum. PHAE. Ita futurum certò scio. Nam postquam tu amatorem laudaueris, necesse erit Lysiam vt eadem scribat à me compelli. SOCR. Isthuc equidem credo,quandiu tu, qui nunc es,fueris. PHAE. Dic age forti animo. SOCR. Eia vbi mihi puer ille adest, ad quem superiorem sermonem habui, vt hunc etiam audiat?ne si minus audierit,temerè non amãti obtemperet. PHAE. Is tibi proximus semper adhæret,quoad cupis. SOCR. Sic ergo,ô egregie puer,cogita, priorem sermonem Phædri Pytoclegeniti Myrrhinusij fuisse: sequentem verò Stesichori Euphemi filij,viri amabilis forte huius hoc erit exordium. [a]Non verus sermo ille est, qui præsente amatore non amanti magis iubet gratificari, quia amans furit, non amans verò sanus est. Si enim simpliciter verum esset,furorem esse malum, recte à nobis dictum fuisset. [b]Nunc autem maxima bonorum nobis fiunt per furorem diuino quodam munere concessum. Nam & quæ in Delphis

[a] *Primũ argumentum aduersus Amorem supra allatum nunc refutatur distinctione boni & mali furoris.*

[b] *Bonus furor quis.*

futura prædixit vates,& quæ in Dodona facerdotes,furentes quidem multa ac magna commoda priuatim & publicè Græcis hominibus attulerunt: sanæ verò dum sunt, exigua, aut nulla. Quod si referamus Sibyllam, & alios quicunque diuino vsi sunt vaticinio, quàm multa prædicentes in futurũ profuerint, prolixum nimis extenderemus sermonem & rem manifestam omnibus proferremus. [a]Illud tamen dignum est testificari, quòd veteres qui nomina rebus imposuerunt, non turpe quiddam,neque ignominiosum putauerunt furorem. Non enim præclarissimæ arti qua futurũ discernitur,hoc nomen annectentes eam μαντικὴν,id est furorem nominassent,sed tanquam bonum quiddã sit furor,quando diuina sorte prouenit,honestæ arti nomen huiusmodi indiderunt. At nunc iuniores isti interiecta τ litera,imperitè nimiũ,μαντικὴν dixerut. Sanè inuestigationem futuri sanorũ hominũ per aues & alia ostẽta,vtpote à cõiectura humana[νοήσεως] i. intelligẽtiæ procedentẽ,νοῦν i mentẽ historiámque οἰωνιστικὴν quasi νοησιτικὴν vocarũt, qua vid. recentiores parua vocabuli declinatione facta augustiore vocabulo ο in ω verso οἰωνιστικὴν i auguralem appellarunt.]Quãtò igitur perfectius præstantiúsq; vaticiniũ augurali coniectione,& nomen nomine,opúsq; opere,tantò testificantur antiqui furorẽ ex Deo profectũ,quã humanã prudentiã præclarius esse. Atqui aduersus morbos & labores maximos ob antiqua delicta,quandoque diuina indignatione mortalib. imminẽtes, quibusdam alicunde furor aduenies,ac prędicens quibus opus erat,remedia adinuenit,cõfugiens ad vota cultúsque deorum:vnde expiationes propitia-

[a] μαντικὴ & οἰωνιστικὴ, *quæ artes, quomodo differant,& vnde sic appellata.*

tiationéſque conſecutus, incolumen reddidit poſſidentē, & in præſens tēpus & in futurum, abſolutionē prę ſentiū maiorū rectè furenti occupatóque adeptus. [a]Tertia verò à Muſis occupatio & furor ſuſcipiens teneraī intactámq; animā, ſuſcitat illā atque afflat. Vnde per cantus aliámque poeſim infinita antiquorum geſta exornans, poſteros inſtruit. Qui autem abſque furore Muſarū poeticas ad fores accedit, cōfidens arte quadā poetā ſe bonū euaſurum, inanis ipſe quidem atque eius poeſis præ illa, quæ ex furore procedit, qua quidem hæc quæ ex prudentia fit, euaneſcit. Tot equidē, ac etiā plura diuini furoris præclara opera referre poſſum. Quare hoc ipſum ne formidemus, néve vlla nos ratio abſterreat, oſtendens prudentē & ſanū potius, quàm concitatum amicum eſſe diligendum. At ille inſuper oſtendat ſi poteſt, ac victoriam reportet, non pro vtilitate amantis, & amati amorē, à diis eſſe conceſſum. [b]Nobis verò nunc oſtendendum eſt contrà pro felicitate maxima huiuſmodi furorem à diis hominibus eſſe datum. Demonſtratio autem erit contentioſis quidem incredibilis, ſapientibus verò contrà. Oportet autem nos prius de natura animæ diuinæ & humanæ, affectus & opera intuentes, vera nouiſſe. Hoc verò demonſtrationis huius principium ſit: [c] Anima omnis immortalis. Quòd enim ſemper mouetur, id æternum eſt. Quod autem motum affert alicui, quódque ipſum agitatur aliunde, quando finem habet motus, viuendi finem habeat neceſſe eſt. Solum igitur quod ſeipſum mouet, quia nunquam deſeritur à ſe, nunquam ne moueri quidem deſinit. quin etiam cæteris quæ mouentur, hic fons, ſa-

[a] *Furor poeticus.*

[b] *Vnde innatus ſit vera pulchritudinis veſanus amor qui eſt in animo philoſophi, & illū extra ſe rapit cōſpectu pulchrarū formarū quæ hic ſunt.*

[c] *Demōſtratio Platonica ad aſſerendā Animæ immortalitatem à Ciceronе Latinè expreſſa.*

hoc principium est mouendi. Principij autem nulla est origo: nam ex principio oriuntur omnia: ipsum autem nulla ex re nasci potest. Nec enim esset id principium, quod gigneretur aliunde. Quod si nunquam oritur, nec occidit quidem vnquam: nam principium extinctum nec ipsum ab alio renascetur, nec à se aliud creabit, siquidem necesse est à principio oriri omnia. Ita fit, vt motus principium ex eo sit, quod ipsum à se moueatur: id autem nec nasci potest nec mori. Vel concidat omne cœlum, omnisque natura consistat necesse est, nec vim vllam nanciscatur, qua primo impulsu moueatur. Cùm igitur appareat immortale esse quod seipsum mouet, animæ substantiam & rationem hanc ipsam qui dixerit, non erubescet. Omne enim corpus cui motus extrinsecus incidit, inanime est. Cui verò intus ex seipso id inest, animatum, tanquam hæc animæ natura sit quod si ita est, vt non sit aliud quicquam quod seipsum moueat præter animam, necessariò ingenita & immortalis est anima. De immortalitate animæ satis est dictum.

[a] *Forma animæ imagine aliqua, qualis sit, adumbratur.*

[a] De forma verò ipsius in hunc modum est dicendum. Quale id omnino sit, diuinæ penitus prolixæque narrationis foret; similitudinem verò eius quandam describere, humanæ & breuioris. hoc igitur modo dicamus. Similis esto cognatæ potentiæ subalati currus & aurigæ. Deorum equi & aurigæ omnes boni sunt atque ex bonis, aliorum verò permixti. Principiò quidem nostri princeps bigas habenis moderatur: deinde equorum alter bonus & pulcher, & ex talibus, alter contrarius, & ex contrariis. Quò fit vt dura & difficilis necessariò sit vectura nostra. [b] Qua verò ratione mortale

[b] *Quomodo & vnde animæ in corpora animalium veniant.*

tale & immortale animal appellatum est, conandum est dicere. Omnis anima totius inanimati curam habet,totúmque percurrit cœlũ,aliàs videlicet alias sortita speciem. Perfecta quidem dum est & alta,sublimis incedit,ac totum gubernat mundum. Cui verò alæ defluxerint, fertur quoad solidum aliquid apprehenderit, vbi habitaculum sortita, corpúsue terrenum suscipit, quod sese mouere videtur propter illius potentiam: animálque totum vocatur,animal simul corpúsque compactum, & mortale animal cognominatur. [a]Immortale autem ex nulla ratione discursu percepta, sed quæ fingitur: quippe cum neque viderimus,neque satis intellexerimus deum immortalem quoddam animal, habens quidem animam,habens etiam corpus, quæ naturaliter in illo sunt per omne tempus coniuncta. Sed hæc iam,vti Deo placet,ita se habeant & dicãtur,per quam verò causam alæ abiiciantur,decidántque ab anima,nunc dicamus. [b]Est autẽ talis quædam:naturalis alarum vis est, graue in sublime attollere,vbi deorum inhabitat genus.Omnium verò,quæ sunt circa corpus,maximè particeps diuini est animus. [c]Diuinum autem pulchrum,sapiens,bonum, & quicquid tale dici potest.His vtique alitur maximè, augetúrque ipsa alatio animi:turpi autem & malo,contrariisque huiusmodi deficit atque interit. Magnus vtique dux in cœlo Iupiter agens alatum currum primus incedit,exornans cuncta,prouidéque disponens. Hunc sequitur deorum dęmonúmque exercitus per vndecim partes ordinatus. Permanet autem Vesta in deorum æde sola.Aliorum verò deorum quicunque in duodecim numero censentur, suæ quisque functioni præest,vt quisque est ordi-

[a] *Deus immortale animal.*

[b] *Vnde decidant alæ Animabus quib. amissis in corpora descendunt.*

[c] *Alatione animæ nutrit & fouet diuinæ pulchritudinis sapientiæ & bonitatis participatio*

natus. Per multa igitur beatáque ſpectacula diſcurſúſque intra cœlum exiſtunt, quibus deorum genus beatorum intendit ſuum quiſque officium peragens. Sequitur autem ſemper volens & potens. Liuor enim à diuino choro procul abeſt. Cùm verò ad conuiuium ac dapes vadunt, in ſummum cœli faſtigium ſublimes eunt. Deorum quidem vehicula apta habenis, æqualitérque librata facilè gradiuntur, aliorum verò ægrè. Grauatur enim prauitatis particeps equus ad terram vergens atque trahens, cuicunque aurigarum equus non bene nutritus fuerit. Vbi iam labor & certamen extremum animæ proponitur. Quæ enim immortales vocantur, cùm ad ſummum peruenerint, extrà progreſſę in cœli dorſo conſiſtũt. Ibi conſtitutas circunferentia ipſa circunfert, atque illæ intuentur, quæ ſunt extra cœlum.

a In loco ſupercæleſti collocat Ideas Plato.

[a]Locùm verò ſuper cœleſtem, neque quiſquã noſtrorum laudauit adhuc poetarum, neque vnquam pro dignitate laudabit: habet ſe verò in hunc modum. Audendum eſt enim verum dicere, præſertim de veritate loquenti. Sine colore, ſine figura, ſine tactu eſſentia verè exiſtens, animæ gubernatore ſolo intellectu contemplante vtitur, circa quam verę ſcientiæ genus hunc habet locum. Vtpote igitur Dei cogitatio intellectu & ſcientia immaculata ſe vertens, cogitatio quoque omnis animę quęcunque conuenientem ſibi conditionem ſuſceptura eſt, intuita per tempus id quod eſt, contenta veritatis contemplatione nutritur & gaudet, donec circulo in idẽ circunferẽtia referat. [b]In hoc autẽ circuitu cõſpicit ipſam iuſtitiam, conſpicit temperantiam, conſpicit ſcientiam, non qua adeſt ei generatio, nec qua

b Ideas exiſtimauit Plato perfectas ſpecies rerũ omnium qui eſt enter ens, nẽpe Dei ſcientia comprehenſas.

qua alia alicubi sit in alio, quales videlicet sunt eorum, quæ nos entia nunc appellamus: sed illam quæ in eo quod est ens verè, scientia est: & alia eodem modo, quæ verè sunt speculata atque his enutrita, subiens rursus intra cœlum, domum reuertitur. Cùm autem redierit, auriga ad præsepe sistens equos, obiicit illis ambrosiam. & post ipsam nectar potandum. atque hæc deorum est vita. Cæterarum verò animarum, alia optimè Deum secuta, similísque effecta, extulit in supercœlestem locum aurigæ caput, & cum ipsa circunferentia simul delata est, sed perturbata ab equis, & vix ea quæ verè sunt, intuita. Alia verò modò caput extulit, modò submisit: at ob violétiam equorum, partim vidit quidem, partim verò non vidit. Aliæ autem animæ affectantes quidem omnes superiorem locum sequuntur: cũ verò nequeant, submersæ circunferuntur, calcantes sese inuicem atque incumbentes, alia aliam præire contendens. Tumultus igitur & certamen & sudor sit extremus. Vbi quidem aurigarum vitio multæ claudicant, multę mul tas, pennas confringunt, omnes verò magno implicatæ labore, expertes eius quod vere est intuendi, discedunt: post discessum verò alimento vtuntur opinabili. Cuius quidem gratia multus ineſt conatus, veritatis campus vbinam sit, intueri. Nam ex huiusmodi prato optima vis animæ conuenientem accipit alimoniam, & alarum natura qua anima eleuatur, hoc alitur. [a]Regulaque Adrasticæ deæ, id est ineuitabilis numinis, hæc est: vt quæcunque anima Deum comitata aliquid verorum inspexerit, ea vsque ad circuitum alium sit indemnis: & si semper hoc facere queat, sit sem-

[a] *De varia animarum circa descensum in corpora humana sortitione cuius hic nouẽ gradũ describit, quorũ quisque assignatur pro vt animæ vera Entium cognitionis plus minúsue participes fuerint.*

per illæsa. Si verò impotens assequendi non inspexerit, & casu aliquo vsa, repletáque oblitione & prauitate grauetur, grauata autem pennas confregerit, in terrámque ciderit, tunc prohibet lex hanc in prima generatione in aliquam brutalem ire naturam: sed iubet eam, quæ plurima viderit, in genituram viri philosophi, aut pulchritudinis cupidi aut musici, atque amatorij: eam verò quę secundo loco in regem legitimum, aut bellicosum virum & imperatorium descendere. Tertio in gubernatorem reipubl. aut rei familiaris dispensatorem, vel quæstuarium. Quarto in laboriosum gymnasticum, aut circa medelam curámque corporis versaturum. Quinto in eos qui vates futuri sunt, & circa mysteria quædā. Sexto in poetam, vel aliū quemuis eorum, qui aptè in imitatione versantur. Septimo in geometram vel artificem. Octauo in sophistam & popularem. Nono in tyrannicum. In his autem omnibus quicunque iustè vitam egerit, sortem posteà nanciscitur meliorem: qui verò iniustè deteriorem. In idem enim vnde profecta est cuiusque anima annis decem millibus non reuertitur. Nam alas, ante hoc spatium non recuperat, prętер illius animam, qui philosophatus est sine dolo, vel vnà cum sapiē tiæ studio pueros amauit. Hæc quidem tertio ambitu mille annorum, si ter hanc ipsam deinceps elegerint vitam, sic recuperatis alis, post tria millia annorum euolant abeuntes. Aliæ verò animæ primæ vitæ finem consecutæ, iudicantur. Iudicatæ autem aliæ sub terra in iudicij locum euntes, meritas illic pœnas sustinent. Aliæ in cœli quendam locum per iudicium eleuatæ, ita degunt, vt dignum est

ea

ea vita, qua in hominis figura vixerunt. [a] Millesimo anno ambo redeuntes ad sortem, & electionem secundæ vitæ, suscipiunt vnaquæque eam vitã quã velit. Hîc & in bestiæ vitã humana anima transit, & ex bestia rursus in hominem, si modò anima quandoque prius fuerit hominis. Nam quæ nunquã veritatem inspexerit, in hanc figurã venire non poterit. [b] Oportet verò hominem intelligere secundum speciem, ex multis procedentem sensibus in vnũ ratiocinatione conceptũ. Hæc aũt est recordatio illorum, quæ olim vidit anima nostra cum Deo perfecta, & illa despiciens, quæ nunc esse dicimus, & ad id quod verè est sursum reflexa. Quapropter sola philosophi cogitatio meritò recuperat alas. Nam illis semper quantum fieri potest, memoria inhæret, quibus Deus inhærens diuinus est. Talibus autem commentationibus qui rectè vtitur, perfectisque mysteriis semper imbuitur, perfectus reuera solus euadit. Ab humanis autem studiis segregatus, diuinóque inhærens, carpitur à multitudine, quasi extra se positus, sed ipsum Deo plenum esse multitudinem latet. [c] Tendit igitur huc totus sermo, qui est circa quartum furorẽ, quo quãdo quis visa hîc pulchritudine aliqua verè illius reminiscens, alas recipit, receptísque euolare nititur. Cùm verò id facere nequeat, tanquã auis superna suspiciens, & inferiora contẽnens, crinem reportat, quasi furore correptus. Hæc itaque diuina alienatio omniũ alienationum optima, atque ex optimis sit, & habenti, & participanti: & qui hoc tenetur furore, cum amet pulchra, amator vocatur. Vt enim dictũ est, omnis anima hominis ea quæ verè sunt, intuita est, alioquin in hoc animal non venis-

[a] *Humanæ animæ in varia corpora, pro varia vitæ priorũ cõditione in diuersi temporis spatio transmigrant.*

[b] *Hominis cognitio & scientia in hoc corpore fit per speciei ratiocinatione ex his singularib. collectas, & recordatione, ad similitudinẽ idearũ quæ olim vidit anima extra corpus reuocatas.*

[c] *Quarta species diuini furoris, philosophi propria.*

set Recordari verò ex his quæ hîc sunt illorũ nõ facilè est omnib. nec quæ ex illis breue tẽpus ea quę illic sunt inspexerũt neq; quæ huc descendẽtes infortunatæ fuerũt neq; quę quibusdã cõsuetudinib. deprauatæ, factorũ quæ aliquãdo inspexerant oblivionem susceperint. Quãobrẽ paucæ restãt, quibus satis memoriæ superstit. Hæ verò quãdo hîc similitudinẽ aliquã eorũ quæ illic inspexerãt, intuentur obstupescũt, & quasi extra se ponũtur: quæ tamẽ sit hæc affectio ignorant, quia non satis omnino persentiũt. Iustitiæ quidẽ & tẽperantiæ & aliorũ quæ cũq; in animis pretiosa sunt, splendorẽ nullũ in his imaginib. cernimus, sed per obscura quædã instrumẽta vix & perpauci in eorũ imagines accedẽtes eius, quod repræsentatur. *genus aspiciũt. At pulchritudinẽ tunc licebat videre clarissimã, quãdo cum beato illo choro felicẽ visionẽ contẽplationémque secuti cum Ioue quidẽ nos, alii verò cum alio quodã deorum, viderunt, & initiati sunt sacris, quæ fas est dicere sacrorũ omnium beatissima: quæ operabamur integri quidem nos & malorum expertes, quot, in posterum nos manebant: integra quoque & simplicia, immobiliáque, & beata spectacula initiati inspectãtes pura in luce puri & immaculati, solutíq; ab hoc quod nunc circunfurentes, corpus vocamus in modum ostreæ huic alligati. Hæc aũt memoriæ sunt accepta ferenda, propter quã desiderio illorum quæ quondã vidimus, nunc sermonẽ extendimus. Pulchritudo aũt, quemadmodũ diximus, & cũ illis progrediens effulgebat tunc, & huc profecti percipimus eã per sensum nostrorum perspicaciſſimũ clarissimè refulgentẽ. aOculorũ .n. est in nobis sensus acerrimus, quibus sapien-

* Genus hîc pro Idea vsurpatur.

a Oculorum vis acerrima ad pulchri speciem apprehendendam.

pientiã non cernimus. Quã illa ardentes amores excitaret sui si videretur? Eadẽ est de cæteris quæ sunt amabilia, ratio. At verò pulchritudo sola hanc habuit sortem vt maximè omnium & perspicua sit, & amabilis. a Qui ergo non est mysteriis nuper initiatus, aut potius est depranatus, haud celeriter hinc illuc ad ipsam pulchritudinem excitatur, similitudinem hic quandã quæ ab illa denominatur aspiciẽs. Quapropter non veneratur dum aspicit, sed quadrupedis ritu deditus voluptati, aggredi & concũbere nititur: petulantérque congrediẽs, nec timet, nec erubescit voluptatem præter naturam sectari. Sed qui nuper expiatus est sacris, quíue aliquãdo est plurima contẽplatus, quando vultum diuina forma decorum videt, aptè ipsam pulchritudinem imitatum, vel aliquam incorpoream speciem, primò quidem horret, metúsque vetus aliquis in eum reuoluitur: deinde inspiciens tanquam deum colit: ac nisi vereretur vehementis insaniæ crimen, sacra amatis non aliter quàm dei statuæ faceret. Intuentem verò ipsum velut ex horrore, permutatio, sudor & ardor insolitus occupat. Quando enim pulchritudinis influxum per oculos accipit, calefit, quo pennarum natura irrigatur: post quam verò incaluit, liquescunt quæ ad pullulandum spectant, quæque diu pręduritie compacta, exitum germinis cohibebãt. Vbi autem influxerit alimonia, pennarum germina iam ab ipsis radicibus tumescentia impetu quodam per animæ speciem totam niruntur erumpere. tota enim erat olim pennis suffulta. Feruet itaque tunc omnis & prosilit: atq; vt infantes quum dentes emittunt, pruritu & dolore gingiuarum vexantur: ita & pennas e-

a *Quomodo ex aspectu pulchrarum quæ sunt in corporibus formarũ excitentur & rapiantur philosophi ad recordationem veræ pulchritudinis dum alij in corporea pulchritudine pecudum more hærẽt.*

mittētis anima feruet,& titillatione moleſtiáque afficitur. Itaque cum pueri pulchritudinē intuetur, cupidinémque inde effluentem imbibens irrigatur caleſcitque, dolore iā deſinit, atque lætatur. Cùm verò procul abfuerit, exaruerintque meatus qua parte ſcaturire nititur ala, aridi & conſtricti, pennarum germen cohibent. hoc intus vnà cum cupidineo illo influxu occluſum,tumeſcentiúmque more reſiliens, ipſum ſibimet ſuos meatus vndique obſtruit pungítque. Tota igitur anima vndique ſaucia ſtimulo concitatur & angitur,turſúſque memor pulchritudinis delectatur. Ex vtriſque verò permixtis paſſionis huiuſmodi vehementia & nouitate vexatur, & anxia furit, atque inſanit. Sic affecta, præ furore neq; nocte dormire poteſt, neque die vſquam conſiſtere, ſed paſſim diſcurrit deſiderio pulchri videndi perculſa. Videns autē & influxum illum cupidineum hauriens, abſtruſa prius & concluſa,iam aperit & reſolnit.Cùm verò iam reſpirauerit, ſtimulis doloribúſque liberatur. Hac vtique ſuauiſſima voluptate in præſenti vſque adeò delinitur, vt nunquā ab eius illecebris ſponte diſcedat,neque quenquā pluris faciat quàm amatum, ſed parentes, fratres,amicóſq; oēs obliuioni tradit, ac diſſipato per incuriā patrimonio minimè cōmouetur, patrias quoque conſuetudines & dignitates quib.gloriari ſolebat, penitus aſpernatur, & ſeruire, & iacere parata vbicunque permittitur, modò proximè ſuum deſiderium. Non enim colit ſolummodo & veneratur formoſum, ſed medicum etiā hunc grauiſſimorum morborū ſibi ſolum inuenit. Hunc vtique affectum ô ingenue adoleſcens, ad quem meus eſt ſermo, ho-

mines

mines ἔρωτα, id est amorem, appellant. Quo autem modo dii nominant, si audieris merito propter iuuentutem ridebis. Tradunt Homerici quidam, vt arbitror, ex reconditis carminibus, in amorem carmina duo, quorum alterum valdè petulans, neque admodū concinnū. Sic autem aiunt. Hunc quidē mortales ἔρωτα, id est, amorē, vocant amabilē. Immortales aūt alatum, propter volandi necessitatem. His partim licet credere, partim non licet. Atqui causa affectióque amantiū hæc ipsa est. Quotcunque igitur ex Iouis sectatoribus capti fuerint, grauius constantiúsque alati, illius onus ferre possunt. Qui verò Martem coluerunt, cúmque illo circunuagati sunt, amore illaqueati, siquā ab amato sibi inferri iniuriā putant, in eādem facilè prouolant, præcipitéque tum ad seipsos tum ad amatos necandos feruntur. Atque ita secundum quenque deorum cū quo quilibet chorum egit, eundē honorat, imitatúrq; quoad viuere potest, & quoad permanet incorruptus, & hoc pacto primā hic vitæ generationē ducit, talémque seipsum ad amatos & alios exhibet. [a] Amorem ergo pulchrorum ex suo quisque deligit more, & tanquam Deus sibi ille sit, quasi statuam fabricat & exornat, vtpote honoraturus, atque sacrificaturus. Iouis itaque cultores eum sibi amandum quærunt, cuius louialis sit animus. Quare considerant vtrūm ad philosophiam & imperium natura sit aptus: & quando illum amant inuentum, omni opere contendunt quo ille talis euadat. Ac nisi prius quod exoptāt ingressi fuerint studio suo, tunc contendunt admodū discúntque vndecunque aliquid possunt, atque ipsi etiā ad hunc opus progrediuntur. Inuestigantes autem

[a] *Amasium veri et casti amatores sibi similem morib. quoad possunt maximè eligunt.*

ex seipsis dei sui naturã, voti tandẽ compotes fiunt, ex eo quòd summa quadam attentione mentis aciẽ in Deum erigere cõpellãtur. deinde cum per memoriam illum attingant, diuinitate afflãtur, atque ex eo mores & studia, quatenus homini licet dei participem fieri, capiunt. Quoniã verò [omnia attribuunt & accepta referre cupiunt à se amato numini] dilectione ardentius accenduntur, quòd si ab Ioue hauriant bacchantiũ sacerdotum more, in amati animum transfundentes, proprio Deo quoad possunt, similimum reddunt. Quicunque verò Iunonem secuti sunt, regium quærunt, quo inuento similiter affecti eadem erga illum omnia faciunt. Apollinis præterea reliquorúmve cultores deorum singuli deos singulos imitãtes, eodẽ modo affectũ natura adolescẽté quærunt, eóq; cõparato & ipsi imitãtes, & adolescentibus persuadentes, moderantésq; in numinis ipsius studiũ & ideã pro viribus agunt. Nõ inuidia, non illiberali maleuolentia in adolescentes suos vtuntur, sed omni studio illos ad perfectã tũ sui, tũ Dei quẽ colunt similitudinẽ formare conantur. Cura igitur finísq; verè amantiũ si modò quod cupiũt, fuerint assecuti, talis est profectò, qualem descripsimus: & insignis admodũ felixq; ab amico propter amorem furente, dilecto suo, si electus fuerit, prouenit. Cõprehenditur autẽ electus hoc pacto. [a] Quãlibet animã ab initio huius fabulæ trifariã diuisimus: atq; equorũ quidẽ formas geminas, duas quasdã species posuimus: aurigã verò speciẽ tertiã: eadẽq; nobis in præsentia manẽt. equorũ aũt alter bonus, alter nõ. Quæ autẽ aut boni equi virtus, aut mali prauitas sit, nõdum planè diximus, nũc verò dicẽdũ. Bonus excellen-

[a] *Declarat Socr. quomodo in amore puerorũ sapiens refrenans libidinum impetum tandem totũ illum amorem qui in corporis amati formã ferebatur cõuertit in amorẽ veræ & cælestis pulchritudinis quã et ã transfindit in animum*

lętiori habitu est, specie rectus, mẽbris expressus, ardua ceruice, natib. modicè aquilinis, nitido colore, nigris oculis honoris cupidus, tẽperãtiæ pudoriſq; particeps, ac veræ opinionis amicus, nullis ſtimulis indigẽs, ſed cohortatione ſola rationéque regitur. Alter intortus & multiplex remeréq; delat⁹, fuſtiſq; & cõfusè cõpoſitus, tigẽti & dura ceruice, atq; demiſſo collo, ſimo vultu, fuſco cõlore, oculis cęſiis ſanguinéq; ſuffuſis, moroſus & cõtumax, hirſutis aurib. atq; ſurdis, vix flagello ſtimuliſq; obtẽperãs. Quãdo igitur auriga amatoriũ aſpiciẽs vultũ, totãq; ſenſu inflãmãs animã titillationis & deſiderii ſtimulis cõcitatur, tũ qui aurigę obediens eſt equorũ, vt cõſueuit, pudore cohibitus ſeipsũ cõtinet ne proſiliat in amatũ. Alter neque ſtimulis, neq; verberibus coerceri poteſt, ſed exultat, ac violentia delatus coniunctũ ſibi equũ, aurigámq; perturbat, rapitq; ad Veneris voluptatem. At illi ab initio aduerſantur, indignati quòd ad grauia & iniqua trahãtur. Tandem cum malum id minime ceſſet, cõpulſi feruntur cedũntque iam, & conſentiũt quod iuſſi ſunt facere. accedunt itaque ad amaſium, aſpectúmque ipſius coruſcum inſpiciunt. Quẽ intuitus auriga, pulchritudinis ipſius naturã memoria repetit, turſúſque illã cũ temperantia cernit in caſto fundamento firmiter collocatã. Videns autem metuit, ac præ reuerentia recidit reſupinus: vbi ſimúlque cogitur vſqueadeò habenas retrahere, vt equi ambo femoribus, aut natibus humi reſideant, ſed alter quidé ſpõte, quia minimè reluctatur. procax autẽ equus alter prorſus inuitus. Longius verò diſcedentes, alter quidem propter verecundiam admirationémque ſudore totam

animam madefacit, alter verò à dolore liberatus, quem & frenum & casus incusserat, vix tandem respirat, atque respiscens indignatione modus aurigam equúmque coniunctum increpat, quod timiditate atque ignauia constitutũ ordinẽ deserũerint. Rursúsque nolentes accedere cogens, vix tandem concessit illis differri in posterum exorantibus. Accedente autem statuto tempore, cuius esse immemores illi quidem simulant, hic verò illis cõmemorat, vrgens hinniénsque & trahens, compellit iterum iisdem verbis amatos affari. Postquàm verò propè accesserunt, inflexus extensa cauda, frenum mordet, & imprudentissimè rapit. Sed auriga multò magis eadem passus, & quasi à carcere statim humi decumbens, habenas longè vehementius trahit, & dentes equi flagitiosi reprimit, atque impuram linguam, maxillásque cruentas, crura natésque humi defigit, ac pœnas dare compellit. Quòd cùm sæpe iam prauus equus ille perpessus est, lasciuire destitit, mansuefactus iam aurigæ obtemperat prouidentiæ: atque etiam cum videt pulchrũ, formidine contremiscit, adeò vt quandoque contingat amatoris animam iam cum reuerentia quadam & metu adolescentum vestigia sequi. Vtpote igitur omni cultu, tanquam Deo æqualis adolescens obseruatus ab amatore, haud quidem simulante, sed reuera sic affecto, cùm & ipse natura colentis sit amicus, in idem postremò cum amatore conspirat: ac etiam si antea à familiaribus suis condiscipulísque, & aliis per calumniam deceptus fuerit, dicentibus turpe esse amanti hærere, ideóque amantem reiecerit, tandem verò procedente tempore ætas, & naturæ debitus ordo eum in consuetu-

ſuetudinem amantis inducunt. Nunquam enim fato decretum eſt, vel malum amicũ malo, vel bonum bono non amicum eſſe. Ergo cum adoleſcens colloquio & cõſuetudine receperit amatorẽ, tunc amantis illius beneuolentia iam facta propinquior, amatum ipſum admirari cõpellit, animaduertentẽ neceſſariorum amicorúmque omnium aliorum beneuolentiam, ſi cum amico diuinitus afflato conferatur, nullius fore momenti: ac ſi ſenior illa diu ſic pergat, hæreátque, & in gymnaſiis cæteríſve ſimilibus tangat, tunc iã fluxus liquoríſque illius fons quem ἵμερον, id eſt cupidinem influxum Iupiter Ganimedis amore captus vocauit, qui in amantem vberrimus influxit, partim in ipſum infuſus eſt, partim foris effluit cùm exuberauit. Ac veluti aer & * Echo à leuibus ſolidíſque repulſa corporibus eodem vnde venerunt, iterũ reflectuntur: ita pulchritudinis ille fluxus rurſus in pulchrum per oculos reflũens, quà penetrare in animam conſueuit, adeò pennarũ meatus irrigat, vt & poſſint iam & incipiant pullulare, atque ita amati animũ mutuo implet amore. Amat igitur, quid verò amet ambigit, affectũque ſuũ nec nouit, nec eloqui poteſt: ſed perinde ac ſi lippi alicuius aſpectu oculos ſimiliter ſit infectus, præſentis morbi aſſignare cauſam neſcit, nec animaduertit, quod ſeipſum in amatore tanquã in ſpeculo reſpicit. Itaq; preſente illo, dolere vt ille ſimiliter deſinit, abſente verò deſiderat viciſſim deſideratus, mutuũ amorem tanquã amoris ſimulachrũ poſſidens, nec amorẽ ipſum, ſed amicitiã vocat, & putat. Cupit ergo fermè vt ille, quãuis moderatius, videre, tãgere, amare, oſculari, conſiderare, & vt par eſt,

* Echo.

posthac protinus hæc facit. In ipsa igitur consuetudine amatoris quidē intemperans, equus aurigā compellans, breuem efflagitat pro multis laboribus voluptatē: adolescētis autē equus eidem quid dicat ignorat, sed pereitus, anxiúsque amanté mutua prosequitur beneuolentia, & cōplectitur, atque in ipso familiari congressu paratus est pro viribus amatoris desiderio obtemperare, si ille quid expetat. Coniugatus autē equus simul & auriga cū pudore, & ratione his in rebus hic aduersantur. Quare si secundum rectā vitæ institutionem & philosophiæ studia meliores cogitationis partes obtineant, beatā atque concordē præsentem vitā agunt sui ipsorū domini atque modesti, ea parte subiecta cui animæ vitiū inest, ea contrà liberata ad quā probitas pertinet. [a] In huius autē vitæ fine recuperatis alis prępetes euolant, cùm triū certaminū verè Olympicorū vnū peruicerint. Quo quidē nullū præstantius bonū, aut humana tēperantia, aut diuinus furor hominib. afferre potest. [b] Quod si tetriorē quandā vitā, philosophiæ expertē alioquin ambitiosam sequuti sint, fortè in ebrietate, aut alia quauis desidiosa licentia, intēperati illorū equi incautas animas inuadunt, eásque in idē illud oblectamenti genus quod vulgò beatissimū iudicatur, conducentes, sectari cōpellunt, inque eius desiderij expletione iā deinde versantur. Hæc tamen idcirco rarò vtuntur, quia non omnis in hoc consentit animi cogitatio. Amici ergo & isti, licet minus quàm illi superiores, tū feruente amore, tū restincto degunt fidē sibi inuicē firmissimā & dedi[illegible]e & accepitle putātes. nefas n.esse ducunt fidē frangere, & inimicos quandoque ex amicis euadere. Demū cùm natu-

[a] *Quis sit exitus ex hac vita eorum qui vt modo declarauit, adolescentes amarunt.*

[b] *De iis modò loquitur qui ita amant adolescentes vt cum ipsis se cōmisceant.*

turæ concesserint: sic affecti abeunt, vt alati quidē nondū sint, sed pennas emittere quodāmodo ceperint. Quāobrem præmiū amatorij furōris non paruum reportant. Nā in tenebras locūque sub terrā descendere illos, qui iā iam ad cœlos ducens agere cœperant, lex prohibet: sed clarā vitā agentes beatos fieri iubet, dū vnà pergunt, & simul alas emittunt, atque hæc amoris gratia fiunt. Tot igitur ac talia, ô puer, támque diuina, amatoris tibi amicitia conferet. Eius autē qui non amat, familiaritas tēperantiæ mortali coniuncta, mortalibúsque & exilibus ministeriis dedita illiberalitatē illam, quæ vulgò virtus habetur, in sodalis sui anima generabit, efficiétque vt nouē annorū millia super terrā & sub terrā demens peregret. [a]Hāc tibi, ô dilecte Amor, quàm pulcherrimè optimēque valuimus poeticis tū verbis, tū figuris impulsu Phædri palinodiā cecinimus. Quare & antè dictis ignoscens, & hæc grata à nobis accipiēs, benignus propitiúsque mihi adsistes: amatoriā artē abs te conciliam, neque auferas indignatione aliqua, neque etiā minuas. Quinetiā da, vt magis quàm nunc apud honestos in pretio sim. Tū si quid numine tuo indignū à Phædro, & à me dictū sit, Lysiā disputationis huius autorē accusans, ab huiusmodi sermonibus desistere facias, & ad philosophiā quēadmodū frater eius Polemarchus versus est, ita illum conuerte, vt & hic eius amator Phędrus, haud amplius vt nunc, modò huc, modò illuc se transferat, sed in amoris simul & sapientiæ studio prorsus vitam agat.

[a] *Conclusio eorum quæ dicta sunt in laudē Amoris.*

PHAE. Hæc ego quoque si præstat ita fieri ô Socrates, Deū oro. Tuū verò sermonē iampridē admiror, quòd longè superiorē antecellat:

vt iã verear, ne Lysias mihi humilis videatur si se cũ alio conferre studeat. Atqui eũ nuper quidã eorũ qui Rẽpub. administrant, ô vir mirifice hoc ipso nomine vituperauit, tota accusatione quendã orationũ cõpositorẽ vocans. fortè igitur, vel ob ambitionẽ, à scribẽdo deinceps abstinebit. SO. Ridicula hæc, ô adolescẽs, sententia est, & ab amici mente longè aberras, si eũ vsque adeò meticulosum putas, fortè verò obtrectatorẽ eius existimas rectè dixisse quæ dixit PH. Ita profectò visum est, ô Socrates: neque te fugit potentes in repub. præstantésque viros vereri orationes cõponere, suáq; scripta relinquere, ne sophistæ fuisse posteris videantur. SO. Prouerbiũ illud, dulcis cubitus, ô Phædre, te latuit, à longo cubito, qui prope Nilum est, ductũ fuisse. neque id solũ, sed illud quoque te fugit, quòd qui inter eos qui Remp. administrãt, sunt prudentissimi, in conscribẽdis posteritatíque relinquẽdis orationib. summopere student, qui vsq; adeo laudatores suorũ operũ, diligunt, vt primos eos adscribãt, qui scripta vbique laudent. PH. Quomodo id ais? Non enim intelligo. SO. [a] Nescis quòd in exordio libri à politico viro compositi, primus est laudator adscriptus? PH. Quo pacto? SOC. Probatũ est, inquit, scriptũ senatui, aut populo, aut vtrisq;: & ille qui dixit, seipsum ambitiosè nominans, extollénsque sententiæ autorẽ, deinde etiã dicit post hæc, suã ostentans laudatorib. sapientiã. Idq; sæpe postquã prolixã orationẽ habuerit, An aliud quicquã tibi istud videtur, quàm scripta oratio? PH. Nõ aliud certè. SOC. Quòd si approbetur, gestiens ex theatro discedit, tanquã poeta: sin autẽ reprobetur, indignúsque iudicetur, qui mandet aliquid scriptis, mœrens

Prouerb.

[a] *Non est turpe aut vitio vertendũ si quis aliquid scriptis mãdet, modò bene scribat.*

mœret ipſe, eiúſq; amici. PH. Et maximè quidē. SO. In hoc planè demonſtrant ſe minimè aſpernari ſtudiū huiuſmodi, ſed multi facere. PH. Sūmopere. SO. Quid verò ſi orator quiſpiā, aut rex eā nactus ſit facultatē, vt quēadmodū Lycurgus, aut Solo, aut Darius immortalis in ciuitate ſcriptor haberi poſſit, an non & ipſe æqualē ſe Deo, adhuc viuentē exiſtimat? & poſteri monimenta eius conſiderantes, de illo ſimiliter iudicant? PH. Vehementer. SO. An igitur cenſes taliū quempiā, vel quantumcunque maleuolū Lyſiæ ſtudiū eius hoc ſcribendi vituperaturū? PH. Ex his quæ tu dicis id conſentaneū non videtur: nā ſuū quoque ſtudiū, vt videtur, vituperaret. SO. Ergo ex hoc perſpicuū eſſe cuique poteſt, nō ob hoc ipſum quòd ſcribat, quenquā eſſe vituperandū. PH. Quid enim? SOC. At illud eſt, vt arbitror, turpe, turpiter ac malè & loqui, & ſcribere. PH. Manifeſtū id quidē. Quænā igitur & bene, & non bene ſcribēdi ratio eſt? SO. Nunquid opus eſt nobis, ô Phædre, de his à Lyſia, vel ab alio ſciſcitari, qui vel quādoque ſcripſerit aliquid, vel ſit ſcripturus, ſeu ciuile publicū opus, ſiue priuatū, aut carmine, vt poeta, aut tanquā priuatus, oratione ſoluta? PH. Rogas an opus ſit? Cuius enim gratia vt ita dicā, viuat quiſpiā, niſi huiuſmodi voluptatū? [a] Non enim illarum gratia, quas dolor neceſſariò antecedit, alioquin voluptas minimè prouenit: quòd omnes penè voluptates corporis habent. Quare ſeruiles non iniuria ſunt appellatæ. SO. Otio vtique abundamus, ac etiā mihi videntur velut in æſtu ſuper caput noſtrū cicadæ canentes, & inuicem diſputantes nos contueri. Si ergo nos viderent, quemadmodum & alios multos in meridie non di-

[a] *Voluptates corporis ſeruiles, quia eas ſerè ſemper antecedit dolor.*

sputantes quidē, sed dormitantes, ab ipsis ob mentis desidiam delinitos, meritò derideret, existimantes mancipia quædā ad eas illuc diuertisse, inque ipso secessu tanquam pecudes sub vmbra secus fontem meridiano somno teneri. Si autem viderint differentes nos, minimēque ab illarū, quasi Sirenum illecebris captos quo minus portum versus enauigaremus, fortè nobis libentissimè præmiū illud tribuerent, quod deorū concessione traducere ad homines possunt. PHAE. Quídnā muneris istud est quod possident? Nunquā enim audisse videor. SO. Non tamen decet Musarū studiosum virum rerū huiusmodi ignarū esse. Fertur autem has olim homines ante Musas fuisse. Natis deinde Musis cantúque monstrato, illorum nonnullos voluptate cantus vsque adeò delinitos fuisse, vt canentes cibū potúmque negligerent, imprudentérque perirent: ex quibus deinceps cicadarum genus sit natum, munus hoc à Musis nactū, vt alimonia non indigeat, sed absque cibo potúque quandiu vixerit, canter. postea verò ad Musas proficiscatur, quam quis hominum Musam hic colat, renunciaturum. Ergo [b] Terpsichoræ nuncianies qui præcipuè illam in choris cœtibúsque celebrauerint eam ipsis propitiam reddunt. [c] Erato autem eos qui in rebus amatoriis honorauerint, atque aliis eodem modo pro sua cuique venerationis specie. [d] Calliopæ autem antiquissimæ, eámque sequenti [e] Vraniæ, eos qui in philosophia viuunt colúntque ipsarum musicam, referunt: quæ præcæteris Musis circa cœlum, atque sermones tam diuinos, quàm humanos versantur, vocē pulcherrimè modulātes. Itaq; multis de causis dicendū est aliquid, neque

[a] *Fabula de hominib. in cicadas conuersis.*

[b] *Terpsichore Musa qui bus studiis præsit.*

[c] *Quib. Erato.*

[d] *Calliopa.*

[e] *Urania.*

neque in meridie dormitandum. PH. Dicendum certè. SOC igitur quod modò statueramus, iam considerandū est qua videlicet ratione quis rectè aut non rectè & loquatur & scribat. PHAE. Proculdubio. SOCR. Annon necesse est eum qui rectè dicturus sit, veram in ea re de qua loquatur, intelligentiam habere? PH. Audiui equidem, ô Socrates amice non esse futuro oratori necessarium, quæ reuera iusta sint discere, sed quæ iudicantium multitudini videantur: neq; reuera bona aut honesta, sed quæ sic appareant: ex his enim potius quàm ex veritate posse persuadere. SOCR. Nunquam, ô Phædre, sapientū contemnenda sunt dicta, imò diligenter quid sibi velint consideranda. Itaque quod modò dicebas, prætereundū esse nō arbitror. PHAE. Probè loqueris SOCRA. Sic igitur istud consideremus. PHAE. Quo pacto? SOCRA. Si tibi suadeam, hostes te equo expugnaturum: vtrique vero equum ignoraremus, sed ego id tantùm de te scirem, quòd Phædrus equum putat esse illud animal, quod ex omnibus domesticis auriculas maximas habet. PH. Ridiculum id quidem esset, ô Socrates. SOC. Nondum istud: sed quando obnixè tibi persuadere conaretur oratione in asini laudes compositā equum illum vocans, affirmánsque præstantissimum animal esse, vtile domi & foris, ad bellum promptissimum, ad sarcinas ferendas aptum, & ad multa alia commodissimum? PHAE. Valdè id absurdū. SOC Nónne præstat ridiculū amicum esse, quàm grauē & inimicum? PHAE. Videtur. SOC. Quando igitur orator boni malique ignarus ciuitati similiter affectæ suadeat, non oratione quidem in vmbræ asini laudem, tanquā equus illa sit, cū-

An oratori necessarium sit nequaquā verè iusta, sed apparentia iusta dūtaxat discere. V. de Gorgiam.

posita sed de malo tanquam bonum id sit differens, vulgíque opiniones aucupatus, mala facere pro bonis inducat, qualem putas oratorem huiusmodi segetem quam seuit messurũ? PHAE. Haud sanè bonam. SOCR. Num, ô bone vir, rusticus quàm deceat, dicendi artem vituperauimus? Illa verò forsitan dixerit: Quid, ô viri mirabiles, deliratis? Ego enim neminem veritatis ignarũ discere orare compello, sed siquis consilio meo usus, percepta veritate me capiet. Hoc sanè affirmo esse maximum, quòd absque me etiam si quis res nouerit, nihilo magis persuadendi vim tenebit. An non iure hæc dixerit? PHA. Fateor equidem, si modò sequentes rationes artem esse illam testentur. Audire nanque mihi videor rationes nonnullas, quæ asserunt, mentiri eam, neque artem esse, sed aliquem sine arte vsum. Veram autem dicendi artẽ absque veritate, inquit Laco, neque esse aliquã, neque vnquam fore. Has rationes, ô Socrates, sed huc eas adducens quid dicant, & quomodo discute. SOC. Adeste animalia generosa, ac Phædro honesto adolescẽti persuadete, nisi sufficienter philosophetur, eũ nunquã aliqua de re sufficienter esse dicturum. Respondeat Phædrus Socrati interroganti. Annon rhetorica omnino ars erit alliciens animam per sermones non in iudiciis modò cæteríque publicis cœtibus, verumetiam in priuatis congressibus eadem de magnis quibusque rebus & paruis? Nihil enim honorabilius in magnis, quàm in exiguis ex recta artis ratione se gerere. Nunquid tu hæc audisti? PHA. Non ita prorsus per Iouem. Verùm circa iudicia præcipuè ars ista dicitur, scribitúrque, necnon circa concionẽs: vltra verò eam porrigi non audiui. SOCR. Nun-

a Rhetorica an sit ars.

b Rhetorica an in iudiciis dũtaxat & publicis deliberationibus locum habeat.

Nunquid artem dicendi qua Nestor & Vlyssés apud Ilium vsi sunt, audisti? eam verò qua Palamedes, audisti nunquam? PHAE. Et per Iouem Nestoris orationes audiui: nisi fortè Gorgiam, Nestorem fingis esse, aut Trasymachum Theodorúmque Vlyssem. SOC. Forsan sed hos mittamus. Tu verò respondes. Quid in iudiciis aduersarij faciunt? [a] Nónne contradicunt? An quid aliud dicemus? PHAE. Hoc ipsum. SOC. Non de iusto atque iniusto? PH. Itas SOC. Nónne qui arte id agit, efficiet, vt idē iisdem tum iustum tum iniustū appareat? PH. Quid prohibet? SOC. Et in concione: vt eadem ciuitati modò bona, modò cōtraria videātur? PHAE. Certè SOC. Enimverò Eleatem Palamedem artificio suo efficere solitum accipimus, vt eadem audientibus similia & dissimilia, vnum & multa, manentia & fluentia videri. PHAE. Maximè. SOCR. Facultas ergo contradictoria, non in iudiciis solùm & concionibus, verumetiam in omnibus, vt appareat, quæ dicuntur, quandoquidem vna quædam ars est, versatur: quæ quis poterit omnia omnibus, & quæ possunt: & quibus possunt, similia fingere, & alio assimilante & occulente in lucem educere. PH. Quónam pacto id ais? SOCR. Hoc equidem. Num deceptio in his quę multùm, an quæ parum differunt? accidit. PHAE. In his quæ parum. SOC. Atqui si paulatim transieris, latebis magis dum ad contrarium venies, quàm si subitò transilieris? PH. Quidni. SOC. [b] Oportet igitur eum quicunque decepturus sit alium, ipse minimè decipiēdus, similitudinem & dissimilitudinem rerum exquisitè dignoscere. PHAE. Necessarium est, SOC. Nunquid igitur singulorum veritatis in-

[a] *Cum Rhetorica profitea-tur se oppugnare posse ad uersariorum sententias & ad id pluri-mū valeat similiū vel dissimiliū rei de qua agitur cognitio & ista cognosci nō p̄ossint nisi recognita efficitur Rhetori cā egere cognitionenō so lū eius quod apparet sed etiam eius quod verè res est.*

[b] *Similitudo decepturis artifex in re ne.*

scius poterit eius quod ignorat similitudinem in vniuersis paruâ aut magnâ diiudicare? PH. Impossibile id est quidem. SOC. Ergo illos qui præter rerum naturâ opinantur, falsique sunt, constet propter similitudines aliquas sic esse affectos. PHAE. Sic accidit. SOC. Num igitur poterit quisquam si rem quancunque ignorauerit, artificiosè aliquem sensimque à vero in contrariũ per similitudines aliquas sigillatim traducere? aut errorem hunc in seipso vitare? PHAE. Nunquam. SOCR. Quamobrem, ô amice, quicunque veritatem ignorat, & opinionibus ducitur, dicendi quoque facultatem, vt videtur, inertem exhibet atque ridiculã. PH. Ita videtur. SOC. An vis in oratione Lysiæ, quã in manibus habes, & in nostra disputatione videre, vbi artificiosè, & vbi sine arte agitur? PHAE. Maximè omnium. [a] Nude enim in præsentia loquimur, cùm exemplis idoneis careamus. SOCR. At enim fortuna quadam [orationes duæ recitatæ sunt, eius rei exemplum continent] compotem nimirum veritatis virum dum verbis iocatur: trahere auditores. Atque ego, ô Phædre, locales deos huius rei causas arbitror. Fortè etiam Musarum prophetæ super capita nostra cantores munus hoc nobis inspirauerunt. Ego enim dicendi artem habeo nullam. PHAE. Esto vt ais. Solùm quod dicis ostende. SOCRA. Age itaque, proœmium orationis Lysiæ lege. PHAE. *Mearum quidem rerum status sic, vt intellexisti, se habet: itaque cùm ita sit, quemadmodum nobis conducere putem, audisti. Arbitror equidem me non minus ob id abs te si quid petiero consecuturum, quòd amore tui captus minimè sum. Nam amatores cum primùm amare desierunt, collati beneficij pœnitet.* SOC. Desine.

[a] *Nudè loquũtur, qui exẽpla non adferunt.*

In quo

In quo iſte delinquat,& quid ſine arte faciat, dicendum. Nónne? PHAE. Profectò. SOC An non conſtat cuique quòd in aliis, dum loquimur, idem ſentimus omnes, in aliis verò non idem? PHAE. Quamuis quod ais intelligere videor, planius tamen vt dicas cupio. SOC. Quãdo quis ferri nomen vel argenti pronunciat, idẽ omnes protinus intelligimus. PH. Prorſus. SOC. Quid cum iuſti, vel boni nomen? nónne alius aliò fertur? atque cum aliis,& nobiſcum ipſi ambigimus? PHAE. Magnopere. SOC. In aliis ergo conſentimus, in aliis diſſentimus. PHAE. Sic eſt. SOC. Vbinam facilius falli poſſumus? & in quibus horum rhetorica plurimùm valet? PH. Patet, in quibus ambigimus. SOCR. Oportet igitur eum qui rhetoricam ſit aſſecuturus primùm hæc ordine diſcreuiſſe,& vtriuſque ſpeciei formam comprehẽdiſſe, & vbi maximè falli ambiguitate multitudo poteſt & vbi non poteſt. PHAE. Præclaram quãdam, ô Socrates agnoſceret ſpeciem qui cogitatione id caperet. SOC. Deinde oportere arbitror, eum nihil latere, cum ad ſingula venerit, ſed acutè perſentire, id de quo dicturus ſit vtrius ſit generis. PHAE. Cur non? SOCR. Quid porrò amorem? vtrum ambigui generis an alterius eſſe dicemus? PH. Ambigui prorſus. SOC. An putas eum tibi illa de ſe dicere conceſſurum, quæ ſuprà dicebas? quod videlicet amato ſimulatque amanti pernicioſus eſt, ac rurſus quòd omnium maximum eſt bonorum? PH. Scitè loqueris. SOC. Sed id quoque dicas, ego enim propter diuinum illum afflatum non admodum memini, num amorem in diſputationis principio definierim PHAE. Per Iouem mirificè. SOC. O quantò ſolertiores Acheloi,

a Ad veræ rei multiplicis notitiam cõparandã definitio & diuiſio neceſſaria.

nymphas, & Pana Mercurij filium Lysia Cephali filio ad orationes componendas esse demonstras? An verò nihil dico? sed Lysias quoque in amatorij sermonis exordio coegit nos intelligere Amorē. certū aliquid esse quod ipse volebat, atque ad id sequentia referens orationem omnē peregit? Vtsine principiū rursus legamus? PH. Vt lubet, quamuis ibi quod quæris, minimè sit. SOC. Lege vt illū ipsum audiā. PH. *Mearum quidem rerū status, sicuti intellexisti, se habet: atq; cùm ita sit, quemadmodum nobis conducere putem audisti. Arbitror equidē non minus ob id abs te siquid petiero, consecuturum, quòd amore sui captus minimè sum. Nam amatores cùm primum amare desierint collati beneficij pœnitet.* SOC. Permultū abesse videtur, vt quod quærimus, faciat, siquidē non à principio, sed à fine modo quodā & conuerso & resupino sermonem transigere nititur, incipítque ab illis, quæ amator extincto amore adolescentibus obiicit, An forte nihil dixi Phædre mi ô lepidum caput? PHAE. Finis est profectò, ô Socrates, de quo sermonem habet. SOCR. Quid alia? nónne sparsim disiecta omnia videntur? An censes quod secundo loco positum est, necessitate quadam ita esse subiunctum? aut aliquid aliud ab illo dictorum? Nam mihi quidem vtpote omniū ignaro, videtur non ingenerosè quisquid incidit à scriptore dictum fuisse. Tu verò necessitatem scribendi aliquam habes, per quam ille sic ea inuicem deinceps disposuit. PHAE. Optimus es ô Socrates, siquidem me putas scripta adeò subtiliter posse diiudicare. SOC. Sed hoc arbitror te dicturum, oportere orationem omnem tanquam animal quoddā constitui, vt suum quoddam habeat corpus, quod

Oratio tota est tāquā animal quod dā, debet enim habere caput, brachia, manus, pedes & cætera omnia mēbra sua.

quod neq; sine capite sit, neq; pedibus careat, sed habeat media atque extrema sibi inuicem & toti conuenientia. PHAE. Quidni. SOC. Considera quæso, vtrum amici tui oratio sic se an aliter habeat. Reperies eã nihilo ab eo epigrãmate discrepare, quod Midæ Phrygio inscriptũ nonnulli fuisse tradunt. PHAE. Quid istud, & quale? SOC. Audi.

Ænea virgo Midæ regis sum imposita sepulchro,
Dúmque fluunt fontes, arbos dum celsa virescit,
Æternum durans lugubre insisto monumentum
Atque Midam viatori narro hic esse sepultum.

Quòd verò nihil interest quamlibet eius partem vt primã, vel vltimam ponere, vt arbitror, tu ipse vides. PHAE. Orationem nostram mordes, ô Socrates. SOC. Hanc ergo ne nobis succenseas, dimittamus, quanuis in ea multa reperiri posse exempla videantur, quibus inspectis vtilitas nobis ex hoc prouentura sit, ne talia imitemur. [a] Verùm ad orationes alias descendamus: habebant illæ quidem nonnihil, vt arbitror, quòd à viris dicendi studiosis sit obseruandum. PHAE. Quid illud? SOC. Erant vtique contrariæ. altera siquidem amanti. altera non amanti inhærendum asseuerabat. PHAE. Ac strenuè quidem SOC. Quod verius est, te responsurum putaram, videlicet ac furio sè quidem. Cæterùm quod quærebam id ipsum est. Furorem quendam Amorem vocauimus, an non? PH. Certè SOC. Furoris autem duas species ponimus. Alteram ab humanis morbis. Alteram ex alienatione diuina, qua extra consuetam vitæ constitutionem quis rapitur. PHAE. Omnino. SOCR. Diuinæ autem partes quatuor. vt etiam dij præsunt quatuor. Et vaticinij quem inspirationem Apol-

[a] *Recapitulatio cõplectẽs diuisionem & definitionem Amoris & furoris superius allatã quam quidem exemplo ostendit quãtus sit in rebus rectè tradendis definitionis & diuisionis vsus.*

lini, mysteria Dionysio, poeticam Musis, amatorium furorem Veneri & Amori omnium optimum tribuimus. Ac nescio quo modo, dum amoris affectū per imagines quasdam effingeremus, veritatem forte aliquam attigimus, fortè etiam aliò delati sumus. Ideóque miscentes orationē non penitus improbabilem, fabulosum quendam hymnum cōposuimus, & quasi ludentes meum ac tuum, ô Phædre, dominum Amorē pulchrorum præsidem puerorum, modestè laudauimus. PHAE. Hæc mihi auditu nō iniucunda. SOCRAT. Hoc itaque inde accipiamus, quo pacto à vituperatione ad laudes disputatio pertranſiuit. PHAEDR. Quonam modo id ais? SOCR. Mihi quidem videntur ęcera reuera lusisse. At si quis duarum specierū in quas modò fortuna incidimus, vim arte compræhenderis, opus non ingratum fuerit consecutus. PHAED. Quas species dicis? SOC. [a] Vt in vnam ideam conspiciens passim dispersa conducat, quò singula definiens, manifestū reddat semper id quod docere instituit. Quēadmodum nos in præsentia quid Amor sit definiuimus, siue bene siue malè id factum sit. Certè hinc disputatio nostra claritatem in se habuit, constantémque sibiipsi concordiā. PHAE. [b] Alteram verò speciem quam dicis, ô Socrates? SOCR. Vt rursus secundum species articulatim pro rerum natura incidat, neque imperiti coqui ritu vlla membra confringat, sed perinde faciat, vt superiores sermones fecerunt, qui concitationem mentis vnam cōmunem speciem acceperunt. Quemadmodum verò in vno corpore membra gemina eodem nomine nuncupantur, dextrum vnum, sinistrum alterum, sic & concitationis speciem in nobis

[a] *Definitionis vsus.*

[b] *Diuisiones generum in species quomodo fieri debeant, vide Politicū.*

nobis natura vnam sermones illi existimauerunt. Et prior ille quidem parte sinistram diuidens, ac rursus hanc partiens non prius destitit, quàm ibi sinistrum quendam reperiret amorē, inuentúmque, vt par est, improbaret. Sequens alter in dextram furoris partem nos duxit, vbi Amorē nomine priori similē, sed diuinum inueniens, & amplificans laudauit tanquam bonorū nobis causam maximorum. PH. Verissima loqueris. SOCRAT. Huiusmodi ego diuisiones collectionésque, ô Phædre, amo, quo & intelligendi, & loquendi sim compos. [a] Ac si quem alium vnum & multa pro rerum natura perspicere posse arbitror, eius ego vestigia velut numinis cuiusdam sequor. Atque eos qui id facere possunt, recténe an contrà cognominē, deus ipse nouit. Voco autem hactenus dialecticos. Nunc verò dic obsecro, quo nomine tua Lisiæque sententia nuncupari oporteat. An hæc dicendi ars est, qua Trasymachus, aliíque vsi, sapientes & ipsi in dicendo fuerunt, cæteróque reddiderunt tales, quicūque illis tanquam regibus offerre munera volunt? PHAE. Regij quidem illi viri, non tamen earum rerū periti, de quibus interrogas. SOCRAT. Sed hanc speciē rectè sanè dialecticam appellare videris, rhetorica verò adhuc nos fugit. PHAE. Quomodo istud ais? SOCRAT. Pulchrúmne aliquid erit, quod ab aliis alienū, arte tamen percipiatur? Haudquaquam spernendū id tibi mihíque est, sed dicendum quid sit reliquū in rhetorica. PHAE. [b] Permulta, ô Socrates, in libris de arte dicendi compositis tradita. SOCRA. Opportunè commemorasti. Proœmiū arbitror primam orationis partem esse vocandam. Talia quædam egregia illa or-

[a] *Definitiones & diuisiones præstāt cæteris, aliæ autē pertinent ad Dialecticum.*

[b] *Præcepta Rhetoricæ tradita ab antiquis illius artis professoribus & magistris docet, nequaquā artē ipsam vt illi putarunt, cōstituere, sed esse dūtaxat quædā antecedētia, & tem cuius tota vis sit posita in recto vsu & applicatione illorum præceptorum.*

namenta artis appellas? PHAE. Sanè. SOCRA. Sequitur secundo loco narratio, testimoniorúmque assertio. Tertio coniecturæ. Quarto verisimilia. Probationem quoque & approbationē, vt arbitror, optimus orationū faber Byzantius vir induxit. PHAE Eximiū dicis Theodorū? SOCRA. Equidē. Hic etiam inuenit quo pacto in accusatione & defensione fieri, & geminari redargutio possit. Egregiū virum autē Euenum Parium cur in medium non adducimus? qui subdeclarationes primus inuenit, col laudationes præterea. nec desunt qui dicant vituperationes huiusmodi quasdam carminibus memoriæ gratia illū inserere. Vir enim sapiens est. Tisiam verò Gorgiámque dormire sinemus, qui verisimilia veris anteposuerunt, ac vi orationis efficiunt, vt parua esse magna, & magna vicissim parua, vetera item noua, & nouissima vetera videantur. Breuitatem quoque loquendi concisam, rursúsque infinitam verborum prolixitatē adinuenerunt. Quæ cū olim ex me audiret Prodicus, risit, séque solū inuenisse asseruit, quibus verbis ars illa indigeat. Egere autem neque paucis, neque multis, sed mediocribus. PHAE. Sapientissimè respondisti Prodice. SOC. Hippiam verò nequaquam commemoramus. Arbitror enim cum ipso Eliensem quoque hospitem consentire. PHAE. Cur non? SOCR. Quid porrò de musica Poli concinnitate dicemus? Qui geminationem verborum, insignes sententias, comparationes, similitudinésque inuexit, nominúmque vsum ad orationis splendorem, prout à Licymnione didicit. PHAE. Protagoræ autē scripta nónne talia quædā erant, ô Socrates? SOCRAT. Recta [illegible] ac propria, ô puer, Protagoræ eloquutio,

&

& multa in stylo præclara In cõmiserationib. autẽ à senectute & paupertate commouendis Chalcedonius orator excelluit, in ira itẽ concitanda & sedanda potens, quasi incantatione, vt inquit, mulceret. in conficiendis soluendisque calumniis vnde opus fuerit summus. De fine autem orationis omnes conuenire videntur, sed hunc alij ἐπάνοδον, id est repetitionem, alij aliter nominant. PHAE. Finem dicis summatim supradicta omnia in orationis calce in memoriam auditoribus reuocare? SOC. Hæc inquam, & siquid tu aliud habes quod de hac arte dicas. PHAE. Exigua quidẽ habeo, neque memoratu digna. SOCRAT. Mittamus exigua, sed hæc in lucem potius educamus, vt quam, & quando artis vim habeãt videre possimus. PHAED. Et maximã quidem, ô Socrates, in hominũ cœtibus potentiam habent. SOCR. Habent profectò Sed, ô beate, tu etiam vide, vtrum tibi horũ vestis, quemadmodũ mihi tara dissutáque, videatur. PHAE. Ostende modò. SOCRAT Dic age. Siquis amico tuo Eryximacho, vel patri eius Acumeno dicat in hunc modum: Ego quidem illa scio corpori admouere, quibus & calescat pro arbitrio meo, & frigeat, vomitum quoque tursúsque deiectionẽ, & expurgationes alias prouocare, cæteráque huiusmodi multa teneo, quibus cognitis, & medicũ me esse profiteor, & alium quemlibet medicum me facere posse: quid illos responsuros existimas? PHAE. Quidnam aliud quàm percontaturos, nunquid etiam sciat quibus, quando, quousque singula horum sint adhibenda? SOCRAT. Ergo si dicat nullo modo se id intelligere, sed oportere eum qui ab ipso dicerit, talia quædam facere posse, quid re-põ-

debunt? PHAE. Certè huiusmodi hominem insanire, qui cùm ex aliquo medicorum libro audiuerit quandoque aliquid, & in medelas nonnullas incideritneque quicquam artis intelligat,medicũ euasisse se putet. SOCR. Quid verò si ad Sophoclẽ, & Euripidẽ diceret quis, scire se parua de re prolixã orationem habere, & contrà de magna breuissimam, & quoties velit misericordiam mouere, atque eius contrarium, horrorem,& minas incutere, cæteráque similia atque his docendis tragicã poesim se docere putaret? PHAE. Et hi,ô Socrates, vt opinor,illum riderent,qui tragœdiam aliud quicquam putaret esse, quàm horum cõpositionem,& partibus inuicem,& toti conuenientem. SOCR. Non tamen rusticè,vt arbitror,increparent,sed facerent perinde ac musicus aliquis offendens hominem, credentem se musicum esse ex eo quòd sciat quo pacto fides tũ grauissimæ reddantur,tum acutissimæ. hic enim non acerbè quidem diceret, ô miser insanis:sed vtpote musicus,sic mitius admoneret. O vir optime, necesse est omnino hæc illum tenere qui futurus sit musicus. Nihil antẽ prohibet eum,qui sic affectus est vt tu,de harmonia nihil penitus intelligere, nempe quæ ante harmoniam necessaria sunt agnoscis, harmoniã prorsus ignoras. PHAE. Rectissimè. SOCRAT. Sic & Sophocles illũ sibi obuium, quę tragœdiã antecedunt potius quàm tragœdiã habere diceret:& Acumenus medicus medicinæ prçcedentia,non medicinã. PHAE. Ita prorsus. SOCRAT. Quid verò si mellifluus Adrastus,aut Pericles audirent,quæ nunc ipsi referebamus egregia verborum artificia, breuiloquia,similitudines, & reliqua illa quæ in lucẽ pro-

producta cõsideranda iudicabamus, nũquid cẽ
semus illos quemadmodum nos præ rusticita-
te aspernime illis succensuros qui talia scripse-
rint docuerintque, tanquam rhetoricam facul
tatem? An potius vtpote nobis sapientiores,
nos ita increpaturos? O Phędre atque Socra-
tes, non succensendum est, sed ignoscẽdum, si-
qui disserendi ignari definire quid rhetorica
sit non possint: atque ita affecti, dum artẽ an-
tecedentia possident rudimenta, rhetoricã in-
uenisse se iactent, & ea docentes oratoriã ar-
tem absolutam tradere profiteantur. Singula
verò istorum ad persuasionem disponere, to-
támque orationem contexere, quasi in his
præceptore opus non sit, oportere discipulos
suos propria industria comparare. PHAED.
Talis profectò, ô Socrates, ars illa videtur esse,
quã isti tanquam rhetoricã docent, & scribũt.
Ac mihi videris vera dixisse. Verùm oratoris
persuasoríque veri artem quónã pacto, & vn-
de nobis vendicare poterimus? SOCRAT. Cõ-
sentaneũ est, ô Phædre, fortè etiam necessariũ,
quemadmodum in cæteris, ita & in hoc cer-
tamine peragendo perfectum esse. [a] Quippe
si tibi natura vt sis orator tribuerit, acceden-
te doctrina & exercitatione excellens eris o-
rator. Si quid verò tibi horum defuerit, man-
cus eris. Quanta verò ars huiusmodi sit, nõ ea
via quam Gorgias, & Thrasymachus sequuti
sunt sed alia potius constare videtur. PHAE.
Quãnã maximè? SOCR. Videtur, ô vir optime,
non iniuria Pericles oratorum omnium per-
fectissimus extitisse. PHAE. Cur? SOCRAT.
[b] Magnę quælibet artes exercitatione dialecti-
ca, contemplationéque sublimium in natura
rerum indigent. Ipsa enim mentis sublimitas,

[a] *Orator excellẽs sit ad naturã accedente doctrina & exercitatione.*

[b] *Omnes artes magna indigẽt dialectica exercitatione & contẽplatione rerũ naturalium.*

& vis efficax in quauis re perficienda, hinc quodammodo proficiſci videntur: quod [a] Pericles ad ingenij acumen adduxit. Anaxagoræ namque huiuſmodi rerum indagatoris familiaritate fretus, contemplationi ſe tradidit. mẽtiſque & dementiæ naturam illam comprehẽdit, de qua Anaxagoras diffuſè diſſeruit. vnde ad dicendi artem quod ipſi conducere videbatur, traduxit. PHAE. Quomodo id ais? SOCR. Medendi artis atque dicendi eadem fermè ratio eſt. PHAE. Quónam pacto? SOCR. In vtriſque partiri naturam oportet, corporis quidem in vna, [b] in altera animæ: ſi modò non exercitatione ſolùm & vſu, verũetiam arte corporis medicinas, & alimenta ita ſis præbiturus, vt & ſanum & robuſtũ efficias: animæ autem per rationes legitimáſque inſtitutiones perſuaſionem affatim virtutémque adhibiturus. PHAE. Ita veriſimile eſt, ô Socrates. SOCR. Animæ verò naturam abſque totius natura ſufficienter cognoſci poſſe exiſtimas? PHAE. Si Hippocrati Æſculapij ſucceſſori credendũ eſt neque etiam corporis naturam ſine doctrina huiuſmodi compræhendi poſſe putabimus. SOCRAT. Scitè loquitur, ô amice. Oportet autem præter Hippocratẽ conſiderare vtrũ disputationis nobis ratio conſonet. PHAE. Aſſentior. SOCR. De naturæ igitur perſcrutatione quid Hippocrates, & vera ratio dicant, attende. An non ita cuiuſque natura cogitanda eſt? [c] Primò quidem vtrũ ſimplex illud ſit, an multiplex, de quo & ipſi habere artẽ, & aliis dare poſſe deſideramus. Deinde ſi eſt ſimplex, facultas eius inueſtiganda eſt, quã, & ad quid agendo: turſúſque quam, & à quo patiendo natura vim habeat. Quòd ſi ſpecies habet mul-

[a] *Periclis Anaxagoræ auditor.*

[b] *Animæ cognitio neceſſaria oratio, nõ ſecus atque corporis medico.*

[c] *Res de qua agitur ſi ſim plex definiẽda ſi multiplex diuidẽda tũ ſingulæ eius ſpecies vel partes definiendæ tum ad quid agẽdũ vel patiendum aptæ natæ ſint.*

multas, his dinumeratis in singulis similiter ac in vno naturalis & agendi & patiendi vis inquirenda. PHAE. Sic apparet, ô Socrates. SO. Sine his verò progressio, tanquam cæci iter esse videtur, Non tamen cæco, vel surdo, qui arte tractat aliquid, est assimilandus. Sed patet quòd quisquis arte alicui sermones accómodat, substantiã naturæ illius exquisitè mõstrabit, cui sermones adhibet: id autem est anima. PHAE. Absque dubio. SOC. Nónne ad id studium illius omne contendit, vt huic penitus persuadeat? PHAE. Prorsus. SOC. [c] Constat igitur quòd Thrasymachus, & quicunque alius tradendæ incumbit rhetoricæ, primò quidẽ summa diligentia describere declararéque debebit, vtrũ anima naturaliter vnum, & quiddã simile sit, an secundũ formam corporis multiplex. hoc enim esse dicimus naturam ostendere. PHAE. Omnino. SOCR. Secundò quid facere cuique, quidue à quoque pati queat, ostendere. PHAE. Certè. SOCR. Tertiò distinctis sermonum animæque generibus atque affectibus causas omnes percurrere debebit, singula singulis accómodans, docénsque qualis anima, qualibus sermonibus, quámue ob causam necessariò hæc quidẽ ad credendũ mouetur, illa verò nequaquã. PHAE. Præclarissimum, vt videtur, hoc esset. SOCR. Neque igitur hoc, ô amice, neque aliud quicquã, si aliter tractetur, artificiosè vnquam tractabitur. Nostri verò [(quos tu audiuisti) qui nunc scribunt & tradunt artem orationis componendæ, callidi sunt, & animæ naturã pulcherrimè cognoscentes nos celant. Nos verò prius quã hoc modo loquantur, & scribant, nunquam ex arte eos scribere confitebimur. PHAED. Quã

[c] *Rhetorica ars & vera dispositio.*

dicis modum? SOCR. Verba quidem ipsa non facilè dixerim. Quo autem modo scribere oporteat, si arte scripturi simus, quoad fieri potest exponã. PHAE. Dic obsecro. SOCR. [a]Quónã dicendi facultas quædam animi tractio, & oblectatio est, futurum oratorem necesse est quot species animus habet, cognoscere: hæ verò tot talésque sunt, vnde tales alij, tales efficiuntur. His ita distinctis, sermonum quoque tot talésque sunt species. Tales igitur animi, talibus quibusdam sermonibus certa quadam de causa ad talia quædã facilè persuadentur: aliter verò affecti aliquã ob causam minimè. Oportet itaque eum qui hæc satis perspexerit, postea in ipsis negotiis animaduersa deprehensáque momento posse signare, & sensu consequi: alioquin nondum quicquã plus quã verba sibi quondã à doctoribus tradita habet. [b]At cùm sufficienter potest dicere, quis quibus sermonibus persuadeatur, præsentémque hominem acutè persentit eo ingenio præditũ esse, de quo antea fuerit disputatum, sicque ipsum esse talibus sermonibus ad talia cõpellendum: is ita instructus tunc demum perfectè artem hãc erit consequutus, cùm ad superiora hæc adiunxerit, vt opportunitatem loquendi tacendíque calleat, & vsum abstúmue breuiloquij commiserationis, vehementiæ actionis, amplificationísque cæterarúmque partium orationis à præceptoribus traditarum rectè cognoscat, antea verò nequaquã. Eum verò qui horum quocunque caruerit dicendo, aut docendo, aut scribendo, dixerítque ex arte verba se facere, qui non persuadetur, is vincit. Cæterùm scriptor ita fortãsse nos compellabit, ô Phædre, atque Socrates, itáne prorsus, an aliter

[a] *Modi artis Rhetoricæ tradẽdæ designatio.*

[b] *Perspicacitas ingenij in oratore requiritur, ad aptè rebus subiectis accõmodãda artis præcepta.*

liter dicendi artem capeſcendã eſſe cenſetis? PHAE. Impoſſibile eſt, ô Socrates, aliter, quãuis non patuum id opus appareat. SOCRAT. Vera loqueris, atque horum cauſa oportet omnibus ſurſum deorſúmque ſermonibus reuolutis perquirere nunquid via ad illã vlla facilior breuiórque occurrat, ne temerè per longã & aſperã pererremus, cùm liceat per breuem & planã incedere. Quare ſi quã tu opem afferre potes per ea quæ à Lyſia, vel aliquo alio accepiſti, reuoca in memoriã & expone. PHAE. Experiundi cauſa poſſem quidem, non tamen ad præſens. SOCR. Viſne ego tibi & ſermonẽ recenſeã, quem aliquãdo de huiuſmodi rebus audiui? PHAE. Quídni? SOCR. Aiunt igitur, ô Phædre, iuſtum eſſe, etiã quod de lupo dicitur, narrare. PHAE. Ac tu ita facias. SOCR. [a] Aiunt itaque nihil opus eſſe hæc adeò extollere ac magnificare: neque ab alto niniſq; procul diſputationem repetere. Quippe ſicut diſputationis principio diximus, oratorem futurum non oportere veritatem noſſe de iuſtis, & bonis, ſiue rebus, ſiue hominibus, natura, vel educatione talibus. Nã in iudiciis nulli prorſus horum veritatem vnquã, ſed perſuaſionem curæ eſſe ſolere. Id autem eſſe veriſimile, ad quod mentem intendere debeat, qui ſit arte dicturus. Neq; facta dicenda eſſe aliquãdo, niſi probabile ſit facta fuiſſe, ſed tã in accuſatione quàm defenſione ſemper veriſimilia inducenda: & omnino dicentem, veriſimile quidem perſequi multa verò dicentẽ, verũ negligere. hoc enim ſi in omni oratione ſeruetur, perfectam artem oratoriam exhiberi. PHAE. Ea narraſti, ô Socrates, quæ dicunt qui artem rhetoricam profitentur. Memini enim id nos in

Prouerb.

[a] *Peruulgata rhetorum opinio, probabilia & veriſimilia dũtaxat conſectanda eſſe oratori, commemoratur, & poſtea reſellitur.*

superioribus breuiter attigisse. Videtur autem hoc magnum quiddam esse his qui in hac arte versantur. Sed & Tisiã ipsum grauiter pessundedisti. SOCR. Dicat ergo id quoque nobis Tisias, nunquid aliud probabile, & verisimile nuncupet, quàm quod vulgo videtur. PHAE. Quidnam aliud? SOCR. Hoc præterea scitum, & artificiosum inuenisse & scripsisse videtur, quòd si quis imbecillis & audax cùm robustum quendã timidúmque verberibus cæsum spoliauerit, in iudicium deducatur, neutrum horum verum confiteri oportet: sed timidum quidem dicere non à solo audace illo esse se cæsum: audacem verò hoc refellere, duos solos fuisse monstrantem, atque ad tale quiddã confugere. Quónã pacto imbecillis cùm sim, robustum hunc inuasissem? Ille autem timiditatem suã non dicet, sed falsum aliquid excogitans forte aduersarium arguet. Atque in aliis etiam talia quædam sunt quæ arte dicuntur. An non sic est, ô Phædre? PHAE. Ita prorsus. SOCR. O quàm callidè abstrusam artem adinuenisse videtur Tisias, vel quicunque alius fuerit, vel quocunque alio cognomine delectetur. Sed nunquid hoc, ô amice, dicemus, an non? PHAE. Quid istud? SOCR. O Tisia, iampridem antequam accederes affirmabamus probabile istud, & verisimile vulgo non aliter quàm per veritatis similitudinem fieri. b Similitudines autem veri ab eo qui veritatem nouit, aptissimè vbique reperiri posse asserebamus. Quapropter si aliud quicquam de hac arte dixeris, auscultabimus quidem: sin minus, his quæ paulò antè diximus fidem præstabimus, quòd videlicet nisi auditorum quis ingenia nouerit distinxeritque,

a *Exemplũ verisimilis tractationis.*

b *Verisimilia nõ potest quispiam afferre, nisi cognita rei natura.*

rſtque,atque res ipſas in ſpecies ſuas diſcreuerit, rurſúſque ſingulas idea vna cõpræhenderit, nunquam dicendi artem quoad homini licet,adipiſcetur. Hoc autem ſine longo ſtudio aſſequetur nunquã. In quo non ideò deſudabit vir prudens, vt dicere & agere ad homines poſſit, ſed vt ea potius pro facultate & loqui & facere quæ diis grata ſint valeat. Viri enim nobis ſapientiores,ô Tiſia,virum mentis cõpotem aiunt non id meditari debere, vt cõſeruis ſuis niſi prout cõtigerit,obſequatur, ſed vt dominis bonis atque ex bonis obtemperet. Quãobrem ſi longior ſit circuitus, ne mireris. Non enim vt ipſe putas,ſed magnarũ rerũ gratia circumeundũ. Erunt autem,vt ratio dictat, ſi quis voluerit,hæc pulcherrimè ex illis effecta. PHAE. Perpulchrè admodum dici hoc videtur,ô Socrates, modò aliquis aſſequi poſſit. SO. At præclarum eſt, ad præclara ſemper anniti, & quicquid contigerit tolerare. PH. Valdè. SO. De arte hactenus & inſcitia orationis ſit dictum. PH. Satis profectò.

SOC. [a] Reliquum eſt vt ſcribendo quid deceat, quid dedeceat dicamus. PH. Planè. SO. Scíſne quo pacto maximè de ſermonibus dicẽdo vel agẽdo deo placere potes? PH. Minimò. Tu verò? SOC. Audiui equidem nonnulla à veteribus tradita: verum autem ipſi intelligũt. Id verò ſi nos inueniremus, nunquid humanarum deinceps nobis opinationum cura nulla futura ſit? PH. Ridicula ſanè interrogatio, ſed quæ audiſſe dicis, recenſe. SO. [b] Audiui equidem circa Naucratim Ægypti priſcorum quendã fuiſſe deorum, cui dicata ſit auis quã Ibim vocant, dæmoni autem ipſi nomen Theuth: hunc primũ omnium numerũ,& nu-

[a] *De recta ſcriptu mãdandæ orationum ratione.*

[b] *Theuth dæmon apud Ægyptios, cui auis Ibis ſacra.*

meri computationem inuenisse, geometriámque, & astronomiá, talorum rursus, aleatúmque ludos, & literas. Erat tunc totius Ægypti rex [a] Thamus & in superioris loci maxima ciuitate, quas Græci Ægyptias Thebas appellant, deúmque ipsum Ammonem vocant. Ad hunc Theuth profectus, artes demonstrauit suas dixítque eas distribui deinceps Ægyptiis cæteris oportere. Verùm ille quæ cuiusque vtilitas foret interrogauit: & ipso referente, quod benè dictum videbatur, probabat quidem: quod contrà, vituperabat. vbi multa de qualibet arte in vtráque partẽ Thamus fertur Theuthi ostendisse, quorum singula si enarrare pergamus, prolixior erit oratio. Cùm verò ad literas descendissent, Disciplina hæc, inquit Theuth, ô rex, sapientiores & memoria promptiore Ægyptios faciet. Memoriæ nanque & sapientiæ remedium id est inuentũ. [c] At ille, O artificiosissime Theuth, inquit, alius quidẽ ad artis opera fabricãda idoneus est, alius ad iudicandum promptior quid emolumenti damníve sint vtentibus allatura. Atqui & tu literarum pater propter beneuolentiá contrarium quàm efficere valeant affirmasti. Nam illatum vsus propter recordationis negligentiá obliuionem in animo discentium pariet: quippe qui externis literarum confisi monimentis, res ipsas intus animo nõ reuoluent. Quamobrem non memoriæ, sed monitionis remedium inuenisti. Sapientiæ quoque opinionem potius quàm veritatẽ discipulis tradis. Nam cùm multa absque doctrina à te audierint, multarum rerum periti vulgo cum ignari sint, videbuntur, [in ipsis quoque congressibus] molestiores erunt, vtpote

[a] *Thamus rex Ægypti.*
[b] *Ægyptia Thebæ.*
[c] *Scripta memoriæ & sapientiæ obsunt.*

pote qui non sapientia ipsa sint præditi, sed opinione sapientiæ subornati. PH. Facilè tu, ô Socrates Ægyptios, & alios cuiusuis gentis sermones fingis. SOC. At, ô amice, qui in Iouis Dodonæ templo versantur, ex quercu sermones primos fatidicos erupisse asserunt. Priscis itaque illis, vtpote qui non ita vt vos recentiores, sapientes erant, satis erat ob eorum insciti am petras & quercus audire, modò vera promerent. Tu forsitan interesse censes, quisnam cuiúsve sit, qui dixerit. Non enim id solum consideras, veráne an falsa dicantur. PH. Rectè admodum increpuisti, ac mihi videtur ita in literis euenire, vt Thebanus ille ait. SO. Igitur quicunque putat se artem aut mandare literis aut mandatã suscipere, vt certũ quiddã & firmũ ex literis sit futurũ, admodũ ineptus est, ac reuera Ammonis vaticinium prorsus ignorat, cũ plus aliquid in scriptis esse credat, præter id quòd scienti res ipsas quæ in literis significantur, commemorant. PH. Rectissimè. SO. Graue id habet, ô Phædre, scriptura, & picturæ reuera persimile. [a] Picturæ nanque opera tanquã viuentia extãt: siquid vero rogaueris, verecundè admodũ silent. Nõ aliter sermones putabis fortasse quasi aliquid ipsos intelligentes dicere. Verùm si scienди auidus ab iis dictorum aliquid sciscitaberis, idem in his semper, & vnum significatur: omnisque sermo cùm semel scriptus est passim reuoluitur æquè apud intelligentes, atque alios, inter quos minimè decet, nescítque dicere quibus oportet, & quibus non oportet. Iniuria verò immeritò consumeliáq; affectus patris semper eget præsidio. Ipse enim neq; aduersario repugnare, neque

[a] *Scripta nõ possunt rationem eorum quæ continẽt reddere & seipsa defendere.*

opem ferre ſibiipſi poteſt. PH. Hæc quoque rectè abs te dicta videntur. SO C. Quid porrò?

a Scientia de aliqua re animo cõprehenſa longè præſtat ſcripto.

a Alium videmus ſermonem huius fratrem, quemadmodũ legitimus ſit, & quantò melior atque potentior quàm is naſcatur? PHAE. Quẽ iſtum? & quomodo fieri dicis? SO. Eum inquã, qui in animo diſcentis cũ ſcientia ſcribitur, quia ſibiipſi auxiliari poteſt, intelligítq; apud quos loquendum ſit, apud quos tacendum. PH. Scientis ſermonem dicis viuentem, & animatum, cuius oratio ſcripta ſimulachrũ quoddã non iniuria nuncupabitur. SO. Omnino, ſed hoc quoque mihi dicas. Mentis compos agricola nunquid chariſſima ſibi ſemina, quorum fructus expectat, æſtate in Adonidis hortis ſummo ſtudio & diligentia ſpargeꝰ gaudebítque ſpectare eos intra dies octo iam pulchros effectos: An potius ſi quando id egerit, feſti cuiuſdã diei ludíque gratia faciet? At vbi ſeriò agens agriculturæ ſtudium adhibuerit, ſeret quidem vbi conuenit, & ſatis ſe conſecutũ putabit, ſi octo menſiũ interuallo ſatio ſua ad fruges peruenerit? PH. Ita prorſus, ô Socrates, illa quidem ioco, vt ais, hæc autem ſeriò faciet. SO. Hominem verò iuſtorum, honeſtorum, bonorúmque ſcientiã poſſidentem agricola imperitiorẽ ad ſemina ſua ſpargenda putabimus? PH. Minimè omnium. SOCR. Non igitur in aqua nigra ſtudioſè ipſa ſcripturus calamo cum ſermonibus ſeminabit, cum ſuccurrere illis periclitantibus nequeat, & ex ipſis veritatem ſufficienter oſtendere. PHAE. Certè id non eſt conſentaneum. SOC. bNon ſanè. Cæterũ hortos quidem literarum, vt ludi cauſa, vt videtur, ſeret atque deſcribet, & poſtquã ſcripſerit tanquã monimenta theſau-

b Ingenij inuenta poſſint quidẽ animi gratia ſcripturã dari, ſed nõ quaſi in ſit fructus ingenij quærendus, qui quidem peti debeat ex ſcientia ſolida & certis rationibus nitente.

sautóſque ad ſenectutis futuræ obliuionem, tam ſibi, quàm cæteris veſtigiorum eorundem ſectatoribus, lętabitur vtique natos iã tenellos ſuos fructus inſpiciens, cæteriſque hominibus ludos alios ſequentibus, & conuiuia horúmq; ſimilia celebrantibus, ipſe interim his omiſſis in ſermonum oblectamentis vitam ducet. PH. Præclariſſimum præ aliorum viliſſimo narras, ô Socrates, eius ludũ, qui poteſt in ſermonibus ludere, ac de iuſtitia, & aliis quæ tu dicis, confabulari. SOCR. Eſt ita profectò, amice Phædre, ſed multò mea ſententia in his præclarius ſtudium, quando quis [a] arte dialectica vtens, animã nactus idoneã ſermones cum ſcientia plantat, & ſeminat, qui & ſibiipſis, & ſatori ſuo afferre opem poſſunt, fructúſve producunt, & ſemina reddunt. Vnde alii in moribus aliis nati id ſemper munus immortale ſeruare poſſunt, atque eum qui hæc habet, beatiſſimũ quoad homini licet, efficiunt. PH. Multò id quoque præclarius. SO. [b] Nunc iam illa, ô Phædre, his conceſſis diſcernere poſſumus. PH. Quænã? SOC. Ea videlicet quorum cognoſcendorum gratia hucuſque deſcendimus, vt vituperationẽ Lyſiæ diſcuteremus in ipſa ſcribendi arte, ſermonéſque ipſos, qui vel arte, vel ſine arte ſcribuntur: artificioſum quidem, & artis expers, ſatis iam declaraſſe videmur. PHAE. Sic apparet. SO. Meminiſſe rurſus oportet non prius poſſe aliquem, dicendi artem ad ſummum callere ad perſuadendum atque docendũ, vt ratio ſuperior nobis oſtendit, quàm veritatem earum rerũ quas dicit aut ſcribit cognouerit, vniuerſámque rem definire, & definitione poſita rurſus ſecundum ſpecies vſque ad Individua diuidere nouerit: at-

[a] *Dialectica vſus.*

[b] *Recapitulatio quorundã ſuperius & quidem proximè declaratorum.*

que hac ratione animã contemplatus, & quid cuique ingenio congruum est aucupatus, ita maximè disponat exornétq; sermonem, variæ quidẽ animę varios, & harmonia multiplices, simplici verò simplices sermones accõmodãs. PH. Sic prorsus apparuit. SO. Quid autẽ de illa quæstione dicemus quã suprà tetigimus? honestúmne an turpe sit orationes pronuntiare, & scribere, & quõmodo studium hoc iure vituperari queat, quomodo nequeat? Num superiora nobis hoc satis declarauerunt? PHAED. Quænam illa? SOC. Quippe, siue Lysias, siue alius quispiam scripsit quandoque, aut scribit, scribétque priuatim vel publicè, ciuiles quasdam constitutiones, ita vt suis in scriptis magnam quandam stabilitatem & certitudinem putet inesse, turpe id esse scriptori, siue dicatur à quoquam, siue non dicatur, putandum est. Siquidem ignorare quid verum sit, quid falsum, de iustis & iniustis, de bonis & malis, etiamsi vulgus vniuersum laudauerit, fieri nunquam potest, quin sit reuera turpissimum. PHAED. Turpissimum. SOC. Contrà qui in oratione quacunque de re scripta ludũ iocúmque necessarium putat, orationémque nullam aut solutam, aut astrictam numeris magno componendi studio dignam esse ducit, instar eorum qui sine diiudicatione & doctrina persuadendi tantùm gratia carmina recitare consueuerunt: sed reuera sermonum illorum optimos commonefaciendi peritos causa compositos fuisse: in sermonibus autem his, qui docendi discendíque causa dicuntur, ac verè in animo de iustis, honestis, & bonis scribuntur, duntaxat perspicuitatem perfectionémque inesse, eósque solos studio dignos existi-

Certa iusti boni item & honesti scientia præferenda est omnibus scriptis orationibus.

existimat: iudicátque sermones huiusmodi filios suos legitimos esse vocandos, eum ante omnia qui ipsi inest, si modò sit inuentus, deinde quicunque ex hoc fœtu filii, fratrésque, vel in ipsius, vel in aliis aliorum mentibus, sic vt decet, nati sunt, reliquos autem omnes postponit: hic vir, inquam, talis, ô Phædre, videtur esse, quales esse nos exoptaremus. PH. Equidem vt dicis, cupio prorsus, & voto precor. SOC. Sed hæc iam satis à nobis de arte dicendi, quasi ludentibus dicta sint. [a] Quare Lysiæ dicas, nos ad nymphæ Musarúmque profluentem profectos, sermones quosdam audisse, qui dicere iusserunt Lysiæ, cæterísque orationum scriptoribus, Homero præterea, & siquis alius nudam poesim, vel cantu exornatam composuit, Soloni postremò, & omnibus qui ciuiles institutiones literis mandauerunt: quòd si veritatis conscii talia composuerunt, possúntque sua in discussione tracta defendere, ac dicendo efficere, vt præ verbis scripta vilescant non vtique ab his quæ calamo luserunt, sed ab illis potius quæ seriò excogitarunt, cognominandi videntur. PHAE. Quænã cognomina, & quo pacto accómodas? SO. [b] Sapientis cognomen, ô Phædre, magnũ solique Deo conuenire videtur. Philosophi verò, aut similis alicuius cognomine eiusmodi viros quales modò descripsimus, conuenientius modestiúsque nuncuparemus. PH Certè non dedecet. SO. Eum igitur qui nulla habet in se præstantiora iis quæ conscripsit, & sursũ deorsúmq; retorquens, diuturna emendatione addendo, vel subtrahendo composuit, iure poetam vel orationum legúmue scriptorem cognominabis? PH. Quídni? SO. Hæc itaque

[a] *Conclusio dialogi.*

[b] *Sapientis cognomen sola Deo conuenit, Philotius appellatio magis hominem decet.*

amico referas tuo. PHAE. Tu verò quid facies? neque enim amicus tuus prætermittendus. SO. Quis iste? PHAE. Isocratem probum inquam. Quid illi nunciabis? ô Socrates. Quem esse dicemus? SOCR. [a] Adolescens etiam nunc, ô Phædre, Isocrates est. Sed quid de illo augurer, lubet dicere. PHAE. Quid tandem? SOC. Maiore ingenio mihi videtur esse, quàm vt cum orationibus Lysiæ comparetur. Præterea ad virtutem maiore indole, vt minimè mirum futurum sit, si cum ætate processerit, aut in hoc orationum genere cui nunc studet tantum quantum pueris reliquis præstet omnibus, qui vnquam orationes attigerunt, aut si non contentus his fuerit, diuino aliquo animi motu maiora concupiscat: inest enim natura philosophia in huius viri mente quædã. Hæc ergo ab iis diis accepta Isocrati mihi dilectissimo nuncio. Tu illa Lysiæ tibi chariſſimo. PHAE. Ita fiet. Sed abeamus hinc cum æstus nonnihil iam deferbuerit. SOC. Vota prius his facienda sunt quàm abeamus. PHAE. Quidni? SOC. [b] O amice Pan, & alij omnes, qui locum hunc colitis dij, date mihi vt pulcher intus efficiar: & quæcunque extrinsecus habeo, intrinsecis sint amica. Diuitem autem sapientem solum existimem. Tantum verò mihi sit auri, quantum nec ferre, nec ducere queat alius, nisi vir temperans. Nunquid aliud orandum censes? ô Phædre: mihi enim satis est precatum. PHAE. Mihi quoque eadem opta. Amicorum enim communia omnia. SOCR. Abeamus.

[a] *Socratis iudicium de Isocrate adhuc tũc adolescente.*

[b] *Veræ precationis qualis quidẽ ab homine Ethnico fieri potuit, exemplar.*

APO-

APOLOGIA SOCRATIS.

Marsilij Ficini Argumentum.

ANtiqui gentium Theologi in treis diuisi sunt sectas. Alij quidem dæmonib. solùm sacrificabant, dissidentes, vt arbitror, vota hominum ad cœlestia peruenire. Alij verò cœlestia quoque colebant, putantes illa non viuere solùm atque intelligere, sed etiam radiis suis circumspicere cuncta atque audire: ideóque tam sacrificiorũ ritus ab eis prospici, quàm supplicum laudes precésque exaudiri: veruntamen animorum in corporibus hîs viuentium vota ad deos illos, qui nullum cum corporibus commercium habeant, peruenire nõ posse. Alij denique hos ipsos deos in primis venerabantur, iudicantes à summo rerum causis effectus omnes etiam humanos tam cognitione, quàm virtute perfectissimè contineri. Deos verò vocabant tum visibiles, id est, cœlestes, tũ inuisibiles, id est, supercœlestes, quos nostri vocant angelos, & ipsi deos quasi proximos summi Dei contẽplatores atque ministros. Præterea triplicem hi prouidentiã esse putant. Vniuersalẽ quidem in Deo per quam omnib. omnia prospiciat atque præbeat. Minus verò in diis vniuersalẽ, per quam omnib. quidem consulant: non omnia tamen munera, sed quædam omnib. exhibentes. Particularẽ denique in dæmonib. qua videlicet quædam quibusdã iam largiantur. Et dæmones quidem in totidem distribuunt ordines, quot in cœlo sunt stellæ: & alij Saturnum sint, alij Iouiales, aliique similiter cæteros alterẽ ordines & in igne collocãt, sed ignea ratione. & in aere puro sed ratione aerea, & in aere crasso, ratione videlicet aquea. Hos aqueos arbitrã-

tur alios aliis specibus viuentium præsidere, sensualique & vegetali vbique naturæ fauere. Quos Plato inquit, statim ab initio malorum plurimis voluptatē immiscuisse. Aëreos autem dæmones rationali potius fauere potentiæ, eámque à vegetali sensualique natura quodammodo segregare. Igneos tandem discursum rationis ad sublimiora contemplāda conuertere. Atque hoc pacto voluptuosa vitæ dæmones aqueos, actiua aereos, contemplatiua igneos dominari. Cum verò deos immortales atque impatibiles, arbitrentur, homines verò mortales atque patibiles, dæmones omnes quidem affectu patibiles, superiores verò mediósque etiā immortales, infimos verò longæuos. Præterea in omnibus affectus erga corporea collocāri: sed in primis secundum quendam tranquillæ prouidentiæ morem: in secundis humanos quidem, sed moderatos: in tertiis ad perturbationes nostræ tam declinantes. Item dæmones alios naturales ab initio cōstitutos, alios peregrinos, scilicet hominum animos in aërea translatos corpora, hominésque ea quæ antea consueuerant ratione curantes. Præterea alios dæmones plagu terræ maioribus, alios angustioribus vrbibúsque præesse. Quosdam etiam homines singulos gubernare, quos animæ labentes in corpus fuerint pro vitæ electione sortitæ, deinceps electæ vitæ duces & exploratores & iudices. Proinde animas hominum alias Saturniorum dæmonum, alias Iouialium, alias aliorum tum siderum, tum dæmonum naturis accommodari. Corporum quoque nostrorum cōplexiones simili quadam ratione distingui. Animalia itē & plantas metallá que & lapides ad siderum similiter dæmonúmque varietatem inter se natura discerni, vt alia inter hæc solaria sint, alia verò lunaria, cæteraq; similiter. In his quæ diximus, Platonici omnē sacrificiorum, oraculorum, diuinationū vim consistere arbitrātur. Profectò & ipse Plato antiquiores theologos imitatus,

tatur, & Platonici omnes oraculorum historiam vbique tanquam veram accipiunt rationibúsque confirmant. Mitto quantam hu in Phædro adhibeat fidẽ, quantam & in Timæo, in Phædro quidem humanã sapientiam præ illa quæ ab oraculis furoribúsque diuinis habetur nihili pendens: in Timæo autẽ dicens eatenus à philosopho de reb. diuinis affirmandum esse quatenus diuinis oraculis cõfirmetur. Mitto quàm plurima apud Platonem similia certè in Apologia totam Socratis suæ defensionẽ ab oraculis vaticiniisq; assereturimo verò quod maximum est, totam Socratis & sapientißimi & iustißimi vitam asserit tum ad Apollinis oraculum, tum ad sui cuiusdam dæmonis vaticinium institutam. Si quæras qualis Socratis dæmon fuerit, respondebitur igneus, quoniam ad cõtemplationem sublimium erigebat. Item Saturnius, quoniam intentionem mentis quotidie mirum in modum abstrahebat à corpore. Attributus quoque ab initio non acquisitus. Nam sibi à puero dicit aspirasse. Non prouocabat vnquam, quia non Martius, sed sæpe ab actionibus reuocabat, quia Saturnius. Item non adhibebat calcaria vitiosatis per se ad honesta propensis, sed cohibebat fræno, vbi in eligẽdis ad finem vitæ ob coniecturarum fallaciã posse decipi videretur. Aspirabat mentis, ostenta oculis, voces auribus suggerebat. Sed quibus oculis atque auribus? visibus videlicet atque auditibus qui per omne eduntur corpus æthereum sub manifesto hoc corpore latens. Poterat autem Socrates per æthereos sentire sensus ab elementalibus sensibus se facilè reuocans. Ostensa cernebat per eosdẽ sensus & somnians pariter atque vigilans. Similiter Auicenna probat prophetas angelorum & species cernere, & voces audire. At cur Socrates paucisque similes dæmonem suum animaduertunt? Quoniã pauci vel genitura, vel disciplina dæmonici sunt, plures humani, plerique ferini. Cur item aliàs

dæmonem aliàs Deum vocat? Quia sublimiù dæmon Socratem, quasi Dei interpres nuncíque affabat, Sed nunquid ipsum Socratu intellectũ possumus dæmonem nuncupare? Possumus certè Nam Timæus inquit, Deum nobis supremam animæ partem tanquam dæmonem tribuisse. Rursus in Symposio ipse mentis amor ad diuinam pulchritudinem contemplandam, dæmon cognominatur. Verum præter hæc necesse est superiorem nobis substantiã dæmonis præsidere, propterea quòd vt in Symposio Legibúsque probatur humanum genus vtpote à diuinis maximè distans, media quadã natura indiget, qualis est dæmonica, quasi conciliatrice. Neque iniuria diuina prouidentia, vt in Politico Protagorágue probatur, dæmones nobis præfecit propinquiores quasi pastores, siue vt in Critia dicit, gubernatores. Homo siquidẽ in hac ignorantiæ caligine cõstitutus, innumerísque fortuna vel malis agitatus, vel distractus illecebris ad constitutum sibi à Deo finem absque perpetuo Dei auxilio peruenire non potest. Hinc probat Deum nos dæmonibus superioribus, quasi rectoribus commendasse, qui vaticiniis, auguriis somniis, oraculis, vocibus, sacrificiis, inspirationibus adiuuarent. Horum vero ex numero esse vult familiarem Socratis dæmonem à mente Socratica differentem. Hæc enim Socratem sæpe prouocat, ille verò prouocat nunquam. Itẽ hæc nisi loquatur, aut scribat, docere non potest. Ille verò, vt in Theage probatur, multos etiam silendo docebat. Præterea quòd & voce & signis Socratem corrigat, significat dæmonem hunc aliquid esse præter mentem. At si minus tibi placet & familiarem hominis ducem dæmonem appellare, saltem, vt placet nostris, bonum angelum appellato. Post hæc Apologia nos cogit nonnihil de oraculis statuíque tractare. Principio si quæras quam ob causam dæmones sólita illa quondam miracula nostris seculis non efficiant: re-

spondebi-

spondebitur Christum & dæmones malos suo illo imperio priuauisse, & hominibus tum omnem dæmonum cultum, tum artem dæmonicam sustulisse. Si rursus interroges qua ratione vel in statuas, vel in homines dæmonum trahantur influxus, diligenter attende. Trahitur quotidie aliquid naturale per artem: ceu quoties lignum quod propter densissimam crassitudinem accendi à tenui quadam flamma non poterat, vel oleo illinunt, vel inficiunt sulphure rapiúntque in fomite flammam. Trahitur & quotidie diuinum aliquid per naturam, quando fœtus tener in aluo certo affectus figuratúsque modò sic per naturam à Deo humanam haurit animam, vt per magicam statua à mundo accipit dæmonẽ. Vnde Ægyptij naturam quoque magam appellauerunt, vim ipsam magicam in attractu quodam similium per similia, vel conuenientium saltem per conuenientia collocantes. Emittit quotidie vocem, emittit & tuè vultus imaginem. At non vbique vox in te tua & imago remittitur. Paries duntaxat ita dispositus, sic oppositus vocem per echo reflectit, & speculare corpus tuam tibi reddit imaginẽ. Ergo igitur speculariũ & ille paries, subtò totus, vt ita dixerim, eru in illo. Ibi enim videberu, audieru, intelligeru, fermè vt in statua dæmon. Si Trismegistum consulueru, disces ex propriis mundi materiis certo cuidam dæmoni congruentib. compositam ritè statuam cõfestim per dæmonem congruum animari, vel per dæmonem, inquit, vel per angelũ. Intelige, vel per impuriorẽ, vel per puriorẽ spiritum asflari solere. Audies quoque Mercurium hunc veteres plerosque damnantẽ, quòd diffidentes, vel esse numina super cœlum, vel terrenorũ vota ad cœlestia superioraq; peruenire, fabricaue re statuas habitacula dæmonũ, quos quasi familiares colerent deos. Putabat sanè, quãuis interdũ in delubra dæmones salutares aduocarentur, sæpe tamen

descendere noxios. Audisti paucu tractū damonum in corpora statuarum. Audi quoque paucu raptū in corpora hominum. Quando vel per atram bilē vel aliquid simile, aut vitium totus in imaginationem conuertitur animus, facilè fit inferiorum damonum domicilīū, quorū præsentia & insaniat, & animo simul vexetur, & corpore. Quando per philosophicam purgationem transfertur totus in rationem, euadit ædes damonū mediorū, à quib. humanarum rerū sæpius, quandoque etiam naturalium mirat accipiat rationes. Quando per pietatem erigitur totus in mentem, sublimium damonum fit spiraculum, seu potius angelorum, quibus vtique ducib. mirum in modum arcana penetret diuinorum. Optas, video, intelligere, quibus potissimum oraculis, siue per statuas, siue per homines editis, Plato confidat. Scito his dūtaxat, quæ certa ratione compertum sit non per fallaces damones, sed per veridicos, siue per angelos potius promississe. Nam & ab ipsis Ægyptiorum mysteriis accepe rat, Ioue impuriores damones ad inferos deturbasse, qui & homines similiter pro viribus ad ima detorqueant: & à Pherecyde Syro multos ab Ioue damones rebellasse, quorū exercitus Ophioneus duxerit serpentinus. Ab his ergo maleficiis cauendū esse diligētissimè iudicabat Socrates autē propriis rationib. atque singulis adductus, & oraculo cuidā, & suo cuidā damoni se cōmittebat pro arbitrio perducendū. Denique vtcunque sit, ita suam ad hæc instituit vitam, vt æterna semper temporalib. anteponeret: iniustitiā magis timeret, quàm mortem: pro veritate, pro pietate, pro charitate, non dubitaret labores, penuriam, contumelias, iniurias, verbera, mortémque subire. Huic apud homines veritas falsas calumnias peperit, charitas odium, pietas accusationem impiam atque mortē. Sed hæc omnia parui, imo nihil pendit, sperans apud diuinum iudicē pro benis bona mereri.

Ergo

Ego hac spe & fiducia fretus & libenter accessit ad iudices neque accusauit se sed iudices accusauit: atque tanquã vates, quod euenire ait his, qui sunt prope mortem, præmonet etiam illis pœnámque prædixit post falsum iudicium secuturã, & ipse interim mirabilibus mentis lætitia & vultus alacritate ad iudicem migrauit æternũ. Statuerã hic satis honestũ argumento, seu potius commentariolo finẽ imponere. Sed duo paruper me dubia remorantur. Primum Socraticum illud & hîc, & sæpe alibi repetitum. Hoc equidẽ vnum scio, quòd nihil scio. Multa tamẽ & hîc & alibi affirmat quasi sciẽs. Sed hoc illi simile est: Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax. Ait itaq; Socrates: Ego abstractus à corpore, raptus à dæmone, illustratus à Deo, scio equidẽ in diuino lumine hoc vnũ, videlicet quod alioquin cõtrarius corpori nihil in lumine naturali scio. Nescio, inquã, in naturali lumine res ipsas per ipsum affirmationis modũ. Eiusmodi enim scientia, Dei propria est, qui & naturas ipsas, & naturarũ causas comprehendit, quum ipsemet se crearit. Scio tamen multa per quendam negationis modum. Veluti quòd Deus non sit corpus, potius quàm quid sit. Itẽ quòd anima non sit mortalis, magis quã quid sit. Rursus quod bonũ absolutum nõ hoc est, aut illud bonũ potius quàm quid sit. Atq; hoc pacto Socrates & scit, & docet multa. Hoc illud insuper quòd dæmonem reuocat, non prouocat, id est, ad negandum illuminat eum potius quàm affirmandum. Nõnunquam verò affirmat quædam, & illa quidẽ magna, tanquã videlicet non à dæmone tantùm raptus, sed Deo iã plenus. Affirmat quoque vbi sanctorum adducit veterũ testimonia, vel animas hominum à mortuis resurgentium citat in testimonium. Sequitur altera dubitatio, quam ob causam Socrates: cùm nunquã soleat dubitare, quin animus sit immortalis, in fine tamen Apologiæ hac vtitur disiunctione:

Aut nullus post mortem supereſt ſenſus aut ſupereſt aliquis. Reſponde primò quidē, non de omni ſenſu, id eſt de omni cognitione ſed de noſtrarum rerum ſenſu vel noſtro ſimili dubitare. Quod quidē ſignificatur per illa quæ in parte diſiunctionis altera deinde ſubduntur, vbi idem quod & in Republica dicit, ſeparatas videlicet animas eodē pacto ſeſe illic, quo & hic ſolebant agnoſcere. Vbi cōſidera dictū cōtra illos qui dicūt animas de corporibus in corpora tranſmigrare. Deinde quoq; tutius ita reſponde, Socratē hac in præſentia diſiunctione non vti, quia de illo cenſeat dubitandum, quod vbique per ſcientiam negatiuam, tum per diuinam inſpirationem approbationémque conſtantiſſimè tenet, ſed aduerſariorum ſuorum perſonas in præſenti reſpicere, qui cùm obeſſe illi omnino ſtuderent, inferebant ei mortem tanquam procul dubio malam. Socrates ergo contrà infert, nullo modo eſſe malā, ſiue ſic, ſiue aliter ſe noſtræ res habeāt. Vbi illud quod de mortalitate apparet ambiguum, propter illos eſt adiunctum qui tanquam tyranni Epicureo more deridere Socratem potuiſſent, quaſi facilè poſſet decipi, ſi ex eo ſolo affirmauiſſet mortem non eſſe malam, quòd poſt hanc vitam alia ſuperſint bona. Quæ quidem æterna bona, & ſi conſtabant Socrati, illis tamen nullo modo conſtabant, neque in anguſta illa temporis breuitate poterant demōſtrari, quæ in Phædone & ſæpe alibi demonſtrantur. Tu verò nota certam Socratis noſtri fiduciam, amicis propè finem Apologiæ dicentis: Bene de morte ſperari debetis. Nihil enim mali bono viro vel viuenti, vel defuncto poteſt accidere. Res enim hominis quodammodo Deo ſimilis à Deo non negliguntur. Quod aut extrema ad iudices voce clamauit, Ego quidē hinc abeo moriturus, vos verò victuri: vtri verò noſtrūm in melius eant, ſoli Deo eſt certum, intellige nō dubitare illū, quod paulò ante affirmabat, ſed dicere ſoli

Deo

Deo certum esse per seipsum affirmationisque rationem: posse tamen homini certum fieri per ipsum Deū negationisque rationem. Adde quòd affirmare non audet se tam purgato tunc animo emigrare vt præsentem migrationem affirmet omnino animum suum statim cœlesti patriæ redditurum.

QVA vos ratione, ô viri Athenienses affecerint accusatores mei, nescio equidem: me certè sic affecerunt, vt mei ipsius penè oblitus fuerim, vsque eò ad persuadendum accommodatè dicebant, quamuis nihil, vt ita loquar, veri ad vos detulerunt. Sed ex multis quæ falsò asseuerabant, id sum potissimùm admiratus, quod vobis cauendum esse monuerunt, ne à me quasi dicendi facultate plurimùm valeãte deciperemini. Quod enim asserere id minimè erubuerint, cuius ego mox redargutionẽ opere ipso facturus erã, quandoquidẽ in præsentia vobis appareo longè ab eloquentia alienus: hoc, inquam, mihi super omnia visum est impudentissimum nisi fortè eloquentem isti vocant vera dicentem. Si enim ita dicant, profiterer equidem me quamuis non eorum more, rhetorem esse. Quippe cùm his, vt equidẽ dico, [a] veri nihil dixerint, à me verò vos veraomnia audituri sitis. Neq; verò per Iouẽ, ô viri Athenienses, fucatam à me orationẽ, quemadmodũ ab istis, verborum nouitatúmque elegantia, neque aliter exornatã, sed iis quæ casu & fortuitò occurrerint verbis contextam audietis. Confido enim me iusta dicturum, neque quisquam vestrum speret me aliter esse dicturum: alioquin neque ætatẽ hanc, ô viri, deceret, adolescentulorum mo-

[a] *Peritus est dicendi, qui vera dicit.*

re verbis ſtudio; è formatis huc ad vos ingre
di. Quinimò vehementer, ô viri Athenienſes,
id oro, & obſecro: vt ſi iiſdem me verbis in re
ſpondendo vtentem audieris, quibus & in fo-
to apud argentariorum menſas, vbi plerique
veſtrûm me nonnunquam audierunt, & alibi
ne admiremini, néve grauiter id feratis: ſic e-
a Socrates plusquam septuagenarius hãc orationẽ habuit ſui defendẽdi cauſa aduerſus Anyt. & Melitt accuſationẽ.

nim res ſe habet: [a]venio equidẽ nũc primùm
in iudicium, plures quàm ſeptuaginta annos
natus, ex quo fit vt in eo dicendi genere, quod
hîc vſurpatur, reuera ſim peregrinus. Et
profectò quemadmodum ſi peregrinus Athe-
nas veniſſem, ignoſceretis vtique mihi pere-
grina voce & forma loquenti, pro educatio-
nis meæ conſuetudine: ita & in præſentia vos
precor, neque id quidẽ iniuria, vt loquẽdi for-
mã minimè attendatis, quę prout contingit tũ
melior, tũ deterior eſſe poteſt; ſed idipſum con
ſideretis, huc mentem adhibeatis, iuſtáne, an
iniuſta dicam. Hoc enim iudicis officium
b Primùm diluit Socr. veteres aduerſus ſe cõfictas calumnias.

eſt, rhetoris autem officium vera loqui. [b] Iu-
ſtum eſt autem, ô viri Athenienſes, me primo
quidem ad accuſationem primam falsò cõfi-
ctam, & ad primos accuſatores reſpõdere dein
de ad nouiſſimam atque nouiſſimos. Me quip-
pe multi iã multis annis falsò apud vos accuſa
runt, quos equidẽ magis formido, quàm Anyti
adſtipulatores, quanquam & hi ſunt in per-
ſuadẽdo potẽtes. Sed illi potẽtiores, ô viri, qui
pleroſque veſtrum à pueritia occuparunt, ac-
cuſantes me procul à veritate atque vobis per
ſuadentes: eſſe videlicet Socratem quendã ſa-
pientem, eorum quæ ſuper aerem, quæque ſub
terra ſunt, perſcrutatorem: qui ſoleat cauſam
deteriorem differendo meliorem efficere, hi
profectò, ô viri Athenienſes, qui hunc de me

rumo-

rumorem diuulgauerunt, mei accusatores potentissimi sunt. Qui enim hæc audiunt, opinantur harum rerum perscrutatores nō credere deos esse. Profectò accusatores huiusmodi & permulti sunt, & longo iam tempore me accusant, & in ea ætate vobis suasserunt, in qua plerique vestrûm pueri aut certè adolescentuli perfacilè credidistis, deserta in causa, nemine me defendente. Atque id quod à defensionis ratione omnium alienissimum est, neque nomina quidem illorum scire licet, atque proferre, præterquam si quis illorum comœdus sit. [a] Quotcunque verò per inuidiam & calumniam hæc vobis rursus persuaserunt, quíve ipsi persuasi persuaserunt aliis, hi omnes infiniti omnino sunt, nec eorum quenquam in iudicium traducere nec redarguere licet, sed necesse est aduersus istos tanquam in tenebris pugnare defendendo, atque refellendo nemine respondente. Existimate ergo & vos, quemadmodum dicebam, accusatores meos duplices extitisse, & qui nuper accusarunt, & qui iamdiu, quales modò describebam. Atque iudicate me quidem oportere prius respondere illis, quos & ipsi prius, multóque magis audiuistis. Age respondendum mihi est, ô viri Athenienses, illis criminibus, conandúmque in hoc tam breui tempore opinionem istam eximere, quam vos per calumnias decepti longo iam tempore contra me concepistis. Opto autem ita demum aduersarios refellere atque obtinere, si modò id vobis & mihi melius sit futurum. Quanquam difficile id fore arbitror. Neque admodum quale id sit, me latet. Verùm, vt Deo placet, ita succedat. Nos autem legi parere

[a] *A comicis exagitatus fuit Socrates in primis Aristophane de quo paulò post.*

oportet ac defensionem pro nobis afferre. Repetamus igitur ab initio quæ sit accusatio, ex qua aduersus me nata est illa calũnia, qua confisus Melitus mihi diem dixit. Quid ergo aiunt accusatores mei? tanquam enim si in iudicio adessent, eorum recitetur accusatio [ea qua est ab ipsis addito iureiurãdo formula, concepta] a Socrates iniustè agit, atque nimium curiosè perquirit quæ sub terra & quę in cęlo sũt, inferiorémque causam reddit superiorem. Præterea alios eadẽ docet. Talis vtiq; est accusatio. Nẽpe talia quædã & vos vidistis in Aristophanis comœdia: Socratis enim illic persona circũfertur, affirmans se per aerẽ peruagari: & cõplures eiusmodi nugas. Quarum ego rerum neque multũ, neque parũ quicquã scio. Neque hæc dico, quasi harum rerum scientiã parui faciam, siquis in huiusmodi rebus sit sapiẽs, quo minus tanti criminis reus à Melito accuser: sed quia reuera, ô viri Athenienses, horum nihil scio. Testes autem huius plerosque vestrũm adduco. Oro vos docere & exponere inuicem velitis, quotquot me colloquentem aliquando audiuistis, audiuistis autem plerique vestrũm. Recensete igitur inuicem, num quis vestrũm aliquando iis de rebus quicquã, siue multùm, siue parùm audiuerit me disputantem? atque ex hoc denique cognoscetis eiusmodi esse cætera, quæ multi de me circunferunt. At enim horũ nihil est verum. Quinetiã si à quopiam audiueritis me homines docere, atque inde pecuniam facere, neque id quidem verũ est. Atqui præclarum id mihi videtur, siquis docere homines possit, quemadmodum Gorgias Leontinus, & Prodicus Chius, & Hippias Heleus. Quorum vnusquisque, ô viri

a *Primũ caput accusationis aduersus Soc.*

eam

eam facultatē habet,per quam ad ſingulas profecti ciuitates, adoleſcentibus quibus liceret in patria ſuorum ſe ciuium diſciplinæ [gratis tradere] perſuadent vt ſe aliorum diſciplina relicta ſectentur, ac data pecunia, gratiam inſuper habeant. Eſt & alius quidam vir hic ſapiens Parius, quem ego huc veniſſe audiui: contigit enim vt in hominem aliquando incíderem, qui plus pecuniarū in Sophiſtas expendit quàm cæteri omnes, Calliam, inquam, Hipponici filium. Hunc ergo interrogaui (Duos enim habet filios) O Callia inquam, ſi filij tui pulli equini aut taurini eſſent, haberemus aliquem quem illis mercede adhibita præficeremus, qui eos pulchros & in ſuo vtrunque genere excellentem efficeret, eſſet verò talis aut equeſtrium aliquis, aut agricolarum. Nunc verò cum filij tui ſint homines, quémnam cogitas illis præficere? Et quiſnam huius humanæ ciuiliſque virtutis ſcientiam habet? Arbitror id te cùm filios habeas cogitauiſſe. Eſtne, inquam, talis aliquis, an non? Eſt profectò, inquit ille. Quis inquam eſt? & vnde? & quanta mercede docet? Euenus, inquit, eſt, ô Socrates, Parius, merces verò quinque minæ. Atque ego Euenum felicem iudicaui, ſi reuera hanc habet artem, atque adeo diligenter docet. Nam & ipſe quoque ſi talia ſcirem, admodum gloriarer, & magni me facerem. Sed certè, ô viri Athenienſes, hæc equidem neſcio. Requirat igitur forſan aliquis, quídnam, ô Socrates, tuum eſt opus: Et vnde aduerſus te exortæ ſunt hæ calumniæ? niſi enim aliquid præter aliorum conſuetudinem ageres, nunquam tantus de te tumor cōcitatus eſſet. Nam vnde de

*Euenus Parius Sophiſta.

te sermo tam frequens, nisi egisses aliquid à cæteris alienum? Dic ergo nobis quid tandem id sit, ne nos de te temerè aliquid iudicemus. Iusta sanè hæc mihi videtur interrogatio: atque ego vobis conabor ostendere quídnam id sit, quod mihi & nomen hoc, & calumniam peperit. Sed audite iam, & si vereor ne fortè quibusdam vestrûm iocari videar. Veruntamen existimate me vobis vera omnino dicturum. Equidem, ô viri Athenienses, non ob aliud certè quàm ob sapientiam quandā eiusmodi nomen nactus sum. Sed ob quam sapientiam? [a] Forte ob eam quæ humana sapientia est. Nā hac reuera sapiens esse videor. Illi verò quos paulò antè commemorabam, maiorem fortè quandam humanā sapientiam habēt, vel quid dicam, non habeo: neque enim ego ea præditus sum. Quòd si quis me hanc possidere dicat, mentitur, & in meam calumniam hæc dicit. Sed ne vobis molestum sit, ô viri Athenienses, néue commoueamini, siquid vobis magnum dicere videar, neque enim ex me duntaxat dicam, sed testem vobis afferam fide dignum: Profectò si qua mihi est sapiētia qualis ea sit, testem adhibebo vobis, Delphicum deum. Chærephontem certè nouistis: Ille familiaris mihi erat ab iuuentute, & vestrum magnæ parti notus, ac vnà vobiscum fugit, & simul in vrbem reuersus. Nouistis planè qualis erat Chærephon quàm vehemens quamcunque ad rem se conuertisset. Hic ergo quandoque profectus in Delphos vaticinium id experiri ausus est. Ne grauiter feratis, ô viri, quod in præsentia sum dicturus. Interrogauit vtique an esset vllus me sapientior. [b] Respondit Pythia, sapientiorem esse neminem. De his quidem ipsius

[a] *Humanā sapientiā in se agnoscit Socrat.*

[b] *Pythie testimoniū de Socrate.*

hic

hic frater vobis testificabitur: nam ipse Chærephon vita functus est. Considerate verò quorum gratia hæc dicam. Debeo enim vobis aperire vnde hæc aduersum me calumnia sit exorta. Profectò cùm hęc audissem, ita mecum ipse reputaui. Quidnam Deus ait? aut quidnam significat? Ego enim mihi conscius sum, neque in magnis, neque in paruis me esse sapientem. Quid igitur sibi vult, cùm me asserit sapientissimum? Deum quidem mentiri non est credendum, neque enim id fas est Deo. Atque ita diu ambiguus scrutabar quid oraculũ innuisset. Ac vix tandem post longas ambages viam eiusmodi inueni. Aggressus enim quendam ex his qui sapientes videntur, sperans si vsquã, in hoc vaticinium coargui posse, oraculóque ostendi, non me quidem quem præfecerat, sed illum esse sapientia præferendum. Dum ergo illum examinarem: huius verò nomen promere non est necessarium, erat autem quidam ex his qui in republ. versantur: illum, inquam, dum examinarem, vnáque dissererem, ô viri Athenienses, hunc in modum affectus sum: visus mihi est vir ille videri quidem sapiens tum aliis, tum vel maximè sibiipsi, esse verò nequaquam: deinde conatus sum illi ostendere, putare quidem eum esse sapientem, sed minimè esse. Quapropter & ille infensus mihi redditus est, & multi qui aderant, grauiter id tulerunt. Itaque ad meipsum reuersus, ita mecum ipse reputaui, Ego profectò sum hoc homine sapientior. Apparet enim neuter nostrum pulchrum bonúmque aliquid nosse. Sed hoc interest, quòd hic quidem cum sciat nihil, scire putat aliquid: ego verò quemadmodum nescio, ita nescire me puto. Videor ergo

[a] *In eo se attestante oraculo Apollinis sapientiæ rem cæteris iudicant Socrates, quod quæ nescirent, ea se nescire cognosceret, qui non faciebant, qui vulgò sapientes habebãtur.*

in hac tantula re hoc nomine ſapientior eſſe. quòd quæ ignoro ea me neſcire arbitror. Poſt hæc alium adij ex his, qui illo inſuper ſapientiores habentur, in eóque conſiderando omnino ſimiliter iudicaui, atque illum alióſque multos mihi reddidi infenſos. Proinde ſimiliter deinceps proceſſi ad alios, non ignorans quantum aduerſus me odium concitarem, ideóque non abſque dolore quodam timoréque procedebam. Veruntamen neceſſàrium mihi viſum eſt oraculum diuinum omnibus anteferre, paſſimque progredi perſcrutando quid ſibi velit oraculum, huiúſque gratia omnes quotcunque aliquid ſcire viderentur, adire. Et per Canem, ô viri Athenienſes, oportet enim vobis vera fateri, tale aliquid mihi contigit hæc ex diuino oraculo perquirenti, vt qui opinione hominum maximè probabantur, eos quaſi omnium imprudentiſſimos inuenirem: qui verò inferiores habebantur, eos quantum ad prudentiam ſpectat probabilius ſe habere. Operæpretium eſt referre vobis errores laboréſque meos, quos equidem propterea ſuſtinui, dum à me oraculum adeò probaretur, vt redargui iam deinde non poſſet. Poſt homines qui in republ. verſantur ad poetas me contuli, tragœdiarum & dithyramborum aliorúmque carminum autores, quaſi hîc perſpicuè admodum deprehenſurus, eſſe me his rudiorem. Acceptis itaque eorum libris, in quibus elaborauiſſe maximè videbantur, ſciſcitatus ſum eorum ſenſa, vt nonnihil ab ipſis perdiſcerem. Erubeſco, ô viri, verum hîc vobis aperire, dicendum eſt tamen. Alij penè omnes præſentes, vt ita dixerim, melius de rebus his loquerentur, de quibus ipſi poe-

mata

mata conscripserunt. Deprehendi igitur breui id in poetis, [a] eos videlicet non sapientia facere quæ faciunt, sed natura quadam ex diuina animi concitatione, quemadmodum & hi qui diuino furore afflati vaticinantur. Nam & hi multa quidem dicunt atque præclara: sed eorum quæ dicunt, nihil intelligunt. Tali quodam pacto poetæ affecti fuisse mihi videntur, & simul animaduerti eos in aliis quoque propter poesim omnium se sapientissimos iudicare, in quibus non sunt sapientes. Abij ergo & hinc eadem omnino sententia, qua & à politicis viris abieram. Tandem verò me ad artifices contuli, vtpote bene mihi conscius quàm nihil isthic, vt ita dicam, scirem, hos autem noueram multa & pulchra scire, neque in hoc equidem deceptus sum. Sciebant enim quæ ipse nesciebam, & hac in parte me sapientiores erant. Sed ô viri Athenienses, in eodem errore quo & poetas, peritos artifices deprehendi. Nã ob hoc ipsum quòd sua ritè perficiebant, vnusquisque eorum se in cæteris quoque vel maximis sapientissimum esse putabat. Atqui hic error illam quoque quæ ipsis inerat, sapientiam offuscabat. Quamobrem si meipsum oraculi loco interrogarem, vtrum eligam, itáne me habere vt habeo, videlicet neque scientem quæ illi sciunt, neque meam insciti am ignorantem, an vtraque habentem quę illi habent, planè mihi ipsi simul atque oraculo responderem præstare ita vt habeo me habere. Ob hanc vtique inquisitionem meam, ô viri Athenienses inimicitiæ multæ difficillimæ, atque grauissimæ aduersus me coortæ sunt, ex quibus multæ sunt calumniæ consecutæ. [b] Nomẽ verò sapientis mihi propterea exortum est,

[a] *Poetæ non ex scientia aut sapiẽtia acquisita sed afflatu numinis facere, quæ re ctè facerent putauit Soc.*

[b] *Socrates vulgò sapiẽs existimatus, quòd ea scire existimaretur, in quibus alios refellebat.*

quòd præsentes plurimum illa me putant scire in quibus alios refello. Videtur autem ô viri Athenienses reuera solus deus sapiens esse, atque in hoc oraculo id sibi velle humanam videlicet sapientiam parui, imò nihili pendendam esse. Quòd verò Socratem nominat sapientem ob id facere, quò nomine meo tanquam exemplo quodam vtens, quasi sic dicat: Is, ô viri, sapientissimus est, qui quemadmodũ Socrates, nouit reuera sapientiam suam esse nihili pendendam. Hæc igitur ego sic affectus, & nunc perquirere passim deo obsecutus, & perscrutari non desino, conueniens quemcunque aut ciuium, aut peregrinorum esse existimo sapientem. Ac si quando mihi ille talis non videatur, tunc ipse suffragatus atque obsequẽs, illum sapientem non esse demonstro. Atque ob occupationes eiusmodi nullum mihi fermè relinquitur otium vel ad publicũ aliquid commemoratu dignum agendum, vel priuatũ, sed in extrema paupertate ob Dei cultum sum constitutus. Præterea adolescentes maximè opulenti quiue à negotiis vacant, me vltrò sequentes delectantur, cùm refelli à nobis homines spectant. Quineriam ipsi nonnunquam me imitati alios deinde confutare contendũt. Qua quidem in re plurimam reperiunt turbã hominum aliquid se scire putantium, cùm aut nihil sciant, aut perparum, [b] qui verò ab his conuincuntur, non tam illis quàm mihi reddũtur infensi, clamántque esse Socratẽ quẽdam scelestissimum, iuuentutísque corruptorem. At si quis ab eis scisciteur, quídnam vel agendo, vel docendo corrumpat, nihil quidẽ assignare possunt, imò prorsus ignorant. Sed ne deesse illis materia videatur, ad ista confugiunt

a *Sol⁹ Deus sapiens, & sapiẽtissimi hominis sapiẽtia parui pẽdenda.*

b *Vera odij causa in Socratẽ quòd vulgò redargucre solit⁹ esset eos, qui cũ nihil scirẽt, se maximè tamẽ ꝓ scientib. vẽdarent.*

giunt, quæ communi voce facilè philosophantibus obiici solent, *quòd scilicet ea quæ in cœlo sunt curat, & quæ item sub terra. Deos verò non credit, & malam causam bonam esse persuadet*: vera enim, vt puto, fateri nolunt, se scilicet indignatos, propterea quòd conuicti fuerint, simulare se illa scire quæ nesciunt. Vtpote igitur ambitiosi & vehementes & multi, ac velut ex composito, atque obnixæ diligentíque persuasionis studio me criminantes, vestras aures impleuerunt, & iamdiu & nuper calumniis in me sedulò confictis. Ex his autem Melitus, & Anytus, & Lycō cōtra me surrexerūt: Melitus quidem ob poetas mihi infestus, Anytus verò ob artifices atque reipublicæ gubernatores, Lycon denique gratia rhetorum. Quamobrem quemadmodum ab initio dicebam, admirarer equidem, si opinionem istam tantis conceptam calumniis, tam inueteratam, nunc in tam breui tempore amouere à vobis possem. Hæc equidem, ô viri Athenienses, vera vobis loquor, neque celo, neque subtraho, aut magnum quicquam, aut paruum, quamuis fermè norim in his dicendis me eisdem fore molestum. Quod quidem argumentum vobis est me vera loqui, atque hanc esse calumniam contra me exortam, eiúsque causas eiusmodi esse. Et siue in præsentia, siue in posterum hæc inquiretis, ita esse inuenietis.

a *Accusatorū Socratis nomina.*

Ad illa igitur quæ primi accusatores detulerunt, hæc mihi sufficiens apud vos sit defensio. Ad Melitum verò bonum, & vt ipse ait, patriæ amatorem, reliquósque accusatores deinceps respondere conabor. Ac rursus tanquam alij quidam accusatores sint, accu-

sationem cum iuramento calumniæ vitandæ gratia præstito conceptam in medium adducamus. Habet verò in hunc fermè modum, aSocrates iniustè agit, iuuentutem deprauans, ac Deos quos ciuitas putat, ipse non putãs, sed alia quædam noua dæmonia. Accusatio quidẽ est eiusmodi, huius autem accusationis vnamquanque partem discutiamus. bIuuenes deprauare me obiicit, atque in hoc iniuriam facere: ego verò, ô viri Athenienses, contrà iniuriam facere Melitum dico, propterea quòd in re seria cauillatur ac iocatur, tam facilè homines in iudicium trahens, simulánsque seriis se rebus incumbere, earúmque rerum habere curam, quæ ipsi nunquam curæ fuerunt. Hoc autem ita esse conabor & vobis ostendere. Heus Melite, respondè mihi, nunquid ipse maximè cures, vt quàm optimi adolescentes euadant? Curo equidem. Age ergo his nunc dicas, quísnam iuuenes meliores efficiat. Constat enim scire te, cùm tibi id curæ sit. Me certè corruptorem eorum, vt ais, iam deprehendisti, accusasti apud hos, in iudicium traxisti, ergo age, & eum qui efficit meliores dic his, & quísnam sit ostende. quídnam, ô Melite, taces? Vidésne nihil te habere quod dicas? Atqui nónne turpe id tibi videtur esse, ac sufficiens argumentum eius quod ipse dico, te hæc nunquam curasse? cVerùm dic iam bone vir. Quísnam eos efficit bonos? Leges. At verò non istud interrogo, ô vir optime, sed quis homo qui & primùm ipsum norit, leges scilicet quibus illi meliores fiant. Hi, ô Socrates, iudices. Quid verò, ô Melite, ais? istíne etudire iuuenes possunt, bonósque reddere? Et maximè quidem. Vtrum omnes? An alij quidem possunt, alij verò nequa-

a *Accusatio Melitii aduersus Socratem iis ipsis verbis quib. fuerat cõcepta proposita.*

b *Primũ caput accusationis Melitii: Socrates iuuenes corrũpit: quod deinceps refutatur.*

c *Nõ est verisimile solũ Socratẽ corrupisse iuuẽtutem, quã omnes alij omniũ ordinũ ciues, ad bonã frugem perduxerint*

quaquam? Omnes. Bene per Iunonem loqueris, & magnam eorum qui prosint iuuenibus copiam. Verùm quídnam hi qui audiunt? Faciúntne & ipsi meliores, an non? Ipsi quoque. Quid verò senatores? Et senatores. Sed enim, ô Melite, cauendum est ne concionatores fortè adolescentes corrumpant. An verò & hi omnes similiter faciunt meliores? Hi quoque. Omnes igitur, vt videtur, Athenienses honestos bonósque reddunt præter vnum me. Ego enim corrumpo solus. Itáne ais? Ita certè, & quidem vehementer. [Magna tuo quidem iudicio est infelicitas mea.] Proinde mihi responde, an & de equis idem putes, omnes scilicet homines equos bonos efficere, vnum verò duntaxat esse qui eos corrumpat. An omnino contrà vnum esse, vel certè perpaucos equitandi peritos reddere meliores equos: quàplurimos autem esse, qui si inter equos versentur, illísque vtantur, deprauant? Nónne ita se res habet, ô Melite, & de equis, & de cęteris omnibus animantibus? Penitus ita, siue tu & Anytus non confiteamini, siue confiteamini. Etenim permagnam iuuenes nacti essent felicitatem, si vnus duntaxat eos posset peruertere, cæteri verò omnes prodessent. Cæterùm, ô Melite, satis demonstras te nullam iuuentutis curam habuisse vnquam, ac planè declaras incuriam tuam, téque nunquam meditatũ fuisse ea de quibus me accusas. [a] Præterea obsecro te per Iouem, ô Melite, responde nobis, vtrum melius versari possumus inter bonos ciues, an inter malos. Responde amice. Nihil enim difficile te rogo, nónne mali semper mali aliquid agunt his quibus cum conuersantur? boni autem bonum? Proculdubio. Estne vllus qui de-

[a] *Nemo sponte malũ reddit eũ à quo sit malũ & dãnum propter malitiã, qua illum imbiberit perceptum.*

trimentum suscipere potius quàm emolumẽtum velit ab his quibus familiariter vtitur? Respondeo,ô bone vir. Lex enim respondẽre te iubet,ẽstne quisquam qui damnum pati velit? Nullus. Age ergo,tu me huc in iudicium vocas quasi iuuentutis deprauatorem, an dicis me id volentem facere, vel nolentem? Equidẽ volentem dico. Nunquid tu,ô Melite, longè minor natu vsqueadeò me grandiori sapientior es, vt planè cognoscas tu quidem malos obesse familiaribus, bonos verò prodesse? Ego autem in tantam insaniam prolapsus sim, vt neque id cognoscam, si quem ex familiaribus peiorem reddidero, periclitaturum me ne quid ab eo mali perpetiar, atque hoc tantum mihi ipsi malum, vt ais, volens inferam? Hæc equidem tibi,ô Melite, non credo. Arbitror quoque neminem tibi alium concessurum. Sed aut non deprauo adolescentes, vel si deprauo inuitus facio. Quapropter tu in vtroque mentiris. At si inuitus corrumpo, non huc in iudicium inuoluntaria delicta lex trahi iubet, sed priuatim doceri atque admoneri. Constat enim si didicero, non amplius me id facturum, quod per ignorantiam faciebam. Tu autem familiariter me emendare noluisti, sed in iudicium rapis: quò eos trahi lex iubet, qui pœna indigent potius quàm disciplina. Ut verò ex his manifestum est, ô viri Athenienses, quòd modò dicebam, nullam huic Melito aut magnam, aut paruam erudiendæ iuuentutis curam fuisse.

VERVNTAMEN dic nobis qua ratione me asseras,ô Melite, peruertere iuuentutem. [a] An videlicet quemadmodum in accusatione scripsisti, quia doceam non putare Deos quos ciuitas

[a] *Secundum caput accusationis Melitι. Socrates non putat Deos esse, quos ciuitas putat.*

uitas putat, sed alia quædam noua dæmonia? An non in his docendis affirmas iuuenes me corrumpere? Omnino quidem ac vehementer hæc asserо. Per Deos ipsos, ô Melite, de quibus nunc nobis est sermo, apertius & mihi & his enarra. Nam ego quidem nondum plane intelligo, vtrũ dicas docere me iuuenes vt putẽt aliquos quidem Deos esse: quod si ita est, ego Deos esse puto, neq; omnino sum absque Deo, neque in hoc iniustè ago, quãuis nõ eos quos habet ciuitas, sed alios esse doceã. Vtrũ, inquã, hoc est in quo me criminaris, quòd videlicet Deos alios introducam? An me ais omnino negare Deos, rursúsque alios quoque docere vt negent? Asserо equidem te omnino negare Deos. O admirabilis Melite, cúrnam ista dicis? Neque solem igitur. Neque Lunam esse Deos credo vt homines alij. Per Iouem ita, ô iudices. Nam solem quidem lapidem esse dicit, lunam verò terram. [a] Anaxagoram tu quidem, ô amice Melite, accusare tibi videris, atq; ita hos parui facis existimans eos literarum ignaros esse, quasi nesciant libros Anaxagoræ Clazomenij eiusmodi opinionibus esse plenos. Iuuenes verò hęc à me discant, [b] quib. liceret interdum, [quum plurimum exigitur] vnius drachmæ pretio ementibus ex orchestra Socratẽ deridere, si sua esse fingeret, præsertim quum tam absurda sint. Sed per Deum, ô Melite, putásne reuera nullum me Deum existimare? Nullum per Iouem, ne vnum quidem. Incredibile est, ô Melite, quod dicis: & quidem vt mihi videtur, etiam tibiipsi. Mihi enim, ô viri Athenienses, nimis contumelioſus ac petulans iste vir, ipsúmq; accusationẽ contumelia quadam, & petulantia & iuuenili temeritate

[a] *Anaxagoras dicere solitus erat Solem esse lapidẽ ignitũ.*

[b] *Summum pretium in theatro pẽdi solitũ vt spectatum qui admitteretur Athenis erat drachma.*

[c] *Cõtradictionis arguit Melitũ Socrates: qui accusans Socratẽ tanquã negantẽ Deos, postea ponat ipsum Deos agnoscere cũ dicat illũ noua dæmonia inducere.*

proculdubio conscripsisse apparet, videtur enim seu ænigma quoddam componere, tentans, an Socrates sapiens deprehendat ipsum cauillantem & suauiter iocantem, sibique ipsi contraria proponentem, vel Socrates vnà cum auditoribus ipsis decipiatur. Hinc namque repugnare sibimet in ipsis accusationis verbis mihi videtur, ceu si dixerit Contra leges ait Socrates Deos non putans, sed Deos putans. Quæ quidem iocantis & facetè cauillantis nugæ esse videntur. Animaduertite, ô viri, quo pacto Melitus mihi videtur hæc dicere. Tu responde nobis ô Melite. Sed vos quod ab initio oraui, ne ægrè feratis si pro more meo verba facio. Estne quisquam, ô Melite, qui humana quidem esse putet, homines verò nequaquam? Respondeat mihi, ô viri, neque modò in his, modò in illis perturbet. Estne aliquis qui equos non putet esse, sed equestria? vel tibicines quidem non esse, sed res tibicinarias? Non est quisquam, ô virorum optime. Ego enim pro te & tibi & his aliis respondeo, siquidem ipse non vis respondere. Sed ad hoc saltem quod magis ad rem pertinet, responde. An est quisquam qui dæmonum quidem opera opinetur esse, dæmones autem minimè? Nullus. Quàm tardè & vix respondisti ab his coactus? Nónne igitur dæmonum opera confiteris me & putare & docere siue noua, siue antiqua sint? omnino enim vt confiteris dæmonia ego assero, atque hæc quidem in responsione iurabo. Quòd si dæmonia puto, necessarium est omnino putare me dæmones quoque esse, an non ita se res habet? Ita certè. Pono enim te confitentem, quandoquidem respõdere

dere non vis. [a] Dæmones autem, nónne aut Deos arbitramur esse aut Deorum filios? Fateris ne hoc, an non? Prorsus. Nónne si dæmones esse arbitror, vt ipse concedis, dęmonésque Dii quidam sunt, id euenit quod modò dicebā? ænigmate proponere, & ludere ac nugari dicēdo me Deos nō existimātē, Deos tamē rursus existimare, quādoquidē dæmones esse duco? Rursus si dæmones Deorū filii sint, spurii videlicet quidā, aut ex nymphis, aut ex aliis quibusdam, vt fertur, quisnā hominum filios quidem Deorum esse putet, Deos verò neget? Perinde enim id absurdum foret, ac si quis equorum quidem filios vel asinorum mulos esse putet, equos autem & asinos esse non putet. Sed, ô Melite, videris procul dubio accusationem istā idcirco ita instituisse, vel vt ingenii nostri periculum faceres, vel quia in quo veri me criminis accusares, nihil haberes. Tu verò quānā ratione persuaderes alicui vel minimū quidē mentis habenti, non esse eiusdē viri dæmonia simul & diuina putare, ac rursus eiusdē neque dæmones, neque Deos, neq; heroas? Nulla certa ratione fieri posse aliter ostendi potest. Cęterùm, ô viri Athenienses, quod quidē ego nō deliquerim quemadmodum Melitus accusat, haud magna mihi purgatione opus esse videtur, sed ea quæ dicta sunt sufficere iudico. Quod autem ab initio dixi, maleuolentiā plurimam esse contra me apud plurimos concitatam, id profectò veriſſimū est, & hoc me perimet, si quidem perimar, non Melitus, neq; Anytus: sed multorū calumnia & inuidia. [b] Quæ quidem alios quoq; multos viros bonos peremit hactenus &, vt arbitror, perimet. Nihil enim graue vel mirum, si in me obesse nō desi-

[a] *Dæmones aut Dij aut deorū filij.*

[b] *Inuidia multos viros illustres perdidit.*

sinat. Forsitan verò ita me quispiã interroga-
bit. Nónne te pudet Socrates, tale quidã exer-
cere, ex quo continuò in periculũ venias mo-
riendi? Equidem huic obiectioni iustam hanc
responsionem dabo. Haud rectè ô vir, loque-
ris, [a]si putas magnam aut vitæ aut mortis ha-
bendam esse rationem homini, cuius vel par-
ua quædam vtilitas sit: ac non illud potius dũ-
taxat considerandum, quoties aliquid agit, v-
trum iusta agat, an iniusta, aut boni viri o-
pera siue mala. Alioquin ex hac ratione tua
pernendi fuissent semidei omnes quotcunq;
apud Troiam occubuerunt, & alii, & in pri-
mis ipse Thetidis filius: qui vsqueadeò mortis
contempsit periculũ, ne turpem subiret infa-
miam, vt cùm sibi Dea mater properanti ad
Hectorem occidendum prędixisset, his fermè,
vt arbitror, verbis: O fili, si pro vindicta Pa-
trocli amici tui ab Hectore interfecti, Hectorẽ
interfeceris ipse peribis. inquit enim, Subitò
post Hectorẽ infelix tibi fors imminet. Cùm
inquam ab ea hæc accepisset, vsque adeò dis-
crimẽ mortémq; contẽpsit, vt multò magis ti-
muerit turpem vitam amicorum inultis iniu-
riis quàm mortem, statímque responderit
mori se malle pro iusta amici vindicta, quàm
moras trahẽtẽ apud naues ridiculũ viuere, tel-
luris inutile pondus. Hunc ergo periculi mor-
tísq; curã habuisse quisnã dixerit? & profectò
ita res se habet, ô viri Athenienses. Quo quisq;
in loco vel seipsum constituit, arbitratus id o-
ptimũ esse, vel à superiore iubetur consistere,
in eo, vt mihi videtur, permanere oportet, pe-
riculũq; subire, neq; mortẽ neque aliud quic-
quã magis quàm turpitudinem formidantem.
[b] Equidem, ô viri Athenienses, grauiter aber-

[a] *Vitæ aut mortu non magnam debet habere rationẽ vir sapiens, sed hoc duntaxat curare, vt iusta agat & ea quæ sunt viri boni opera.*

[b] *Quibus prælijs interfuerit Socrates.*

rarem

rārem, si cum illis paruerim præfectis, quos ipsi mihi proposuistis & in Potidæa, & in Amphipoli, & in Delio: tunc enim vbi illi me cōstituere iussērunt, ibi constiti vt quisquam alter, mortisque discrimen subiui: [a] vbi verò Deus me posuit, permaneréque voluit, vt opinatus sum atque existimaui, videlicet philosophantem me viuere, ac meipsum aliósque scrutari, ibi ob mortis alteriúsve rei metum ordinem desererem. Pergraue, inquā, id esset delictū, & tunc revera me iustè quis in iudicium traheret, quasi Deos non putantē, videlicet oraculo non parentē, atque mortem timentem, putantémque me sapientem esse, quum sapiēs minimè sim. [b] Nam mortem timere, ô viri, nihil est aliud quàm sapientē videri eū qui non sit sapiens. Quippe cum id sit scire videri quæ nesciat. Nemo enim scit vtrū mors summū bonorum omniū contingat homini, metuunt autem perinde ac si eam scirent maximum esse malorum. Cui verò dubium esse debet, quin hæc ipsa inscitia sit maximè vituperanda, per quam aliquis se putat scire, quæ nescit; Ego autem ô viri, in hoc forsan à multis hominibus differo. ac siqua in re sapientiorem me aliquo esse dicerem, in hac vtiq; dicerē, quòd cū haud sufficiēter quæ sunt apud inferos norim, similiter me non esse cognosco. Iniurias autē inferre, superiorique non obedire vel Deo vel homini, malū turpéque esse scio. Hæc igitur quæ nescio vtrum bona sint, nunquam magis timebo, atque fugiam, quàm illa quæ mala esse cognosco. Quamobrē si me nunc absoluatis, non credentes Anyto, qui dixit aut me in iudicium ab initio vocandū non esse, aut vocatum necessariò esse damnandū: Nā si à vobis

[a] *Ea in statione, in qua à Deo collocati sumus manendum.*

[b] *Mortem timere est insipientia.*

absolueret, fore vt filii vestri Socrati secuti disciplinam omnes omnino corrumperentur. si inquã, ad hæc vos ita dicatis: ô Socrates, Anyton credimus, téque sententiis nostris absolui mus, hac tamen conditione, vt nunquam posthac in hac inquisitione philosophiáque versetis: ac si id facere deprehendare, mortem obeas. Si igitur, vt dicebã, his conditionibus dimittere me velitis, respondebo vtique vobis: ô viri Athenienses, diligo vos equidem atque amo, [a] Deo tamen parere malo quàm vobis. Et quandiu spirabo, viréque suppetent, philosophari non desinã, exhortãs & docens quemcunque nactus fuero, sicut soleo hunc in modũ. [b] Quid tu, ô vir optime, cum ciuis Atheniensis ciuitatis amplissimę ac sapientia & potẽtia præstãtissimæ non erubescis in eo omnem operã ponere, quo tibi pecuniarum & gloriæ & honoris quàm plurimum sit? vt autẽ prudentia & veritas, & optimus animi habitus in te sit, neque cogitas, neque curas? Ac si quis vestrũ mecum cõtenderit, id se curare asseuerãs, haud statim dimittã illum, neque recedã, sed scisciabor, examinabo, redarguã. Quòd si mihi nõ videatur possidere, virtutem attamen profiteri, obiurgabo quòd ea q ę plurimi pretii sunt, nihili pendat, vilissima verò plurimi faciat. Hoc equidem officium præstabo iuniori & seniori quemcunque nactus fuero, rursúsque peregrino & ciui, magis autem ciuibus, quantò mihi genere propinquiores estis. Hoc enim Deus ipse iubet. Reor autem quod & vos latere non debet, nullum adhuc bonum võbis in hac vrbe maius contigisse quàm hoc meum ministerium, quod Deo parens exhibeo. Nihil enim aliud agens circumeo, quàm suadens iunio-

[a] *Deo magis parẽdũ quã hominibus.*

[b] *Specimen exhortationum quibus Socrates adolescentes ad virtutẽ solitus erat excitare & impellere.*

iunioribus, senioribúsque vestrúm neque corporum, neque pecuniarum, neque aliarum omnino rerum curam prius vehementiúsque quàm animi habendâ esse, vt quàm optimus sit, docens non ex pecuniis virtutem, sed ex virtute pecunias aliáque bona omnia & priuatim & publicè hominibus prouenire. Si igitur hæc docens peruerto iuuenes, essent certè pernicioſa. At si quis dicat me alia quàm hæc docere, nihil dicit. Horũ gratia, ô viri Atheniẽses, profiteor equidem siue credatis Anyto, siue non credatis, siue dimiseritis me, siue non dimiseritis, profiteor me nihil aliud esse facturum, nec si mihi sit pluries moriendũ. Ne conturbemini, ô viri Athenienses. Sed quẽ admodum ab initio rogaui, me æquo animo audiatis: erit enim vobis, vt arbitror, vtile, si quæ nunc dicturus sum, audietis. Equidẽ vobis alia nõnulla dicturus sum, quç audientes forsi tan clamabitis. verùm ne hoc committite. Scitote si me occideritis talem qualem vobis modò dicebam, a non me læsuros esse vos magis quàm vos ipsos. Me quidem neque Melitus, neque Anytus vnquam lædet. Neque enim posset. Siquidem nefas est, vt arbitror, meliorem virum à deteriore lædi. Interficere tamen potest, vel pellere, vel contumelia quadam afficere, atque hæc iste quidem & alius aliquis ingentia putet esse mala. ego verò non puto, b sed multò peius esse illa facere quæ nunc iste facit, aggrediens iniustè virum occidere. Quamobrem, ô viri Athenienses, non tam mihi nunc opus est defensionem pro me ipso meditari, vt aliquis existimaret, quàm vobis, ne quid me condemnantes contra id munus quod Deus vobis tribuit, delinqua-

a *Vir bonus à malo lædi non potest.*

b *Summum malum non est pati, sed inferre iniuriam.*

tis. Si enim me interfeceritis, haud facilè aliũ talẽ reperietis, verè quidem. & si fortè id dictũ ridiculum est, [a]ciuitati vestræ à Deo adhibitũ, velut equo cuidam magno & generoso, sed ipsa mole pigriori, atque calcaribus excitati indigenti: qualem videtur me Deus ciuitati addidisse, qui singulos excuscitans & monens & obiurgans, non cessio diem totã vbique vobis assistere. Talẽ verò alterũ nõ facilè nanciscemini, ô viri Athenienses. Ergo si mihi credideritis, me vestris sententiis absoluetis. At verò si fortè dormitantium more grauiter ferentes vos excusciteri, me, vt vult Anytus, temerè ac leuiter occideritis, reliquũ omne tẽpus dormietis, nisi forsan Deus vobis prospiciens aliũ quẽdã miserit. Me verò esse talem, vt à Deo ciuitati tributus fuisse videar, hinc potestis animaduertere. Non humanum certè id esse videtur, quòd ego mea quidem omnia omnino neglexerim, atque in hac rei familiaris negligentia tot annos iam perseuerem, vestro semper intentus bono, dum singulos adeò tanquam pater, aut frater natu maior, suadens curam virtutis habere. [b] Quòd si quam pro officio meo mercedem reciperem, humanã quandã id ratio nem haberet. Nũc verò quòd & vos planè videris, accusatores isti mei quanquã impudẽtissimè alia contra me omnia coacernarunt, hoc vnum tamen solita illa impudentia nequaquã ausi sunt pertentare, testésq; adhibere qui probent me vnquã pro his mercedẽ vlla exegisse aut petisse. Huius aũt rei sufficientẽ vobis, vt arbitror, testẽ affero, paupertatem meam. Sed forsan absurdum alicui videri potest, me priuatim hæc consulere singulis anxiè nimis circumeuntem, publicè verò in concionibus au-

[a] *Socrates ait se Athenienſib. præpoſitum fuiſſe à Deo, tã quã ſeſſorẽ equo, vt illũ calcaribus cõtinuè pungeret & ſollicitaret ad virtutem.*

[b] *Socrates nullam mercedẽ ſolitus fuit exigere ex ijs quos docebat.*

ſum

sum non fuisse hoc idem ciuitati consulere. Huius autem causa est de qua sæpe me passim dicentē audiuistis, diuinū videlicet quiddā atque dæmonicū, vocem scilicet quandam mihi adesse. Quod quidem Melitus in accusatione derisit, sed mihi quidē ab ipsa pueritia hoc adest, vox scilicet quædā, quæ quoties fit, me prohibet agere quod acturus eram, prouocat verò nunquam. hoc inquā est, quod mihi repugnet, quo minus me ad publica conferam, & rectè admodum mihi aduersari videtur. Constat enim, ô viri Athenienses, si quondā negotia publica aggressus fuissem, iamdiu mihi fuisse pereundum: itaque nullā vel vobis, vel mihi attulissem vtilitatē. Ne mihi succensetis, oro, vera dicenti. [a] Nemo enim diu saluus esse potest, si aut vestro, aut alteri cuiquam populo ingenuè ac fortiter aduersetur, quò multa iniusta atque iniqua quæ fieri solent in ciuitate, prohibeat. Sed necesse est eū qui reuera pro iustitia pugnat, si modò breui saluus futurus sit, priuatim degere, neque rempublicam attingere. Horum equidem magna vobis afferam argumenta, nō verba quidē, sed quod vos multi facitis, facta. Audite iam quæ mihi contigerint, vt planius perspiciatis, nulli me quicquā contra iustitiā ob mortis metū concessurū fuisse, atque non concedentē, simul fuisse periturū. [b] Referam vobis equidem molesta quædā atque iudicialia, vera tamen. Ego enim, ô viri Athenienses, nullo adhuc publico functus sum munere, nisi quòd ad consiliū sum adhibitus. Contigit autem tribum meā Antiochea eo tempore præsidere, quo vos decem illos exercitus duces, quia nauali pugna interemptos nō extulissent, damnare simul omnes properastis, in-

Dæmonium Socrat.

Cicero de diuinat. 1.

[a] *Nemo diu saluus & in columis esse potest in Republ. qui multis iniustu quæ fieri solent in ciuitate se opponat.*

[b] *Socrates sæpius acta discrimē adiit pro eo quod iustū erat, pugnās*

iustè equidem, vt cunctis posteà vobis notum fuit. Tunc ego solus ex omnibus prytaneis, id est, senatoribus me vobis opposui, nequid ageretis præter leges, meisq; suffragiis restiti. Quo in tempore cum oratores multi parati essent deferre meum nomen, atque in iudicium trahere, vósque ipsi ingenti idem clamore iuberetis, existimaui oportere me magis pro lege atque iustitia subire periculum, quàm vobiscum sentire, non sentientibus iusta, ob metum carceris aut mortis. Et hæc quidē facta sunt ciuitate adhuc sub libertate populi cōstituta. Postquā verò ad paucorum potentiam deuentum est, rursus triginta illi qui tempublicā occuparunt, vocantes me vnà cum aliis quatuor in Tholum iusserunt Leonem Salaminium ex Salamine adducere quò ille necaretur, qualia videlicet multa illi, & aliis multis eo tempore mandabant, vt complures criminum suorum inuidia inuoluerent. Tunc ego non verbis quidem, sed re ipsa rursus ostendi, nihil me omnino quamuis dicto rusticius videatur, curare mortem: illud verò omnino curare, nequid in iustum néve impium facerem. Me enim potestas illa terribilis nequaquam ita conterruit, vt iniustè aliquid facerem. Sed vbi Tholo egressi sumus, reliqui quatuor in Salaminam profecti sunt, & captum Leonem duxerūt, ego verò domum abiui: ac forsan propterea me illi interfecissent, nisi breui eorū potestas dissoluta fuisset. Atque horum testes vobis erunt permulti. An ergo putatis tot annos me viuere potuisse, si publica tractauissem, bonique viri officio fungens, iustitiæ suffragatus essem, atque, vt oportet, vnū id officiū omnibus prætulissem? Permultum abest, ô viri Athenienses neque enim

a Socrates sæpius vitæ discrimē adiit pro eo quod iustum erat pugnans.

b Imperium triginta virūm, qui Athenas aliquando tenuerunt, fuit tempore Socratis.

alius

alius quiſquam hominũ, ita ſe gerens, diu ſalvus eſſe potuiſſet. At ego per omnẽ vitã ſicubi publica tractaui negotia, talem me præſtiti, & priuatim idem ipſe nemini vnquam præter id quod iuſtũ eſt, concedens, vel aliis, vel horũ alicui quos ij qui me criminantur, meos affirmant eſſe diſcipulos. [a] Ego autem nullius vnquam præceptor fui. Sed ſiquis dicentem me ac tractantem audire deſiderauit, ſiue iunior, ſiue ſenior, nulli vnquã id negaui. Neque verò is ego ſum, qui pecuniis acceptis diſputem, non acceptis verò taceam, ſed pariter diuiti atque pauperi interrogandũ me præbeo, ac etiã ſiquis reſpondendo audire velit quæ dico. Et ſi quis horũ probus factus ſit vel fiat vel non, haud iuſtè crimen ſubierim, quippe cùm nulli vnquam doctrinam vel tradiderim vllam vel promiſerim. Quòd ſi quis dixerit priuatim à me quicquã vel didiciſſe, vel audiuiſſe, quod nec aliis omnibus cõmune fecerim, non verũ dicit. Sed quam ob cauſam quidam mea conſuetudine oblectentur, ô viri Athenienſes, audite. Omnino verum eſt quod vobis ſuprà dicebam, delectari homines cum redargutioni eorum adſunt, qui ſe, cùm non ſint, exiſtimant ſapientes. Eſt enim res non iniucunda: mihi verò, vt dixi, à Deo iuiuncta & per vaticinia, & per ſomnia, & per omnẽ modũ, per quẽ aliqua alia ſors diuina homini quicquam mandarit agendũ. Hæc, ô viri Athenienſes, & vera ſunt, & facilè arguenda. [b] Enimuerò ſi ego iuuenũ alios quidẽ nunc corrũpo, alios verò iãdiu corrupi, conſentaneũ eſſet vt nunc illorũ aliqui ſeniores facti, quoniã intelligerent me ſibi adoleſcentibus malè conſuluiſſe, contra me inſurgerent, ac pœnas depoſcerẽt. At ſi

[a] *Libertas & liberalitas Socratis in gratiã decẽdo obuio quoque qui ſe docere vellet & patetur.*

[b] *Ad refutandã calumniam Meliti qui obiecerat Socratem corrũpere iuuenes teſtes producit ſuæ vitæ & doctrinæ cum iuuenes tũ ſenes qui ſua familiaritate & cõſuetudine vſi erãt.*

ipsi nollent. saltem necessarios illorũ aliquos, patres & fratres,& alios cognatos, siquid mali à me eorum necessarij passi fuissent, commemorate nunc.& pœnas exigere.Sed adsunt hîc quos cerno illorũ permulti. Primùm quidem Crito iste æqualis meus atque contribulis Critobuli huius pater. Deinde Lysanias Sphettius Æschini huius pater. Præterea Antipho Cephisęus pater Ephigenis. Adsunt & alij quorum fratres familiariter me vsi sunt,Nicostratus Theosdoti filius,Theodoti frater.Et Theodotus quidem defunctus est, vt fratrem precari non possit. Et Paralus hic filius Demodoci, cuius Theages frater erat. Adimantus quoque filius Aristonis cuius frater est iste Plato. Denique Æantodotus cuius Apollodorus hic est frater. Alios permultos referre possum, quorum vnum aliquem præsertim in eius oratione oportuit à Melito testem produci. At verò si tunc oblitus est, nunc saltẽ producat,ego permittã. afferat,inquã. si quid tale habet in medio. Sed contrà omninò se rẽ habere cõperietis,ó viri Athenienses. Omnes enim, vt videtis, conuenerunt libenter ad opẽ mihi ferendã, qui corrupisse eorũ necessarios detrimentumque attulisse à Melito Anytóque accusor. Quòd si ipsi qui deprauati sunt opitularentur, nihil mirum esset: at propinqui eorum seniores à me nunquam deprauati,qua tandem ratione mihi suffragantur, nisi recta quadam & iusta? quippe cùm & Melitum mentiri, & me vera loqui cognoscant. Quæ igitur pro defensione mea, ó viri Athenienses, habeo,fermè hæc sunt,& alia forte similia.

b Excusat se quòd ea non adhibeat quæ solita erant fieri ad commouendam cõmiserationem & implorandã misericordiam iudicum.

b Sed forsan vestrũm aliquis ad se moréque solitos se recipiens, grauiter ferat, quòd cum leuio-

leuioribus etiam in causis reus multis cũ lachrymis soleat deprecari atq; supplicare, ac filios in iudiciũ producere, vt cõmiserationem commoueant & alios domesticorum amicorúmque permultos ego nihil horum faciam, quãuis in extremo, vt videtur, discrimine constitutus. His ergo offensus aliquis contra me pertinacius irritetur, atque ipsa in ira sententiã contra me ferat. Si quis ergo inter vos eius mentis est, ego tamen non censeo obsecrandũ, sed hac ratione potius æquè me hunc alloquturũ Sunt & mihi ô vir optime, cognati quidã. Neque enim, vt inquit Homerus, ex quercu vel petra, sed ex hominibus natus sum. Itaque & cognatos habeo, ô viri Athenienses, & filios tres, quorũ vnus iam adolescit, duo autẽ sunt paruuli. Nullũ tamen eorũ huc adducã, supplicaturus eo pacto à vobis absolui. Cũrnam igitur nihil horum faciã? Non contumacia vlla, neque contemptu, viri Athenienses, vtrum verò audacter me habeã erga mortẽ, an non, alia ratio est. Ad existimationẽ tamen & mei & vestri & ciuitatis totius non arbitror pertinere, vt hæc faciã hac ætate, & hoc nomine quod nactus sum, siue id verũ sit, siue falsum. Attamen iã opinione hominũ persuasum est, Socratẽ inter multos magnũ quid excellere. Si ergo hi qui inter vos sapientia, vel fortitudine, vel quauis alia virtute præstare existimantur, tales erunt, quales sæpe quosdam cùm de illis iudicaretur vidi, turpe nimirum erit. Qui cùm esse alicuius pretij existimarentur, attamen in iudicio mirũ in modũ cõmiserationi studebant, quasi graue aliquid passuri, si ex hac vita decesserint, perinde ac immortales essent futuri, si vos illos non occidatis. Atqui hi mihi videtur

Odyss. 4.

a *Non est viri magni animi præformidine mortis se ad iudicum pedes demittere ad mouendam commiserationem.*

ciuitati dedecus afferre, propterea quòd existimare peregrinorũ aliquis potest, eos qui inter Athenienses virtute præstant, & in magistratibus cæterisque honoribus superiores habentur, nihil à mulieribus differre. Hæc autẽ, ô viri Athenienses, nec vos qui alicuius autoritatis esse videmini, facere decet, neque etiamsi nos facere velimus, permittere: sed hoc ipsum ostendere, vos eũ multò magis dãnaturos esse, qui cõmiserationes eiusmodi introducens, ridiculã reddiderit ciuitatẽ, quàm illũ qui quietus iudiciũ expectauerit. Proinde, ô viri Athenienses, accedit ad ea quæ de ciuitatis existimatione dicta sunt, quòd nec iustũ mihi videtur esse iudicem precari, neque precando absoluis sed docere atque suadere. = Non enim ad hoc sedet iudex, vt per gratiã concedat, sed vt iudicet secundum leges. Atque id iureiurãdo promisit, se non per gratiã cuicunque libuerit gratificaturũ, sed iudicaturũ secundũ leges. Non igitur licet vel nobis assuefacere vos deierare, vel vobis assuefieri. Neutri enim nostrũ religionẽ seruarẽt. Nolite ergo, ô viri Atheniẽses, exigere talia me apud vos agere, quæ neq; honesta, neq; iusta neq; sancta esse puto, & id qui dẽ omnino, præsertim verò per Iouẽ, cùm impietatis erga deũ à Melito hoc accuser. Profectò si pergerẽ persuadere vobis, precandoque flectere cũ iurauerit, docerẽ vtique vos non putare deos esse, ac reuera dũ pro me defensionẽ paro, meipsum interim accusarẽ quasi deos nequaquã existimantẽ. Sed multùm abest vt ita se res habeat. existimo nanque esse deos, ô viri Athenienses, magis quàm quisquã meorũ accusatorũ, ac vobis deoque permitto de me iudicare, vt & mihi & vobis sit conducturum.

= *Iudicis est haud gratia aliquid condonare reo: sed secundũ leges iudicare.*

Quòd

Quòd verò non grauiter feram, ô viri Athenienſes, me à vobis eſſe damnatũ, & alia multa faciunt, & illud in primis, quod non prẽter ſpẽ id accidit, verũ multò magis admiror vtrorũque numerũ ſuffragiorũ. [a] Siquidẽ non putabam tã pauco calculorũ numero ab abſolutione abeſſe. Nunc autẽ, vt videtur, ſi tres ſolũ calculi aliter cecidiſſent, euadebã. Melitum certè nunc euaſiſſe video, neque euaſiſſe ſolum, ſed vnicuique conſtat, niſi ſurrexiſſent Anytus & Lyco me accuſantes, [b] mille drachmas illũ fuiſſe penſurũ quoniam partem quintã ſuffragiorũ nõ accepiſſet. Capitis igitur vir iſte reũ me facit, eſto. ſed ego, ô viri Athenienſes, cuius me reũ exiſtimẽ? An non videlicet eo quo dignus ſum? Quid ergo? Quidnã dignum eſt pati me aut pendere, ob id quòd quæ didici non ſiluerim, ſed neglexerim quæcunque multi facit vulgus, quęſtũ, rem familiarẽ, imperia, poteſtates, cæteróſq; magiſtratus: præterea vitauerim coniurationes atque ſeditiones quæ in republica contigerunt, arbitratus meipſum reuera ad æquiora officia eſſe natum, quã vt ab his ſaluté meã pendere exiſtimarẽ? Ad hæc, inquã, me nõ contuli, quibus occupatus, neque vobis neque mihi ipſi profuturus eram: ſed vni huic officio duntaxat incubui, vt priuatim me ad vnũquenque veſtrũ applicans, maximã, vt equidẽ exiſtimo, afferrẽ vtilitatẽ, ſuadẽs videlicet vnicuique nihil ex rebus ſuis priuſquã ſeipſũ eſſe curandum, vt quàm optimus prudentiſſimúſque euadat: nec res ciuitatis curandas eſſe prius quã ciuitatẽ ipſam, & aliarum itẽ rerum curã eadem ratione eſſe habendã. Quid igitur cùm ſim talis, à vobis reportare dignus ſumẽ Bonũ certè, ô viri Athenienſes, ſi modò pro di-

[a] *Pauco ſuffragiorũ numero abfuit ab abſolutione Socrates.*

[b] *Qui alium accuſans quẽtam partem ſuffragiorũ non acceperat mille drachmis multabatur Athenis.*

guitate reuera existimetis, ac tale quidē bonū, quale mihi conueniat. Quid igitur cōuenit viro egeno beneficóque, cui vacare à cæteris occupationib. expediat, quò vos ad virtutē cohortari queat? [a] Nullū certè est aliud præmiū, ô viri Athenienses, quod magis virū talē deceat, quàm in Prytaneo publico sumptu nutriri, & multò quidē magis quàm siquis vestrū equo aut bigis, aut quadripis Olympia vicerit. Nā ille quidē facit vt felices videamini, ego verò vt sitis. Præterea ille nutritione non indiget, ego indigeo. Itaque si pro dignitate ac iustitia æstimari oportet, ego me hoc dignū existimo, alimonia scilicet publicè in Prytaneo mihi exhibenda. Fortè verò hæc vobis dicēs, ita proteruus videor, vt in superiorib. visus sum, vbi cōmiserationes, supplicationésque detestabar. id autē haud tale est, sed eiusmodi potius, ô viri Athenienses. Persuasum est enim mihi, vt nemini sponte iniuriā faciā. quod quidē idcirco vobis nō persuadeo, quia breue tēpus habuimus colloquendi. Verū si lex talis apud vos esset qualis apud cæteros, vt vbi mortis pœna sit, in eo iudicio non diē vnā, sed plures disceptetur, vobis, vt arbitror, persuasissem. Nunc verò haud facilè fuit in tā breui tēpore calūnias magnas diluere. Cū igitur mihi persuasum sit nemini faciendā esse iniuriā, permultū abest vt mihi ipsi sim facturus, & dicā quod malo sim dignus, iudicēq; meipsū meritū esse huiusmodi quippiā. Quid ergo? nūquid veritus ne id sub eā quo Melitus me dignum censet, quod equidem aio nescire me vtrū bonū sit, an malū, vt hoc deuitē, eligā eorū aliquid quæ plane mala esse scio, atq; hoc me dignū esse cēsebo? Vtrū ergo vincula? Ecquid oportet me in carcere vitā agere

[a] *Socrates interrogatus quam pœnā æstimationē cōmeruisset, respondit se meruisse vt in Prytaneo aleretur qui erat summus honos Athenis. vide Cic. lib. 1. de oratore.*

agere, perpetuo magistratui[a] Vndecimuiris seruiente? Vt cū pecunias soluere, atq; donec solutæ sint, in vinculis manere? At verò id tantundē est atq; quod supra dicebā, cū mihi desit vnde pecunias persoluā. [b]An fortè exiliū? fortè enim hoc dignus esse cēsebor: nimia tamē, ô viri Athenienses, me cupiditas vitæ tenrret, si adeo imprudēs essē, vt si vos ciues mei cōsuetudinē meā sermonēsq; perferre nō potuistis, sed vsque adeo grauis inuidiosāq; vobis fuit mea cōsuetudo atq; oratio, vt mox liberare vos ab illa iā decreueritis alios tamē facilè me putē toleraturos. Permultū abest, ô viri Atheniēses. Præclara scilicet mihi vita foret in hac ætate exulanti, & aliā ex alia ciuitatē permutanti, & in cōtinua repulsa viuenti. Equidē vt planè intelligo, quocunque proficiscar, audituri me sicut & hîc sequētur adolescentes. ac si eos repellam: ipsi vicissim senioribus id persuadentes me repellēt. Si non repellā, eorū patres & cognati ob hos ipsos me expellent. Forsitan verò dicet aliquis: nōnne potes, ô Socrates, in exilio silentiū & quietē agere? At hoc omniūest difficilimū aliquibus vestrū persuadere. Siue enim respōdero, id esse nō parere Deo, propterēaque me nō posse quiescere: non credetis mihi quasi per ironiam loquenti: siue dixero id homini maximum contingere bonum, diebus, videlicet singulis de virtute verba facere, atque de aliis de quibus me quotidie loquentem vos auditis, atque ita me ipsum aliosque explorare [(vita autem nullo examine explorata non est vitalis homini) hæc inquam si dixero] multō minus mihi credetis. Hæc verò ô viri Athenienses, ita vt dico, se habent, sed haud facilè persuaderi possunt. Er

[a] *Penes Vndecimuiros erat carceris custodia Athenis.*

[b] *Perpetuo carceri & exilio mortē anteponit Socrates.*

simul nũquã malo dignũ ducere me consueui. Quòd si mihi foret pecuniæ, iudiciũ pecuniis liceret quãtuncunq; soluere possem, neque obesset mihi illas amittere. Nunc verò non adsunt, nisi fortè quantũ valeo soluere, tanti æstimare velitis. Possum verò fermè argẽti minã. Tanti ergo iudiciũ æstimo. Plato autẽ hic, ô viri Athenienses, & Crito, & Critobulus, & Apollodorus iubent me triginta minis liceri. Ipsi verò tantæ pecuniæ sponsores erũt, æstimo ergo tãti. prædes verò argẽti huius hi vobis erũt sufficientes. Non multi tẽporis causa, ô viri Athenienses, [in siniſtrum nomen & culpæ inuidiam incurretis apud eos qui volent ciuitatẽ vituperare,] quia scilicet Socratẽ occideritis, virũ sapiẽtẽ. Dicent enim illi, licet nõ sim, me sapientẽ, qui vos vituperare volẽt. Si ergo breue tẽpus expectauissetis, absq; vestra opera mecõ tingebat mori. Videte ætatẽ meã, quàm procul iam sit à vita, morti verò propinqua. Neq; verò hæc aduersus vos omnes dico, sed aduersus eos tantum qui me morte damnarunt. Dico etiam hæc ad hos ipsos. [a] Forsan putatis me viri Athenienses, in iudicio cõcidisse taliũ verborũ inopia, quibus vtiq; persuasissem vobis si omnia faciẽda dicẽdaq; putauissem, quibus à vobis absoluerer. Longè verò se res aliter habet. Certè ob inopiam damnatus sum, non verborum quidem, sed audaciæ atque impudentiæ, & quia talia apud vos dicere nolui, qualia vobis auditu gratissima cõtigissent, audientibus videlicet me deflentem atque lamentantem, & alia faciẽtẽ multa atque dicentẽ vt dixi, me indigna, qualia frequenter ab aliis audire cõsueuistis. Sed neq; ab initio id cẽsui decere ob periculũ deuitandum illiberale aliquid facere neque

[a] *Cur mortẽ noluerit deprecari Socrates.*

neq; nũc me pœnitet hac defensionis ratione vsum fuisse. Malo equidẽ tali quadã defensione fretus mortẽ obire, quàm contraria superstes esse. Neq; enim in iudicio, neque in bello vel mihi vel alteri, omnia quibus vitemus mortẽ, sunt faciẽda. Nã in præliis sæpe cõstat interitũ vitari, si quis abiectis armis supplex ad insequẽtes se cõuertat. Alia quoque in singulis periculis machinaméta sunt, quibus interitũ quis effugiat, siquẽ non pudeat facere quælibet atque dicere. Sed cõsiderate, ô viri Athenienses, [a] haud id quidẽ difficile esse, mortẽ effugere, sed multò difficilius prauitatẽ. Velocius enim illa currit quàm mors. Atqui ego nunc vtpote ob senectutem tardior à tardiori captus sum, ac cusatores autẽ mei vtpote vehemẽtes atq; veloces ab ea quæ velocior est prauitate. Et nũc quidẽ ego abeo damnatus à vobis, mortem subiturus: isti verò à veritate ipsa damnati, prauitati iniustitiaque obnoxij. Atque ego quidem pœnæ acquiesco, & isti. Hæc igitur fortè sic oportebat se habere, arbitrórq; ea habere se mediocriter. [b] Post hæc autem vobis qui me condemnastis, cupio diuinare. Nam illuc mihi iam peruentum est, vbi solent homines diuinare, quãdo videlicet sunt prope mortem. Prædico enim equidẽ vobis, ô viri Athenienses, si me interfeceritis, suppliciũ vobis statim post mortẽ meã esse venturum, ac per Iouem multò durius eo quo me affeceritis. Nunc enim id egistis putãtes liberare vos quo minus rationem vitæ vestræ redarguẽti cuiquã reddere cõpellamini. Id verò cõtrà omnino vobis accidet. Nã plures futuros arbitror, qui vos redarguãt, quos ego compescebam, etsi vos id non sentiebatis: tantóque illi infestiores erunt, quanto

[a] *Haud difficile est inter dũ mortem, præsertim eam quæ in bello & iudicio cõtingit effugere, sed difficile est effugere prauitatem.*

[b] *Præsagium & diuinatio Socratis ante mortem.*

& iuniores,ideóq; vos grauius id feretis.Profectò si putatis per interfectionẽ hominũ à vitu peratione vos absoluere,nimiũ aberratis.Non enim est hæc liberatio vel valida satis, vel honesta.Sed illã tã facillimaquàm optima est,nõ disturbare quidẽ alios,sed seipsum cõparare vt quàm optimus euadat.Hæc ergovobis qui me condemnastis,vaticinatus,finem facio. Vobis autẽ qui me absoluistis,libẽter de huiusmodi re quæ contigit,verba faceré,quãdiu magistratus negotio dẽstinẽtur,necdũ eò vado vbi me oportet moriiSed,ô viri, assistite mihi id tempus.Nihil enim prohibet,Inuicem(dum licet) colloqui.Nẽpe vobis tanquam amicis demonstrare volo quod mihi modò accidit, quídnã significet.Mihi quidem ô iudices,(vos enim iudices rectè appellare possum),mirabile quiddã contigit. Vox enim illa dæmonis vaticinatrix mihi semper in superiore tempore frequẽter omnino offerre se consueuit› & in rebus quidẽ leuissimis se opponés› siquid minus rectè facturus fuissem. Nũc autẽ ea mihi quæ videtis accidere ũt,quę profectò putaret aliquis atque existimaret extrema esse malorũ.Sed mihi neq. domo exeunti›manè dei signũ aduersatũ est,neq;hoc suggestũ in quo causã dico assẽdẽti,neque in aliqua sermonis parte dũ verba faciebã quãuis aliãs frequẽter dũ loqueret in medio sermonis cursu cõsueuerit cohibere. Nũc autẽ in hac re nusquã vel agẽti,vel loquẽti est aduersatũ Quam verò huius rei causam esse putẽ, vobis aperiam. Apparet enim mihi quod cõtigit bonũ esse. Nec rectè vllo modo iudicatur à nobis,quicũque mortẽ opinamur esse malã.Cuius quidẽ rei magna apud me hęc est cõiectura,quòd signũ mihi vt cõsueuit, re-

pu-

pugnauisset, nisi bonum quid actutus fuissem.
a Cogitare autē hoc pacto possumus spē multā esse id esse bonū. Mors enim necesse est sit alte rū e duobus, aut vt sensus omnino mors omnes auferat: aut quemadmodū dicitur, in alīū quēdā locū ex his locis morte migretur. Quā obrē siue sensus extinguitur, mórsq; ei somnō similis est, quī nōnunquā etiā sine visis somniorū, placatissimā quietē affert. dij boni quid lucri est emori? Reor equidem, siquē oporteat ad eā noctē quā tanta tranſigit quiete, vt ne in somniū quidem vllū videret. alias noctes dies que vitæ totius cōferres atque diceres quot ipse noctes atque dies in vita melius dulciúsq. peregerit, reor sinquā, nedum priuatum aliquē, sed nec magnū quidē regē, aliquas numerare posse. Si ergo tale quiddā est mors, lucrū esse equidem dico. Etenim nihil plus hoc pacto tū tempus quàm nox vna esse videtur. Sin vera sunt quæ dicūtur, migrationē esse mortem in eas oras, quas qui è vita excesserunt, incolūt, id multo iam beatius est, tercùm ab iis qui se iudicum numero haberi volunt, euaseris, ad eos venire, qui verè iudices appellantur, b Minoem Rhadamanthū, Æacum, Triptolemum, aliósque quotcunque semidei iustè vixerunt: hæc peregrinatio mediocris vobis videri potest? vt verò colloqui cum Orpheo, Musæo, Hesiodo, Homero liceat quanti tandem æstimatis? Equidem sæpe mori, si fieri posset, vellē, vt ea quæ dico mihi liceret inuenire. Quippe cùm in primis mirificè grata sit futura habitatio illa atque consuetudo, quando quidem vnà cum Palamede futurus sum, & Aiace Telamonis filio, & aliis antiquorū quicūq. circūuēti iudicio decesserunt è vita: apud quos meos

a *Quibus rationibus probet Socrates mortem non esse malam, sed potius bonam. vide Cic. Tusc. 1. vbi totum hunc locum expressit.*

b *Iudices apud inferos qui de hijs de Gorgiā.*

casus cũ illorum casibus cõferre vtrinq;, vt arbitror, non iniucundum foret. Illud præterea maximũ, illic degere scrutantẽ singulos atque examinantem quemadmodum hîc feci, quisnã illorũ sapiens sit, & quis cùm non sit, se tamen existimet sapientem esse. Proinde quanti faciẽdum, ô iudices, tentare summi regis qui maximas copias duxit ad Troiam prudentiam, & Vlyssis Silypphi, multorúmque aliorum quos referri quis potest virorum & mulierum, quibus cũ loqui atque examinando versari, inæstimabilis prorsus felicitas esset. Siquidem huius causa qui illic degunt, haud amplius moriũtur, súntq; illi nobis & in rebus aliis beatiores, & in eo insuper? quod reliquum iam tempus permanẽt immortales, siquidem vera sunt quæ dicuntur. Ne vos quidem, iudices, ij qui me absoluistis, mortẽ timueritis, ídque vnũ cogitate verum esse, a viro videlicet bono nhil mali accidere posse nec viuo, nec mortuo, nec vnquã illius res à diis immortalibus negligi. Nec mihiipsi hoc accidit fortuitò, sed mihi id constat mori iam & à laboribus liberari, mihi melius extitisse. atque hanc ob causam diuinum illud signum mihi non obstitit. Nec verò iis à quibus accusatus sum, aut à quibus condemnatus, habeo quod succenseam, quamuis non ea mente accusauerint me atque damnauerint, sed quia mihi nocere se crediderunt. Ob hoc vtique illis est succensendum. (Sed iam ad eosdem illos reuersus, sic eos alloquor.) Tantum tamẽ vos precor, ô viri, vt meos quoque filios cum adoleuerint, si ipsi similiter atque ego vobis molesti sint, pœnis similiter afficiatis, præsertim si videantur vobis vel pecuniarum, vel alterius cuiusquam rei maiorem quàm virtutis curam

a Viro bononi hil mali vel viuo vel mortuo accidere potest.

eutam habere: atque si videri velint puténtve se alicuius esse pretij, cùm nullius sint, illos obiurgetis quemadmodum ego vos, quòd non illis incumbant quibus est incumbendum, ac existiment cũ nullius pretij sint, se aliquid esse. Quòd si hæc feceritis, iusta à vobis passus fuero egóque & filij. Sed tempus est, iam hinc abire me, vt moriar: vos vt vitam agatis. Vtrum autem sit melius, dij immortales sciunt, hominem quidem scire arbitror neminem.

CRITO, VEL, DE EO QVOD AGENDUM.

Marsilij Ficini Argumentum.

QVemadmodum Apologia: ita Critonis quoque tam ordinata, tã plana dispositio est, vt argumẽto non egeat. Aduerte tamen in primis Socratem sicut in Apologia vigilans vaticinatus est, sic in Critone dormiẽte vaticinari, vt cognoscas sapienti próq; viro deum & vigilanti & dormiẽti semper adesse. Ex omnibus autem collige. Exempla iustitiæ. Incomparabilem fortitudinem. Contemptum mortaliũ. Desiderium æternorum. Religionis denique fundamentũ. Quid memorem, vulgi opinionem contemnendam esse, sapientis duntaxat sententiã, imò veritatem ipsã esse colendam? Quid rursus, non viuere quidem sed bene viuere exoptandum? Item inimicis malefacendũ esse nunquam, neque iniurias vlciscendũ? Rursus & periculum mortis, interitúmque subeundum potius

quàm peccandum? Quid referam obseruantiam legum singularem & inæstimabilem patriæ charitatem? Quam & parentibus & vitæ proculdubio anteponit, ob hanc, vt ipse inquit, rationem quò in alteram profectus vitam, valeat æterno iudici æquam anteactæ vitæ reddere rationem: neque leges quæ illic imperant humanarum legum sonores expauescere cõpellatur. Concludit denique rationes iustitiæ fruentis mentis suæ auribus vsque adeò insonare, vt alia audire non possit, frustráque conaturum, quicunque pergat dissuadere. Addit ea solum via esse pergendum, qua Deus, id est, ratio diuinitus ipsa, perducit.

SOCRATES, CRITO.

QVR hac hora venisti, ô Crito? nónne multum mane etiam est? CRIT. Multùm certè. SOCRAT. Quàm multum tandem? CRIT. Primũ diluculum. SOCRAT. Miror quomodo custos carcetis tibi obtemperare voluerit. CR. Familiaris iam mihi est, ô Socrates, propterea quòd crebrò huc ventitem. præterea beneficij à me nonnihil accepit. SO. Venistíne modo? an dudũ? CR. Satis dudũ. SO. Proinde cur statim nõ me excitasti, sed cũ silẽtio assedisti? CR. Nunquã per Iouẽ, ô Socrates, excitassem. Neque enim ipse tandiu in vigilia & dolore manere vellem. Sed te iamdudũ admiror, cùm aspicio quàm suauiter dormias. Et consultò nõ excitaui te vt quàm placidissimẽ degeres. Equidem tum sæpe, tum verò per omnem vitam anteactam ob tuos mores beatũ te iudicaui, maximè verò in præsenti calamitate, quòd eam tã facilè ac placidè feras. SOCR.

Atqui

Atqui perabsurdum esset,ô Crito, siquis tam grandis natu imminentem mortem molestè ferat. CRIT. Veruntamen,ô Socrates,& alij æquè senes similibus calamitatibus opprimuntur: qui tamen ab ætate non ita iuuantur, quin præsentem fortunam grauiter & molestè ferant. SOCR. Ita est. Sed quorsum adeò manè veniſti? CRIT. Nuncium,ô Socrates, acerbum affero non tibi quidem, vt mihi apparet, sed mihi potius & familiaribus tuis omnibus & acerbum & grauem. Quod equidem, si quicquam aliud, grauiter, vt arbitror, molestéque ferrem. SOCR. Quódnam hoc? An nauis ex Delo iam rediit, qua reducta, mihi est moriendum? CRIT. Nondum rediit quidem, sed mihi hodie reditura videtur ex his quæ renunciant nonnulli è Sunio venientes, qui eam ibi reliquerunt. Constat ergo ex his nunciis, hodie esse venturam, ideóque necessarium fore te cras, ô Socrates, è vita decedere. SOCRAT. Bona, ô Crito, fortuna. Si ita diis placet, ita esto. non tamen existimo illam hodie redituram CR. Vndénam id coniectas? SOCR. Dicam equidem. Postridie enim, aut eo ipso die, quo nauis redierit, mihi est moriendum. CR. Sic vtique aiunt hi, penes quos rei huius potestas est. SOCR. Itaque non hac die venturā puto, sed altera. Coniecturam verò ex somnio quodā accipio, quod paulò antè hac ipsa nocte mihi visum est, opportunéque videris somnum mihi non perturbasse. CRIT. Sed quale id somniū erat? SOCR. Videbatur mihi mulier quędā adueniens, pulchra & aspectu grata, vestes habens candidas, VOCARE me, atque dicere. O Socrat. Tertia hinc die Phthiam Iliad. 9. feruenies pinguem. CRIT. Quam molestum

id insomnium, Socrates? SOCR. Manifestum tamen, vt mihi videtur, ô Crito. CRI. Manifestum certè. Sed, ô beate Socrates, nunc iam etiam mihi credito, téque seruato. Mihi enim, si tu obieris, [nulla *amplius poterit accidere calamitas] nam præter id quod te orbatus fuero tali necessario, qualem alterum nunquam reperiam, videbor vtique multis qui neutrum nostrum satis nouerint, cùm potuissem te seruare, si pecunias impendere voluissem, id neglexisse. Atqui quænam existimatio turpior possit accidere, quàm videri pluris fecisse pecunias quàm amicos? Non enim poterit persuaderi compluribus, te hinc abire noluisse, nobis quò id ageres omni studio contendentibus. SOC. Quid verò à nobis, ô beate Crito, tanti vulgi opinio æstimatur? Probatissimi enim viri, quorum magis habenda ratio est, hæc ita gesta esse vt gesta sunt, arbitrabuntur. CRI. [a]Attamen vides, ô Socrates, necesse esse opinionem quoque vulgi curare. Præsentia enim hæc declarant, posse vulgus non minima mala, imò ferè maxima, si quis in populo calumniis prematur, inferre. SOC. Vtinam, ô Crito, posset vulgus maxima inferre mala, vt vicissim maxima posset bona. & bene quidem se res haberet, [b]neutrum verò potest, quippe cũ neque prudentem, neque imprudentem efficere valeat. Faciunt verò quodcunque fors obtulerit. CR. Hæc quidem ita se habeant. Ad id verò Socrates mihi respondes, num fortè mei cæterorúmque necessariorum tuorum respectus te retinet, ne si hinc euaseris, calumniatores nos posteà vexent, quasi te hinc furati fuerimus: cogamúrque vel vniuersas facultates, vel pecunias quamplurimas amittere, vel præter hęc aliud

* Quicquid enim posthac acciderit id mihi præhoc leue erit.

a An vulgi opinio sit negligenda.

b Maximũ, quod homini contingere potest bonũ, est sapientia, maximum malũ insipientia.

aliud quippiam pati. Si quid tale times, solicitudinem istam valere iube. Iustum namque est, nos tuæ salutis gratia non hoc solum, verumetiam, si oportuerit, maius aliud subire periculum. Verum mihi obtempera neque aliter facias. SOC. Et hæc equidem & alia multa, ô Crito, considero. CR. Ne igitur hæc vereare. Neque enim multum est argentum quod postulant hi qui seruare te atque hinc educere pollicentur. Vides præterea quàm tenues sint calumniatores tui, vt non magna ad deos placandos largitione sit opus. Tibi verò pecuniæ adsunt meæ, ad hoc, vt opinor, sufficientes. Proinde si quo mei respectu adductus non putas meas pecunias erogandas, adsunt hospites hi parati persoluere, quorum vnus etiam huc attulit sufficientem pecuniam, ad hoc ipsum paratam, [a]Simmias Thebanus. Ad hoc ipsum promptus est & Cebes, aliíque permulti. Quãobrem, vt modò dicebam, nihil tale metuas, quò minus serues teipsum. Sed neque etiam illud quod in iudicio dixisti te remoretur, si hac vrbe exires, quò teipsum verteres te minimè habiturum. Aliis enim multis in locis quocunque profectus fueris, te homines colent: ac si velis in Thessaliam te conferre, reperies illic hospites meos, qui te plurimi facient tutúmque præsidio suo adeò reddent, vt nemo in Thessalia tibi sit molestiam exhibiturus. Accedit ad hæc, ô Socrates quod rem minimè iustam aggredi videris, si cùm saluus esse possis, teipsum prodas, taliáque tibi euenire studeas, qualia inimici ipsi tui molirentur & moliti sunt, te perdere cupientes. Præterea filios quoque tuos prodere mihi videris, quos cum liceat tibi educare atque erudire, deseres,

[a] *Simmias Thebanus & Cebes amici Socratis parati vnà cum Critone ingẽti pecunia Socratẽ redimere, si is voluisset.*

omnino ,& quantum in te est, eorum mores fortunæ committis. Accident verò eis verisimiliter,qualia euenire orphanis consueuerũt. Profectò oportebat non genuisse filios: aut in eis educandis erudiendísque laborem non recusare.Tu verò mihi videris quæ elegisset vir segnis ac piger,nũc elegisse, decebat aũt cõtrà quę vir bonus fortísque elegisset: prę sertim te per omnẽ vitam virtutis studiũ profitentem. Itaque non possum tui & nostri qui tui familiares sumus non erubescere, veritus ne tota hęc res tua ignauia quadã nostra sic tractata fuisse videatur. Et primùm quidem ille tuus eiusmodi in iudicium ingressus, cũ liceret nõ ingredi,deinde concertatio ipsa iudicij ad hũc modum acta,& extremus hic finis, tanquã ridiculum quiddam propter vitiositatem segnitiémque nostram effugisse nos videtur, quod nec nos te seruauerimus,neq; tu ipse te,cùm id fieri absque magna difficultate potuerit, si vel tantillum tibi vlui & adiumento aliquo fuissemus. Hæc igitur,ô Socrates, considera, ne præterquam quòd mala sunt, etiam dedecori tibi nobísque sint:sed tibi consule. Imò verò non iam amplius consulendi tempus,sed consultum iam esse oportuit. Vnicum verò consilium est, videlicet hac nocte proxima cũcta hæc facta esse oportere.Sin autem diutius tardauerimus nihil omnino fieri vlteri⁹ poterit. Quamobrem omnino mihi habe fidem, ô Socrates,nec vllo modo aliter facias. SO. O amice Crito,studium hoc tuum permulti faciendũ esset,si qua ratione recta susceptum esset. Sin minus,quantò vehementius est, tantò molestius. Considerandum est igitur,agendáne hęc nobis sint,an non.Nam ego is sum non modò

nunc

nunc sed & semper, qui meorū nulli paream, præterquam rationi, quæ ratiocinanti mihi optima videatur. Rationes itaque illas quibus superioribus tēporib. vsus sum, nec nunc quidem postquam in hanc fortunā incidi, reiicere possum, sed similes mihi fermè appārēt, easdemque in præsentia quas & prius, veneror atque honoro: adeò vt nisi nunc meliores afferre possimus, planè scire debeas me tibi non concessurum: non si etiā pluta quā nunc multitudinis potentia comminata nos tanquam pueros larvali terribilique facie perterrere conetur, vincula & mortē, tū præterea priuationem pecuniarū, intentans. CR. Quānam igitur ratione cōmoda ista considerare possimus? SO. Hæc vtique, si id quod tu de opinionibus paulò antè dicebas, resumamus: vtrū semper rectè se habeat nēcne, oportere scilicet quarundam opinionum rationem habere, quarundā verò minimè. An fortè priusquam me mori oporteret, rectè id dicebatur: nunc verò constat frustrà disputationis gratia ita dictum fuisse, cū reuera iocus quidam ac nugæ esset. Cupio equidem, ō Crito, vnà tecum considerare, num sermo ille prior alius appareat mihi nunc in hac fortuna constituto, an prorsus idem qui & prius: atque vtrū dimittēdus sit à nobis vel ipsi obtemperandum. Dicebatur autem, vt opinor, semper sic ab iis qui se aliquid dicere existimabant, vt nunc quidem ego dicebam: nempe, hominum opiniones partim plurimi faciendas ac sequendas, partim verò minimè. Hoc, per Deos, ō Crito nōnne tibi rectè dici videtur? Tu enim, vt fert hominū conditio, abes [ab eo] vt crastino die mori debeas: [ita vt te perturbare nō possit] præsens calamitas. Cōsidera igitur an nō sufficienter tibi dici videatur,

non oportere omnes opiniones hominum sequi,sed alias quidem sequi,alias verò negligere,neque omnium quidem,sed quorundam,aliorum verò minimè? Quid ergo dicis? hæc non rectè dicuntur. CR. Rectè SO. An non bonas honorare decet,malas verò contemnere? CR. Ita decet. SO. Bonæ autem nónne prudentum? Malè contrà sunt imprudentum? CRIT. Quídni? SO. Age verò,quónam modo rursus talia dicebantur? Qui in gymnasiis se exercet eáque in re operam collocat,vtrum cuiuslibet hominis laudi & vituperationi & opinioni attendit, an illius tantùm qui medicus sit aut gymnasij magister? CR. Huius solius. SO. An non timere decet vituperationes, & optare laudes illius vnius potius quàm multorum? CR. Proculdubio. SO. Hac itaque ratione ille agere séque exercere debet, atque etiam edere & bibere,quæ illi vnico videantur qui præsideat intelligátque, potius quàm vt videtur vulgo. CR. Vera hæc sunt. SO. Quid verò si illi vni nõ pareat,opinionémq; eius & cõmẽdationes,nihil pẽdat,honoret verò vulgi ignorãtiúmq;cõmendationes,nũ à malo tutus erit? CR. Minimè. SO. Quale autem est id malum, & quónam tendit & in quam non obedientis partem? CR. In corpus videlicet,hoc enim corrumpit. SO. Rectè dicis. Nónne & de aliis,ô Crito, ferè omnia percurramus eadem ratio est? De iustis iniustísque, de turpibus & honestis,bonísque & malis,de quibus in præsentia nobis consultatio est,vtrùm multorum opinionem sequi vererique debeamus, an vnius potius qui intelligat, quem decet & vereri & timere magis quàm cunctos alios? Cui nisi obtemperauerimus, lædemus & corrum-

pemus

pemus id quod iusto quidem melius fieri, iniusto autem corrumpi soleat. An nihil id est? CR. Id quidem, ô Socrates, arbitror. SO. Age verò, si id quod à salubri quidem fit melius, ab insalubri verò corrumpitur, corruperimus, peritorum non sequuti iudicia, an nobis eo destructo viuendum erit? Est autem id corpus, nónne? CR. Idipsum. SOC. An ergo viuendum nobis cum vitioso corpore atque corrupto? CR. Nullo modo. SO. An fortè cum illo viuendum est nobis corrupto, quod iniusto quidem lædituriusto verò iuuatur? an verò vilius illud, quàm corpus existimamus, quicquid illud est è nostris, circa quod iustitia iniustiáque versatur? CR. Nullo modo. SOC. Sed pretiosius? CR. Valdè. SO. Non igitur, ô vir optime, admodum nobis curandum est, quid de nobis multi loquantur, sed quid dicat is vnus qui intelligit iusta & iniusta, atque ipsa veritas. a Quamobrem primò quidem non rectè adduxisti, opinionem vulgi de rebus iustis & honestis & bonis earúmque contrariis esse alicuius mométi. At verò dicet aliquis, potéstne vulgus nos interficere? hoc vtique manifestum est. CR. Nimirum id dici potest, ô Socrates. SO. Vera loqueris. Sed, ô admirabilis, hæc ratio quam percurrimus, superiori similis esse videtur. atque hanc rursus considera, vtrùm nobis maneat nécne, videlicet, non multi faciendum esse viuere. sed benè viuere. CR. Manet quidem. SO. Sed hoc quoque manétne? bene & honestè & iustè viuere idem esse? CRI. Manet. SOC. Igitur ex his quæ confessi sumus, hoc considerandum, vtrùm iustum sit conari me hinc exire Athenienſibus non dimittentibus, vel iniustum: ac si appareat iustum esse,

a *Vulgi opinio in rebus iustis vel iniustis nullius est ducenda sed insolasapientum opinione acquiescendum.*

tentemus: si minus, omittamus. Quas verò tu affers considerationes de pecuniarum sumptu, de vulgari opinione, de filiis educandis, cauendum est, ô Crito, ne considerationes reuera horum multorum sint, qui facilè interficiant, & si possint ad vitam reducant, & id quidem absque vlla ratione. Nobis verò quãdoquidem sic exigit ratio, nihil aliud attendẽdum est, quàm quomodo diccbamus, vtrùm agemus iusta pecunias largiendo, gratiámque habendo his qui me hinc educent: vtrùm inquam, in hoc agamus iusta nos quidem educti, illi verò educentes, an potius reuera in his omnibus agendis agamus iniustè: atque si appareat nos iniquè agere, ne cogitandum quidem id est, sed manuetè subire decet & mortem, & quoduis aliud supplicium prius quàm quicquam agamus inique. CRI. Rectè loqui videris Socrates. Considera tamen quid agamus. SOC. Considerabimus ô bone vir, vnà. Ac si qua in parte me dicentem redarguere poteris, redargue. Ego enim assentiar. Sin minus, desine quæso, ô vir beate, iam toties eadem verba repetere: oportere scilicet me hinc Athenicnsibus inuitis abire. Equidem multi facio persuasum abs te hæc agere, non autem inuitum. Attende itaque vtrum considerationis initium tibi satis commodè dictum sit, conaréque quod rogatus sis ita respondere, vt maximè censeas respondendum. CRIT Conabor equidem. SOCRAT. Dicimúsne nullo modo sponte esse iniuriam faciendam, an fortè quodam pacto iniuria facienda est, quodam verò nequaquam? an nullo modo vel bonum est, vel honestum iniuriam facere, quemadmodum superiori tempore sæpe confessi sumus? quod

quod quidé & nuper est confirmatũ. An fortè omnes illæ superiores consensiones nostræ in paucis his diebus prorsus euanuerunt, ac iamdiu nos tam grandes natu homines, ô Crito, támque studiosè inter nos differentes latuit nihil à pueris nos differre? An potius sic prorsus res se habet, vt iamdiu dicebamus siue affirmet id multitudo, siue neget, & siue grauiora præsentibus, siue leuiora subire cogamur? Attamen iniuriam facere, omnino malum turpéque esse fatemur illi ipsi qui facit, an non? CRIT. Fatemur certè. SOCRAT. Nullo igitur modo iniuria facienda est? CRITO. Nullo quidem. SOCRATES. Neque si iniuriam passus fueris, vlciscendum, vt vulgus putat. siquidem nullo modo iniuria facienda est. CRIT. Ita videtur. SOCRAT. Quid verò? mala alicui facere decet, ô Crito, an non? CRIT. Non certè, ô Socrates. SOCRA. [a] Quid autem, qui mala patitur, si mala vicissim referret illi qui intulit, iustúmne id esset vt vulgus ait, an iniustum? CRIT. Iniustum. SOCR. Nempe mala inferre hominibus non discrepat ab iniuria. CRIT. Verè loqueris SOC. Neque igitur vlciscì decet, neque malefacere cuiquam hominum, quodcunque ab aliis ipse passus fueris Et vide, ô Crito, ne quid dum hæc concedis, præter sententiam tuam nobis assentiare. Perpaucis enim scio, sic vel apparet vel apparebit. At verò quibus sic apparet, & quibus aliter, his non est communis deliberatio, sed necesse est eos cùm vltro citróque consilia sua respiciunt, inuicem se despicere. Animaduerte igitur & tu diligenter, vtrùm tibi mihíque communis sit hæc opinio, mecúmq; sentias atque vtrùm ab hoc

[a] *Iniustũ est mala vicissim referre ei qui intulit.*

principio exorsi deliberemus,quasi nunquam rectum sit vel iniuriam facere vel vlcisci iniuriam, vel malo affectum malum referre in eum qui intulit. An hic discetis à nobis, in hoc principio non consentiens? Mihi quidem & iamdiu & nunc ita videtur. Quod si tibi apparet aliter,dic & doce.Sin autem in superioribus permanes.iam quid sequatur audi. CR. Consentio equidem & permaneo. dic igitur. SOC.Dico ergo deinceps,imò potius interrogo,vtrum quæ quis confiteatur alicui iusta esse,facere debeat,an fallere? CR.Facere. SOC.Ex his iam ita considera: si nos hinc abeamus præter ciuitatis consensum, vtrùm malè aliquibus faciemus & his quidem quibus minime decet, vel non: & vtrùm in his permanemus quæ iniusta esse consensimus,vel contrà? CR.Nequeo equidē,ô Socrates,ad hæc respõdere. Neque enim intelligo. SOC. Verùm ita considera,perinde ac si volentibus nobis hinc siue aufugere, siue quomodocunque hoc vocandum est veniant leges, ciuitatisque huius respublica, & instantes sic interrogent: Dic nobis,ô Socrates,quidnam cogitas facere? An non intelligis hac re quam aggrederis, te nobis legibus,totique ciuitati,quantum in te est, interitum machinari? An putas ciuitatem vllam amplius stare posse, ac non subuerti,in qua iudicia publica nullam vim habeant, sed à priuatis hominibus irrita fiant,atque rescindantur?Quid ergo dicemus ad hæc,ô Crito, aliáque huiusmodi?Permulta enim in hanc sententiam afferre quis potest, præsertim orator pro lege ita violata declamans, quæ quidem sententias publico iudicio latas iubet ratas esse.An respondebimus illis ciuitatem non re-

ctè iudicando nobis iniuriam intuliſſe? Itáne an aliter? CR. Ita per Iouem, ô Socrates. SO. At enim leges ipſæ ſic reſponderent: O Socrates, nónne nobis tecum id conuenit, ſtandũ tibi eſſe iudiciis, quæ ciuitas tulerit? Quòd ſi leges ita loquentes admiraremur, forte dicerent: [a] Noli Socrates quæ modò diximus admirari: imò reſponde, cùm tibi & interrogare & reſpondere ſit conſuetũ. Dic age, quídnã in nobis ciuitatéque accuſas, quòd diſſoluere nos contendas? Principiò, nónne te genuimus? atque per nos pater tuus matrem accepit tuam, & produxit te? Dic ergo, an has inter nos leges quæ ſunt circa coniugia improbes, atque his aliqua in parte quaſi minus rectis ſuccenſeas? Nihil ſuccenſeo, dicerẽ. Sed an his legibus quæ educationi eruditioníque natorum prouident, in qua ipſe quoque eruditus es? an non rectè diſpoſuerunt hæ leges ad hoc officiũ conditæ, cùm iuberent patrẽ tuum in muſica te & gymnaſtica erudire? Rectè diſpoſuiſſe concederem. Age ergo poſtquam per nos genitus es educatúſque ac eruditus, primò quidem, nũ potes negare, te noſtrũ eſſe & natum & ſeruum, ipſúmque te & progenitores? Deinde cùm id ita ſe habeat, an putas ius ex æquo tibi atque nobis eſſe, & quæ nos tibi facere aggrediamur, eadem viciſſim in nos abs te referri iuſtum eſſe iudicas? [b] An cùm nec ad patrem, nec ad dominũ ſi eum habeas, tibi ius ex æquo ſit, vt quæ ab illis patiare in eos referre poſſis, neque ſi iurgio hi te laceſſant, contra iurgare, neque ſi te verberẽt, viciſſim verberare, neque alia eiuſmodi in eos tẽtare liceat: contra patriam verò ac leges tibi licebit? Adeò vt ſi nos iudicantes id eſſe iuſtũ,

[a] *Non eſt priuati leges publicas ciuitatu infringere.*

[b] *Nõ eſt ius ex æquo inter patrẽ & liberos, inter dominũ & ſeruum.*

interficere te velimus, tu vicissim nos leges & patriam pro viribus conetris perdere, dicásque te hæc agendo iusta facere, qui virtutis curam reuera habere pronteris. [a] An sic es sapiens, vt te latuerit & patri & matri & progenitoribus omnibus patriam esse anteponendam? atque esse venerabilius quiddam sanctiúsque? & superiore loco; tum apud deos, tum apud homines mentis compotes esse patriam collocandam, coleréque eam oportere magis, eíque obedire, tum auté asperius ac durius se gerenti obsequentiorem esse quàm patri: & siquid iubeat, vel dissuadere illi, vel facere, & patientissimè sustinere quicquid iusserit patiendum? ac siue mandauerit verberari te, siue in vincula coniici, siue in prælium miserit ad vulnera excipienda mortémque subeundã, obediendũ est omnino. Ius enim ita dictat, & neque tergiuersandum, neque fugiendum, neque ordinem deserendum. Sed & in bello, & in iudicio, & prorsus vbique, ea sunt, quæ respublica patriáque iusserit, facienda: aut certè illi persuadere ac monstrare, quatenus illud quod imperat iustum sit. Vi autem vti nefas est, vel contra matrem vel contra patrem, maximè verò omnium contra patriam. Quídnam ad hæc dicemus Crito, verâne loqui leges, an contrà? CRI. Mihi quidem videtur. SOCR. Proinde leges fortasse dicent, Animaduerte ô Socrates, vtrùm verè dicamus, te iniusta contra nos aggredi. Nos enim quæ te genuimus, educauimus, instituimus, participes bonorum omniũ quoad eius facere potuimus, & te & alios ciues omnes effecimus: tamen permittimus cuilibet Athenienſium cognitis iam ac probatis ciuitatis moribus, legibúsque, & Reipublicæ guber-

[a] *Patria parentibus anteponenda est.*

gubernandæ forma, si cui non placeamus, acceptis suis quocunque placuerit abire. Nec vlla ex nobis legibus impedit aut prohibet, siue quis vestrum, cui nos ciuitásque minimè placeamus, in coloniam aliquâ velit discedere, siue habitationem aliò transferre, quo minus id pro arbitrio faciat, secúmque sua perferat. [a] At verò quicunque ex vobis, postquam cognouerit quemadmodum nos iudicia exercemus, & in cæteris omnibus regimus ciuitatem, permanserit, hunc iam assueramus te ipsa conuenisse nobiscum, quæcunque iusserimus, se facturum. Atque eum qui non paruerit, tripliciter iniuriam facere affirmamus, & quòd genitricibus nobis non obtemperat, & quòd nutricibus non obsequitur, & quòd pactus nobis obedire, neque obedit, neque persuadere nobis studet, si quid minus rectè facere videamur. Cúmque præcepta nostra liberè proponamus, neque mandemus rigidè, sed permittamus alterũ è duobus, aut verbis persuaderi nobis, aut mandata explere, horum neutrum facit. His ergo criminibus te, ô Socrates, obnoxium iudicamus fore, si, quæ cogitas, feceris: neque id quidẽ minus quàm cæteros Athenienses, sed maximè omniũ. Ac si causam requiram ob quam præ cæteris sim obnoxius, fortasse iustè me remorderent, dicentes me maximè omnium Athenienſium ciuitatis legibus consensisse. sic enim dicerent: Magna nobis, ô Socrates, horum sunt argumenta, tibi nos ciuitatémque placuisse. Nunquâ enim maximè omnium Athenienſium eam habitasses, nisi tibi mirificè placuisset. [b] Itaque nec spectaculi gratia, vlbe vnquam egressus es, nisi semel in Isthmum, nec aliò vlquam nisi in militiam,

[a] *Quicunque leges ciuitatis probauit, ijs debet parere.*

[b] *Socrates non est peregrinatus.*

neque aliâ fecisti peregrinationem vnquam, quemadmodum cæteri solent, neque alterius ciuitatis te cepit cupiditas aliarúmve legũ cognoscendarum: sed nos tibi noſtráque ciuitas satis fuimus, vsque adeò vehementer probasti nos, noſtríſque moribus victurum te consensisti. tum verò vt alia omittamus, & filios in ea procreasti, vtpote quæ tibi placuerit. Quinetiam licebat tibi in ipso iudicio exilio multari si voluisses, atque quod nunc inuita ciuitate aggrederis, tunc ea volente facere. Tu verò verbis tunc te extulisti, quasi non grauiter ferres si mori te oporteret. Quinimò mortem ipsam, vt dicebas, potius quàm exilium elegisti. Nunc verò nec verba illa tua erubescis, neque nos leges vereris, sed nobis interitum machinaris. Facis autem quod deterrimus seruus faceret, fugam arripere tentans contra pactiones conuentionésque, in quibus conuenisti nobiscum noſtris te præbens institutis gubernandum. Primùm igitur hoc ipsum respõde nobis, num verè dicamus affirmando te nó verbis, sed reipsa consensisse, vt moribus noſtris guberneris? An non vera hæc sunt? Quid ad hæc dicemus Crito, an non confitebimur? CRIT. Necesse est, ô Socrates. SOC. Quid igitur (leges inquient) aliud, quàm conuenta nobiscum & pacta transgrederis? quæ neq; coactus es nobiscum inire, neque deceptus, neque ad breue tempus deliberare es compulsus, sed annos septuaginta: quo in tempore tibi licuit abire, nisi placuissemus, conuentionésque iustæ tibi visæ fuissent. Tu verò nec Lacedæmonem, neque Cretam nobis antepoſuisti, quas ipse vrbes assiduè prædicas rectè gubernari, neque aliam vllam, vel Græcarum

tum ciuitatum, vel Barbaratum. Imò ex hac tarius peregrinatus es quàm claudi & cæci mancíque alii. Vſqueadeò tibi præ cæteris Athenienſibus ciuitas placuit, atque nos videlicet leges. Cui enim placere poteſt ciuitas, cuius non placeant leges? Nunc verò non permanes in his in quibus iamdiu nobis tibíque conuenit. Quòd ſi nobis credideris, non committes, vt te ex vrbe egredientem omnes derideant. Conſidera rurſus ſi hæc tranſgreſſus fueris, & quid eorum peccaueris, ad quid tandem id vel tibi, vel neceſſariis tuis conducet. Propemodum enim certum eſt in periculo neceſſarios tuos fore, ne ipſi quoque in exilium expellantur priuentúrque ciuitate, & patrimonio ſuo ſpolientur. Tu autem ſi quam in ciuitatem finitimam te contuleris, vel Thebas, vel Megaras (vtræque enim rectè gubernantur) hoſtis primùm reipublicæ illarum accedes: & omnes quibus curæ eſt patria, aſpicient limis te oculis, corruptorem legum exiſtimantes. Et ſuam iudicibus opinionem confirmabis, vt rectè contra te tuliſſe ſententiam videantur. Quiſquis enim corruptor eſt legum, is potiſſimùm & iuuenum & imperitorum hominum videbitur eſſe corruptor. Quid ergo? ciuitatéſne quæ rectè gubernantur, & modeſtiſſimos quoſque homines vitabis? Atqui ſi id feceris, [vtrum tibi conſentaneum erit viuere?] an forte impudenter te his admiſcebis, nec erubeſces de eiſdem apud eos diſſerere, de quibus apud nos conſueuiſti? virtutem videlicet & iuſtitiam, legéſque, & inſtituta legum plurimi eſſe exiſtimanda? neque putas indecorum, nimiumq; honeſtum Socrates factū viſum iri.

Proculdubio putandum est. Fortasse verò has ciuitates declinans in Thessaliam ad Critonis hospites abibis. Illic enim inordinatè admodum & intemperanter viuitur. Ac forsan libenter illi te audient, narrantem quemadmodum è carcere ridiculè fugeris, [nouo quodã vestitu pelléue aliqua circumuolutus, aut alio quopiam modo commutata veste indutus, vt solent se componere, qui se in fugã coniiciunt.] An verò neminem dicturum putas, quemadmodum vir senex paruo admodum tempore, vt verisimile est, victurus, ausus fueris ob viuendi cupiditatem in tam sordida inopia viuere, maximas transgressus leges? Sanè quidé fortasse: si modò neminem offenderis. Alioquin multa, ô Socrates, atque indigna te audies. Viues autem obnoxius cunctis hominibus atque deseruiens. Quid verò facies in Thessalia? Cõuiuiáne frequentabis? vt pote qui in Thessaliâ quasi ad cœnam aliquam aduentaueris. Disputationes verò illæ de iustitia, cæteríque virtutibus vbínam nobis erunt? Enimuerò filiorum gratia viuere cupis, vt nutrias eos atque erudias. An ergo in Thessaliam eos perduces, vt illic nutrias eos, atque erudias, hospites eos efficiens, vt hoc insuper commodi abs te reportent? An id quidem non facias, hîc verò relicti melius te viuo alentur, atque erudientur à necessariis tuis te absente? Vtrũ verò si in Thessaliam abibis tui id curabunt: sin autem in alteram transibis vitam, non curabunt? Profectò si quid opis est in his qui aiunt se tuos necessarios esse, credendum est curaturos. Cæterùm, ô Socrates, fidem nobis habens nutricibus tuis, neque filios tuos, neque vitam, neq; aliud quicquam pluris facias quàm iustitiam:

vt

vt cùm in vitam alteram transmigraueris, valeas illic præsidibus horum omnium reddere rationem. Nempe si leges transgressus hęc feceris, neque melius neque iustius, neque sanctius id vel tibi continget, vel tuis, neque illuc tibi profecto conduceret. Quin potius iniuriã passus abibis, si abieris, non à nobis quidem legibus, sed ab hominibus. Verùm si adeò turpiter aufugeris, etiam iniurias malãque referens, conuentiones nobiscum initas & promissa transgressus, atque lædens eos quos minimè oportebat, teipsum scilicet & amicos & patriã, nósque leges, nos vtique & viuenti tibi infensæ hic erimus, & in altera vita leges, quæ illic sunt nostrę sorores, haudquaquam te benignè recipient, scientes te nos pro viribus disperdere conatum fuisse. Quamobrem, ne Crito aliter tibi quàm nos persuadeat, caueto. Hæc equidem, ô dulcis amice Crito, audire videor, quemadmodum Corybantes tibias audire se putant. Atque in me sermonum eiusmodi sonitus adeò reboat, vt alia audire non possim. Vides quæ in præsentia mihi videntur: quibus siquid contradicere aggrediaris frustra conaberis. Veruntamen siquid te profecturum confidis, dicas. CR. Ego verò quod dicam, ô Socrates, nihil habeo. SOCRA. Desine ergo Crito, & pergamus hâc, quãdoquidem hâc nos Deus ipse ducit.

PHÆDO, VEL, DE ANIMI IMMORtalitate, vel, de anima.

Marsilij Ficini Argumentum.

HVius Phædonis deinceps argumentum passu, imò saltu celeri percurremus. Eius enim mysteria satis in theologia exposuisse videmur. Vnum hoc in primis admonebimus, ne quis admiretur Socratem inter argumentationes ad immortalitatẽ animæ pertinentes, prætermisisse hic illã qua sola confidit in Phædro. Animam scilicet esse principiũ motionu, vnde fe quatur eã per se perpetuóque moueri semperq; viuere. Id enim ideò factum est à Socrate, quoniã eiusmodi ratio non solùm nostris, sed cœlestib. etiã, atque dæmonicis animis est cõmunis. In Phædone verò rationes nobis magis propriæ requiruntur. Sed iam ad dispositionem dialogi breuissimã veniamus. Principiò obseruandum est, quã mirificè Socrates consoletur amicos, qui eo præcipuè die quo venenum bibiturus erat, in carcere, quasi consolaturi eum salutauerunt. Deinde quàm religiosè obseruet, vel somniorũ præcepta quasi quædam oracula: & quàm in eo apprimè cautus sit, ne minimũ quid circa diuina mandata delinquat. Tertiò memoriæ mandandũ est, homines sub assidua Dei esse custodia, neque licere nisi quãdo Deus voluerit, hinc emigrare. Quartò aduertendũ est diligenter quid sibi velit, vbi ait sperare quidẽ se in obitu ad bonos viros, deosque alios bonos iturum: sed magis affirmare ad bonos deos quàm ad

bonos

bonos viros iturum. Primò quidem quòd dicit deos alios atque valde bonos, intelligit præter sphærarum animas esse mentes angelicas sphæris sublimiores. In quarum familiaritatẽ animas quoque nostras quandoque admitti posse sperat: neque tamen audet asserere, propterea quòd plerisque sapientib. videbatur satis fore animæ fælicũ, si ad consortium animarũ cœlestium quandoque recipiatur. Imo verò dubitatio propriè super eam partem cadit, quæ bonos appellat viros. Non enim audet deinde hominũ animas affirmare eadem ratione bonos, qua deo dixerat bonos. Post hæc seipsum simul amicósque sub persona philosophantis cõsolaturus, ait: Cùm totum philosophantis studium sit quadã à corpore separatio per eamq; perficiatur quotidie, nimirum separationẽ à corpore quæ fit per mortem, non modò non timere debet, sed optima cum spe lætitiáque expectare. Mox duobus modis ostendit philosophũ à corpore animum separare. Primò quidẽ à perturbationib. per moralis disciplinæ purgationem, deinde à sensib. atque ipsa imaginatione per contemplationis ipsius intentionẽ. Medici sapientes duplici vtuntur purgatione. Prima quidẽ leniendo. Secunda verò soluendo: scientes neque satis esse lenire, neque tutũ soluere antequàm lenias. Similiter apud philosophos moralis antecedit purgatio, quasi leniens, non enim interiores imaginationis morbos, id est, deceptiones extirpat. Sequitur purgatio speculatrix imaginationis quandoque pro virib. discutiens nebulas. Ante verò moralem purgationẽ aggredi speculationis officium non est tutum, nequis vitiorum morbis infectus ipso speculationis acumine abutatur ad iniustitiam impietatémque defendendam. Ex his concludit philosophum mentis aciem quatenus à corporeis segregat, eatenus incorporeis rationib. idéisque coniungere. Sed quum multa quæ à corpore animo inferuntur incommoda numerasset, subiunxit

extremum maximumq; malorum esse fallaciam illã, qua imaginatio mentem ad incorporea se eleuan ẽ, enterim ad imagines quasdã corporum sapissimè distrahit: cogitq; ipsa modo quodam corporeo cogitare. Post hæc & ex eo quòd animus ipsam separatarum rerum veritatem quam naturaliter appetit, corpori coniunctus assequi nequit: per disiunctionẽ infert, aut nunquam assequi, aut post mortem. Nunquam verò assequi non est consentaneum: quippe quum ab omni mẽte perpetuò appetatur. Proinde improbat illos qui temperantiam esse putant abstinere a minorib. corporis voluptatib. vt maiores deinde voluptates corporis consequantur. Rursus qui fortitudinem definiunt, superare timores quosdã eorum timorum gratia qui nos iam superauerint. Vult enim omne moralu virtutis officium in quadam animi purgatione versari sapientiæ gratia. Alioquin nullam esse virtutẽ. Imò verò humanam quoque sapientiã nominat purificationem quãdam, perinde quasi existimet nihil aliud sapientiæ nostræ meditatione nos consequi, quàm puritatem quandam, quam mox illuminatio diuina sequatur, quæ proprièsapientia sit. Significat præterea non tam habitum aliquem nostris laboribus acquisitum, quàm purificationem ipsam nos Deo coniungere. Hinc actu immortalitatem animæ probaturus ait, ex vno contrariorum genere in alterum progressionem fieri atque vicissim regressionem. Ideóque sicut ex viuentibus fiunt mortui, sic ex mortuis viuentes quandoque resurgere. Vbi videtur mortuorum resurrectionem vaticinari, quam & in Politico comprobat. Præterea per longas ambages innuere, sicut & substantia cœli & elementorum materia infinitè de dispositione alia vicissim pertransit in aliam: sic & animam rationalem, quæ principium motus & vitæ generationisque est, posse infinitè coniungi corpori vicissimque separari. Siquidem & multæ natu-

ra substantiæ diuturna vicissitudine qualitates mutant, & vbique virtute animæ fit circuitus sempiternus. In sequentib. tandem ingenti quadam fiducia resurrectionem, quam innuerat, asserit. Aggreditur deinde rationem de reminiscentia, idem quod & paulò antè probantem, animam & ante corpus viuere, & post corpus. Tu verò eiusmodi rationes esse intellige Pythagoricas. Atq; ex illis quod ad veritatem magu conducat, eligito. Ait ergo si disciplina reminiscentia est, vixerunt animæ ante corpus. Reminiscentiam verò esse, duobus præsertim probat modis. Primò quia rectè interrogati sæpe vera de his quæ nunquam didicimus respondemus. Deinde quoniam ex notitia eorum quæ sentiuntur, subita quadã abstractione ad notitiam ascendimus idearũ ceu cognoscendæ hæc æqualia in ipsius æqualitatis cognitionẽ. Vbi cognoscimus deficere hæc ab illa, atque anniti similia fieri: rursus quantũ accedant, & quæ magis, quæve minus. Cúmque id per omnẽ agamus vitam, necesse est ideam ipsam ante ortum nos habuisse. Non enim perfectæ rei notitiã subitò ex imperfectis accepimus. Ostendit autẽ duob. modis ideas esse. Primo, Quodlibet subiectum quod appellatur æquale potest etiam dum per substantiam manet idem, inæquale & fieri & videri. Æqualitas autem nequit vnquã inæqualitas vel fieri, vel videri. Præterea æqualia hæc velut imperfecta inæqualitatem participant, æqualitas verò ipsa nequaquam. In sequentibus nota quanta asseueratione affirmet ideas, addátque idearum essentiam esse nostrã. A que cum animus noster singula referat ad ideas ipsum ostendere se vnà cum idearum essentia sempiternum esse, atque eam agnoscere tanquã suã. Nota insuper nulla in re magu elaborandũ esse, quàm vt per immortalitatis demonstrationem mortis metum, quasi morbum grauissimum, expellamus. Consultim aliam aggreditur

rationem à proportione intellectus ad intelligibile du ctam. Intelligibile verò ipsum, ideam ipsam incorpoream sempiternamq; appellat. Cúmque intellectus cũ ipsa velut obiecto proprio congruat concludit hunc incorporeum sempiternúmque esse, præcipuè quũ dominetur corpori mortalibúsque repugnet. Proportionem verò mentis cũ idea confirmat ex eo, quòd quoties non impeditur, ad eam sese confert, eiúsque commercio gaudet, atq; perficitur. Quòd autẽ postquàm dixit animam esse omnino indissolubilẽ, subiũxit vel rei omnino indissolubili propinquam, hoc additum intellige, quoniam in Timæo probatur, Deum solum omnino indissolubilem esse: cætera verò si cõparentur ad Deum, dissolubilia quodãmodo iudicari, quia quo dãmodo & composita, quamuis illa quæ optimè cõposita sunt, id est, seorsum ab elementali materia, non dissoluãtur vnquam. Animæ igitur tã nostræ, quàm diuinæ indissolubili Deo propinquæ sunt, ipsæ quodãmodo solubiles, sed dissoluendæ nunquam. Præterea vocat id omnino indissolubile, in quo neque essentiæ, neque actionis partes vllæ sparguntur. Anima igitur etsi secundum essentiæ partes non spargitur, tamen per actionis partes diffunditur. Tẽpore enim & mobiliter agit. Proinde subdit puram animam post obitum ad pura & æterna redire, impuram verò terrenúsque infectã ad similia retrahi atque terrena, sæpéque videri. Profectò affectio erga corpora in anima remanẽs non per se, propriè facit vt anima videatur, quũ affectio nõ sit visibilis: efficit tamen vt anima nonnihil visibile secum trahat, id est inuolucrum quoddam, vel aereum, vel ex spiritib. corporis sui cõflatum, vt vult Proclus, vel nuper ex circumfuso aere congregatum. Certè hîc Plato significat quod vult Proclus, scilicet inter corpus æthereum, quod & immateriale est & simplex & sempiternum, atque corpus terrenũ, quod est materiale, cõpositúmque, & ad

br

breue perduranti, esse corpus aereum, materiale quidem, sed quodāmodo simplex & longioru æui, in quo animæ diutius habitent etiam post discessum: quòd hoc dissoluto, corpus iterū compositum induantur, videlicet si purgatæ non sint: si verò purgatæ, cum solo æthereo cœlum petant. Quod animarum transitus narrat in bestias, Pythagoricum est. Idque intellige, videlicet animas nostras non tam viuificare corpora bestiarum, quàm purgatorū gratia per brutam imaginationem suam quodammodo brutorum imaginationi misceri, quemadmodum impuros aiunt dæmones insanorum imaginationi sæpe permixtos. Sic vtique excepto Plotino plerique exponunt Platonicorū: quod quidem patet eò, quòd non dicit animam fieri bestiam, sed induere, subire, transire. Concludit solos in Deum recipi qui per veram philosophiam purgati decesserint. Audi præter hæc vinculum animæ cū corpore nihil esse aliud quàm amorem, scilicet naturaliter prouidentem. Item quoties anima per instrumentum agit circa formas in subiecto iacentes, nihil syncerè cognoscere, sed solùm quando per seipsum cōuertitur ad formas in seipsis simpliciter existentes. Discе hìc quoque animam ex eo quòd reb. corporeis oblectatur & pascitur, euadere corporalem: atque hinc vsque adeò falli, vt sola corporea iudicet esse vera, quum omnino sit contrà: fallaciam eiusmodi malorum omnium esse grauissimum. Accedit quòd anima iam facta corporea, post obitum quoque ab incorporeis seorsum circa corporea labitur. Conclude animum suæ puritati penitus restitutum, nullo modo suæ immortalitati diffidere. Cygni fabula Pythagorica est, atque allegorica. Pythagorica quidem, vbi dicit Cygni animam superuiuere. Allegoricè verò intelligitur Cygnum in numero solarium animalium contineri, & Socratem solarem esse, tum quia Phœbi oraculo approbatus est, tum quia mentibus hominum

medebatur. Adde vaticinium esse quadruplex, diuinum, daemonicum, humanum, naturale. Itaque vltimum in bestiis fieri quodam instinctu naturæ. Intellige etiam cygnos innocentes sine philosophia homines: qui quum mortem sæpe minime timerant, significant philosophos absolutos timere eā nullo pacto debere. Animaduerte deinde difficillimū esse in hac vita substantiam animæ intelligere quoniam videlicet sub corporea eam specie intuemur. Ideóque tutissimam rationem ad animam comprehendendā esse tum moralem purgationem, tum metaphysicam abstractionem. Vbi verò minus id sufficiat, opus esse diuino quodam verbo, id est, reuelationib diuinius factu atque miraculu. Nos verò hic diuini verbi mysterium à Platone significatum cōsiderare debemus. Tradit deinde duo in disputando præcepta. Primū, ne rationibus vllis absque longa examinatione credamus. Postquàm verò rationi cuidam sufficienti examine crediderimus, ne facilè inde ob quæstiones obiectiones similitudinésque amoueamur. Secundum, ne aut propriam, aut alienam in disputando personam, sed rationem duntaxat veritati consonam cogitemus. Sequuntur dubia contra animam, ne forte consonantia quædam sit humerum, atque vel prius corpore, vna cum ipso, vel inde ad tempus aliquod dissoluatur. Quædam quidem dubia Socrates ita soluit. Si disciplina reminiscentia est ideóque ante corpus vixit anima, nequit anima esse corporis consonātia. quippe quum consonantia partes ex quarū concursu fit, non antecedat, sed consequatur. Sic eadem est consonantiæ ratio, atque animæ, sicut altera anima non magis anima est quàm altera: ita neque cōsonantior erit. Ĩperans igitur anima nihilò plus cōsonabit quàm intēperans. Si consonantia necessariò ea sequitur, ab eisq; ducitur ex quib. ipsa conflatur, non potest anima corporis consonantia esse, quod quotidie

ducit-

ducit, cui sæpe repugnat. Cæterùm antequam dubitationes absoluat, rationésq; immortalitatis omnino perficiat, longo discursu damnat illos qui rerũ causis assignãdis ad materias quosdã, & instrumẽta cõfugiũt, asserẽs totã historiã naturalẽ insufficienter per eadẽ naturalia cõfirmari: quippe q. ũ hæc omnia omniũq; motus à diuinis causis efficientibus finalibus idealibúsq. omnino dependeãt. Optat in primis finalem cuiusque rei causam atque vniuersi id est bonũ cuiusque, & vniuersi bonũ, cuius quidem boni potestatẽ causam esse dicit efficientẽ. Quoniam verò ipsam boni amplitudinẽ cõprehendere nequit, secundo eligit loco ideales diuinæ intelligentiæ rationes, ad quarũ similitudines in mundi materiã expressa sunt omnia. Inter hæc nota Mosaici mysterij cõfirmationẽ, sicut & in Timæo. Vidit Deus singula esse bona, etiã cuncta valdè bona. Ita omnia ipsa bono cõnecti. Rursus animũ corporea intuentẽ, interim ad incorporeũ intuitum obcæcari. Neque posse veritatem rerũ haberi, nisi ad ideas confugiamus. Præterea formulas idearum ineſſe mentibus nostris, ad quarum congruitatem vel contrà, singula vera esse, vel contrà censentur. Socratem nunquam certam idearum contemplationẽ intermittere consueuisse, solásque affirmare solere. Certam rerum causam in ideis esse sitam, immortalitatẽ quoque animæ ab ideis potissimũ demõstrari. Processum inter ideas à minus communi per medias ad cõmunissimam fieri. Atque desceẽsum ab ideis ad effectum earum. Demum rationem disponit immortalitatis ex eo quòd rationalis anima corpori præstat vitam, non vt accidentalis forma inhærens corpori, sed vt substantialis in seipsa permanens, ex se formaliter viuens quasi quædam vita corporalis idea, atque per se efficienter corpus viuificans. Ideóque concludit animam non posse suscipere mortem, cùm mors vitæ opposita sit, anima verò & vitam

propriam habeat,& maneat in seipsa,adeò vt neq; per se propriè,neque per subiectum aliud mortem suscipere valeat.Posthac ex eo quòd anima sit immortalis,cohortatur omnes ad moralem speculatiuámque disciplinam,vt animus & per voluntatem & per intellectũ purgatus atque perfectus,his quasi duabus alis in cælestem patriã reuolet.Confirmat interim esse animam immortalem, quia neq; virtus tãdem obesse,neque vitium prodesse debeat.obesset autem laboriosa virtutis via bonis atque contra prodesset voluptuosa malis vita,nisi foret animus immortalis.Ac ne quis fortasse neget posse post hanc vitam,vel vitium obesse,vel prodesse virtutẽ,subiũgit animã affectiones & habitus tam voluntatis quam intelligentiæ,cõparatos,siue bonos,siue malos secũ ferre,subitò vel læsuros vel profuturos.Dæmonẽ nanque ducem omnes ad diuinum iudicem vitæ repentè perducere in locũ communi iudicio deputatũ,in aerem scilicet minus puros,& in ætherẽ puriores,illíque iudicatos ab alio rursus dæmone per triuiũ ad sua, id est,sibi similia singulos trahi.Per triuiũ,inquã,quia alij mittuntur in cælum,alij in tartarum,alij verò in medias regiones.Ducit autem eos dæmon, in bonis quidẽ intelligentiã mouens,in malis autẽ imaginationem affectúmque perturbans. Quòd autẽ dicit iniquos absque duce errare,absq; beneficio intellige duce.Adde quòd neque quò trahantur,agnoscũt,& violentia rapiuntur.Cæterùm antequam animarũ distribuat sortes,orbẽ terræ describit,dicens esse quasdam terræ plagas, atq; illas quidem amplissimas, & vsque adeò alias,vt vẽtis & imbribus,nõ pulsentur.Vbi temperatissimus aer sit,sub quo pretiosissima quæque nascuntur,homines acutissimi sensibus , vitáque lõgæui.Sunt qui velint & homines & alia illic nascentia quàm plurimũ ex æthere aerẽq; cõponi quàm minimùm verò ex crassioribus elemẽtis:vt

hominum

hominũ corpora quasi aerea sint, fructibúsq; maximè aeru nutriantur. Quod ne quis tãquã impossibile neget Olympiodorus Aristotelu adducit historiã, in qua Aristoteles vidisse se inquit hominẽ qui solo aere nutriebatur & sole. Quod autẽ terra sublimis faciẽ in duodecim diuidit plagas, inde prouenit, quia duodecim cõgruit Zodiaci signu, duodecim sphærarũ regitur animabus, & duodecima est mũdi sphæra, atque veluti totius fundamentũ dodecadram illã sibi usurpat figurã quã Timæus attribuit mundo. Sed hac ipsa figura, déq; aliu terræ propriu quæstionibus in Timæo dicemus. Tu verò terra huiusmodi habitationẽ terrestri Moysi paradyso similẽ esse memento. Proinde flumina sub terra describit, quibus anima nutriuntur. Quæ quisquis secundum nostri corporis humores animíque perturbationes in hac vita nos affligentes exponit, nonnihil adducit simile vero, veruntamen veritatẽ integrã nõ assequitur. Plato enim & hîc & in republica significat præmia virtutum & supplicia vitiorum ad alteram vitam potissimùm pertinere. Acharo igitur sub terra flumen locus est purgatorius, atque ad curam pertinet & mœrorẽ, respõdet quoq; aeri partíque mundi meridianæ. Phlegeton igni respõdet atq; orienti, vimq; puniẽdi cõtinet per calorẽ, & iræ cupiditatísq; feruorem punit. Styx Cocytúsque respondet terræ atque occasui, odiáve per luctũ, fletúmq; puniũt. Differũt verò hæc inter se solùm, quòd Styxexoriens appellatur, Cocytus verò progrediens. Tartarũ infimum tenere vult inferni locũ, in quo scelestissimi non medicinæ, sed exẽpli gratia affligantur, quẽadmodũ hic & in Republica legitur & Gergia. Addunt quidã adhæc flũmina Oceanũ quoque quodãmodo pertinere, aquæ septentrioniq; respondentẽ, in quo distinguendi desiniendíq; virtus intelligatur. Tu verò quod de fluminibus dicitur, potissimũ de dæmonibus, numinibúsq;

intellige flagitiosos tali quodã ordine punientibus. Profectò peccata facilè sanabilia sunt, quæ nondũ in habitũ sunt conuersa. Difficile verò sanantur quæ iã habitũ genuerunt: veruntamen vnà cum quadã ratione repugnantia cõmittuntur, & cõmittentes afficiunt pœnitentia. Insanabilia verò sunt omnino quorũ habitus & repugnantiã & pœnitentiã procul fugat. Prima purgantur in Acheronte. Secunda si ad prima vergant puniuntur in Phlegetonte: si ad tertia, in Styge, atq; Cocyto. Tertia affligũtur in Tartaro, ex quo vt Plato inquit, nũquã egrediuntur. Quo verò pacto alij aliter id exponant, in præsentia libẽtius prætermitto. Affligi verò putant animæ nõ tantũ per imaginationẽ infeliciter à dæmonibus agitatã, sed per aerea quæda corpora, quæ vehiculi & cymbæ nomine designãtur. Præmia verò sic Plato distinguit. Animæ quæ iustè & sanctè sine philosophia vixerũt, sublimia terræ qualia suprà descripsimus, ascẽdentes, in tenuissimum spiritualibúsq; ibi corporibus habitant. Quæ verò similiter propterea philosophatæ sunt cũ splendidis cœlestibúsq; corporibus cœlũ colunt. Sed quæ per exactã philosophiã perfectè purgatæ sunt in locũ super cœlestẽ euolant, vbi absq. corporibus omnino, vt Plato hic inquit, totũ per tẽpus viuunt. Quæ verò id ratione exponant nõnulli, cõsultò nõ recẽsebo. Porphyrius certè atque Iamblicus tradunt animas Deo perfectissimè restitutas nũquã cadere. Quod quidem congruè respondet oppositis quæ ex Tartaro nunquã emergere iudicantur. Quod quidẽ si ita sit, circuitus iã infiniti tollentur: Tẽporales verò circuitus adhiberi purgationis cuiusdã gratia videbuntur. Socrates tandem gallum Æsculapio sacrũ se debere fatetur, reddiq. diligentissimè iubet. Prisci Æsculapio medico Phœbi filio gallũ sacrificabãt diei solisq. nuncium, id est, diuinæ beneficẽtiæ morborũ omniũ curatricis, quæ diuinæ prouidẽtiæ filia

lia nominatur diem, id est, vitæ lumen debere se fatebantur. Eiusmodi medicum in superioribus perquirere nusquam morborum animi curatorem. Et quasi iam omni dubitationis metúsque morbo liberati sint, gratiam victimámque Deo referri iubet. Præterea oracula priscorum tradunt: animas remeantes in cælum, pæana, id est, triumphalem cantilenam canere Phœbo. Reddit ergo Deo votum, ut alacer Pæana canens, cælestem patriam repetat.

DIALOGI PERSONAE.

ECHECRATES, PHÆDO, APOLLODORVS, SOCRATES, CEBES, SIMMIAS, CRITO, MINISTER VNDECIMVIRORVM.

IPSENE, ô Phædo, affuisti quo die Socrates venenum bibit in carcere? an ab alio ipse audiuisti? PHAEDO. Ipse, ô Echecrates, affui. ECHECR. Quænam sunt ea, quæ vir ille antequam moreretur, loquutus est? Et quomodo è vita discesserit? Libêter enim auditem. Nam neque quisquam Phliasiorum ciuium frequenter proficiscitur nunc Athenas, neque iamdiu hospes aliquis inde ad nos accessit, qui certum aliquid ea de re nunciare nobis posset, nisi illum hausto veneno è vita migrasse. De cæteris verò nihil quid referret, habebat. PHAED. Nec ergo quæ ad iudicium pertinebant, quo pacto tractata fuerint, audiuistis? ECHEC. Audi-

uimus, hæc enim nobis quiddam retulit. Et ad mirati profectò sumus, quòd iam peracto iudicio, diu postea obiisse videatur. Quinam in causa fuit, ô Phœdo. PHAE. Casu quodam id Socrati, ô Echecrates, accidit. nam pridie quàm iudicaretur, ornari contigit puppim nauis eius, quam mittunt Athenienses quotannis in Delum. ECHEC. Id verò quidnam sibi vult? PHAED. [a] Hæc est illa nauis, vt aiunt Athenienses, in qua Theseus olim bis septem illos secum vexit in Cretam, seruauitque illos, & ille seruatus est. Vouerant autem, vt fertur, Apollini, si seruarentur, quotannis in Delũ spectaculũ quoddam mittere. Quod quidẽ nunc etiam ac semper ex illo tempore singulis ad Deũ mittunt annis. Cùm igitur spectaculi principium agitur, ex lege interim illustrant vrbem, neminémque eo tẽpore publicè necant, donec Delũ perueniat nauis, rursúsque Athenas reuertatur. Id verò nonnunquã longo peragitur tempore, quando eos occupant venti. Initium verò spectaculi est, postquam Apollinis sacerdos nauis illius coronauerit puppim. Id verò, vt modò dicebã, pridie quàm iudicaretur factum erat. [b] Quamobrem longũ tẽpus Socrates fuit in carcere inter iudicium atque mortẽ. ECHEC. Circa verò mortem ipsam, ô Phædo, quædam sunt ab eo dicta, quæ facta, quíve familiarium aderant. An magistratus adesse non permittebant atque ita desertus ab amicis decessit. PHAED. Nequaquam, aderant aliqui, & quidem multi. ECHE. Hæc igitur omnia pata te quàm planissimè nobis referre, nisi quid negotij te impediat. PH. Otiosus equidem sum, atque enarrare vobis conabor. Quippe cùm meminisse Socratis

[a] *Quotannis nauẽ Delũ mittebant Atheniẽses in honorem Apollinis propter votũ ipsi nuncupatũ ob salutẽ & incolumitatẽ Thesei.*

[b] *Socrates lõgũ tempus fuit in carcere, inter iudiciũ & mortem.*

siue ipse loquar, siue loquentes alios audiam, mihi semper omnium sit dulcissimum. ECHE. Similiter, ô Phædo, hos qui te audituri sunt affectos habebis. Itaque conare pro viribus diligentissimè omnia persequi. PHAED. Atqui mira quadam ratione, ô Echecrates, illic præsens affectus eram. Neque enim misericordia me capiebat vt familiarissimi viri morti præsentem. Siquidem beatus vir ille mihi, ô Echecrates, videbatur, tum animi illius habitum, tum orationem consideranti: adeò intrepidè generoséque migrabat è vita, vt videretur mihi in vitam alteram, non absque diuina sorte migrare, sed illic quoq; beatus fore, siquis vnquam alius. Quamobrem neque admodum commouebar, (vt consentaneum videretur hominem rei præsentem lugubri commoueri) neque rursus afficiebat lætitia, quemadmodum solebamus, aliâs quum in philosophia versabamur. Nam sermones quidem eiusmodi erant: sed reuera affectus quidam mirus atque insolita voluptatis doloríque permixtio me inuaserat, considerantem illi paulò pòst moriendum esse. Et quicunque aderamus, fermè similiter eramus affecti, aliàs quidem ridentes, aliàs verò lachrymantes. Vnus autem præ cæteris Apollodorus: nosti enim virũ eiúsque mores. ECHE. Quidni PHAED. Ille igitur ita prorsus erat affectus, atque ego ipse aliíque omnes distractum similiter perturbatione animum habebamus. ECHEC Sed quinã forte aderant, ô Phædo? PHAED. Ciues quidẽ & indigenæ aderant, ipse Apollodorus & Critobulus, patérq; eius Crito: rursus Hermogenes, Epigenes, Æschines, Antisthenes. Aderat & Ctesippus Pæa-

neus,& Menexenus,atque alij quidam indigenæ.Plato autem,vt arbitror,ægrotabat. ECH. Sed num aliqui aderant peregrini? PHAED. Aderant & peregrini, Simmias Thebanus, & Cebes,& Phædondes:Megarenſes verò Euclides, & Terpſion. ECH. Ariſtippus autem & Cleombrotus an aderant? PHAE. Non. In Aegina enim dicebantur eſſe. ECH. Aderántne inſuper alij? PHAE. Hos fermè quos narraui, interfuiſſe exiſtimo. ECH. Dic verò, quales fuerunt ſermones? PHAED Conabor equidem à principio tibi omnia enarrare.Solebamus quotidie diebus ſuperioribus ad Socratem proficiſci ego atque alij, conuenientes manè in illa curia in qua & iudicium factum fuerat. carceri enim erat proxima.Colloquentes igitur inter nos,operiebamur ſemper illic quoad carcer aperiretur, aperiebatur enim haud admodum manè. Eo autem aperto,ingrediebamur ad Socratem, & fæpe diem integrum cum ipſo tranſigebamus. Tunc ergo prius ſolito conuenimus. Pridie namque eius diei, quum è carcere veſpere egreſſi eſſemus, nauem ex Delo audiuimus rediiſſe. Itaque ediximus inuicem ſummo mane nobis eſſe ad locum ſolitum redeundum. Cùm verò reuerſi eſſemus, egreſſus nobis obuius ianitor qui nos ſolebat admittere,expectare iuſſit, nec prius ingredi quàm ab ipſo accerſiremur.Soluunt enim,inquit *vndecim-viri Socratem,illíque denunciant hodie mortem eſſe obeundam. Neque deinde admodum commoratus rediit ad nos, iuſſitque intrare. Itaque introeuntes Socratem quidem inuenimus compedibus paulò antè ſolutum: Xanthippen verò, noſti mulierem, iuxtà ſedentem:

* Vndecim-viri.

PHE-

puerúmque eius manibus tenentem. Quæ nos quum vidisset, eiulare cœpit, & qualia mulieres solent exclamare: O Socrates, inquit, nũc te postremùm tui familiares affabuntur, túq; illos. At Socrates Critonem intuitus, O Crito, inquit, abducat quis hanc domum. Et illam quidem abduxerunt quidam Critonis domestici, vociferantem atque plangentem. Socrates autem sedens in lecto, contraxit ad se crus, manúque perfricuit, atque inter fricandum sic inquit: [a] Quàm mira videtur, ô viri, hæc res esse, quam nominant homines voluptatem, quámque miro naturaliter se habet modo ad dolorem ipsum, qui eius contrarius esse videtur! Quippe cùm simul homini adesse nolint. Attamen siquis prosequitur capitque alterum, semper fermè alterum quoque accipere cogitur quasi ex eodem vertice sint ambo connexa. Arbitror equidem Aesopum, si hæc animaduertisset, fabulam fuisse facturũ: videlicet Deum ipsum cùm ipsa inter se pugnantia vellet conciliare, neque id facere posset, in vnum eorum apices coniunxisse, propterea quicunque adest alterum, eidẽ mox alterum quoque adfuturum, quod quidẽ mihi accidit in præsentia. Siquidem modò crus propter vincula afficiebatur dolore, sed huic succedere voluptas iã videtur. Ad hæc Cebes. Per Iouẽ, inquit, ô Socrates, opportunè id mihi in memoriã reuocasti. [b] Cùm enim poemata cõposueris, prius hymnũ in laudẽ Apollinis, deinde etiã fabulas Æsopi carmine modulatus, tũ alij multi me interrogauerunt, tum Euenus paulò antè, quónam consilio postquam in carcerem deuenisti, ea feceris, quæ prius feceras nunquam? Si igitur tibi curæ est vt habeam

[a] *Voluptas dolorẽ perpetuò sequitur, & cõtra voluptatem dolor.*

[b] *Socrat. in carcere hymnũ in Apoll. nẽ cõposuit, & carmine reddidit fabulas Æsopi, cum antea poeticã nunquã attigisset, eúrque id fecerit,*

quid respondeam Eueno, quando iterum ex me quæsierit, quod certò scio facturum, dic quæso, quid ei sit respondendum. Vera, inquit, ô Cebes, respondе, me id effecisse, non vt vel cum ipso, vel cum ipsius carminibus contenderem (sciebam enim facilè id non esse) verùm vt insomnia quædam experirer, miniméque officio meo deessem, si fortè hæc esset ea musica quam sæpius iam exercere me iubent. Erant autem eiusmodi: Sæpe mihi in anteacta vita idem insomnium, licet alia atque alia forma occurrens sese obtulit, eadem semper ita præcipiens. Facito Socrates, musicam, atque exerce. Ego igitur quod in superiori tempore faciebam, hoc mihi præceptum arbitrabar: & quemadmodum currentes adhortari solemus, sic quod ipse antea faciebam, ad idem me insomnium cohortari putabam, quasi philosophia maxima musica foret, ego autem in eo elaborarem. Postquam verò sententia de me lata esset, & mori me Dei festum inhiberet, censui oportere, si fortè insomnium toties iubeat, popularem hanc musicam exercere, neque ei repugnare, sed morem gerere. Tutius enim fore arbitratus sum, antequam è vita migrarē, ab hoc me officio liberare, & parentem insomnio, poemata facere. Itaque primum quidem in ipsius Dei laudem versus feci, cuius tunc sacra celebrabantur: atque post Deum iudicans oportere eum qui [a] poeta futurus sit non sermones, sed fabulas facere, cum ipse non esset aptus ad fabulas fingendas, nonnullas ex fabulis Æsopi quas sciebam, magísque in promptu habebam, vt in quamque prius incidi, modulatus sum. Hæc igitur, ô Cebes, refer Eueno, & iube vt valeat,

[a] *Poeta circa fabulas versatur.*

&

& si sapit, me sequatur. migro enim hinc hodie, vt apparet. Sic enim Athenienses iubent. Tunc Simmias. Quale id est, inquit, ô Socrates, quod Eueno mandas? Sæpe enim in illum incidi, & quantum de illo sentio, nullo penè modo libens ille tibi parebit. Quid verò, inquit? nónne philosophus est Euenus? Mihi quidem videtur, inquit Simmias. Volet igitur & Euenus, & quicunque huius rei dignè est particeps. Non tamen fortè sibi vim inferet. Non enim fas esse aiunt. Et simul hæc dicens, crura è lectis dimisit in terram. Atque ita sedens, deinceps reliqua disputauit. Quæsiuit igitur ab eo Cebes, quonam id modo ais, ô Socrates? fas quidem non esse seipsum violare, philosophũ tamen optare morientem sequi? Quid, ô Cebes, inquit, nónne tu Simmiásque talia quædam audiuistis à Philolao quo familiariter vtebamini? Manifesti quidem, inquit Cebes, nihil, ô Socrates. Atqui ego quoque de his rebus, inquit Socrates, ex auditu loquor. Quæ igitur ipse audiui, referre vobis nulla inuidia prohibebit. Etenim fortasse maximè decet illò migraturum considerare, atque animo fingere qualis futura putanda sit hæc ipsa migratio. quid enim aliud vsque ad solis occasum quis faciat? Quam ob causam, inquit Cebes, ô Socrates, nefas esse aiunt sibimet manus inferre? Iam enim quod modò quærebas, ego [b] à Philolao audiui, quum apud nos versaretur, & ab aliis insuper nonnullis, non decere id facere: apertum tamen hac de re quicquam nihil ab aliquo vnquam audiui. Sed attẽtione opus est, inquit. Nam & si audiueris, mirum tamen fortè videri possit, vtrùm hoc solum ex aliis omnibus simplex sit, [nec accidat vn-

[a] *Euenus Darius.*

[b] *Philolaum audiuit Socrates.*

quam homini, quemadmodum & alia eiusmodi accidunt vt quibusdam melius sit mori quàm viuere. Itaque mirum tibi fortè videbitur, si his quibus præstat mori, non liceat sibimet prodesse, sed alium oporteat expectare qui prosit. Tunc Cebes subridens. Ittio Iupiter, inquit, sua ipsius lingua loquens. Atqui videri quidem, inquit Socrates, potest id sic absurdum. Fortasse tamen quandam habet rationem. Profectò sermo ille qui de hisce rebus in arcano habetur, quòd nos homines sumus in quadam custodia, neque decet quemquam ex hac seipsum soluere neque aufugere, magnus quidem mihi videtur, neque cognitu facilis. [a] Veruntamen id mihi, ô Cebes, rectè dici videtur. [b] Deos quidem curam habere nostri, nos verò homines vnam quandam ex possessionibus esse Deorum. An non ita tibi videtur? Mihi quidem inquit Cebes. Nónne igitur, inquit, & tu si quod ex mancipiis tuis seipsum perimeret, quum tu minimè significasses velle te vt è vita excederet, irascereris illi? & si potestatem haberes, pœna quadam afficeres? Omnino, inquit. Fortasse igitur hoc modo non præter rationem est, non prius decere seipsum interficere quàm Deus necessitatem aliquam imposuerit, qualem nobis impossuit in præsentia. Consentaneum id quidem apparet, inquit Cebes. [c] Quod verò dicebas modò, philosophos perfacilè velle mori, absurdũ, ô Socrates, videtur esse, siquidem quod nunc diximus, rationem habet, Deũ videlicet nostri curã gerere, nos verò eius esse possessionem. Nullam enim id rationem habet, prudentissimos videlicet homines nõ ægrè ferre ab ea cura se amoueri, quam illi præstant Dij, optimi

[a] *Homo non debet sibi mortè cõscisc̃ere, & cur.*

[b] *Hominis cura gerit Deus, & Dei possessio est homo.*

[c] *An Philosophi debeant mortẽ optare & oblatam libenter accipere.*

mi omnium rerum gubernatores. Nunquam enim putaret vir prudens ipsum se melius esse curaturum, si liber euaserit: sed demens aliquis forsitan id putaret fugiendum scilicet esse à domino: neque cogitaret non esse id quod bonum est fugiendum, sed in eo maximè permanendum. Ideóque absque ratione fugeret. Qui verò mentem habet, semper apud eum qui sit melior esse cupit. Atque ita, ô Socrates, contrarium eius quod paulò ante dicebatur probabilius est. Sapientes enim decet grauiter mortem ferre, insipientes verò libenter. Socrates igitur cùm hæc audisset, delectari mihi visus est argutia Ceberis. Conuersúsque ad nos, Sæpe, inquit, hic Cebes rationes quasdam perscrutatur, neque admodum facilè quod quis dixerit, vult admittere. Tunc Simmias, Mihi quoque, inquit, nonnihil videtur Cebes dicere. Quo enim consilio sapientes viri eos qui meliores reuera quàm ipsi sint fugiant, illisque carere facilè patiantur? Atqui mihi videtur Cebes sermonem in te intendere, quòd tam facilè & nos relinquas, & Deos, vt tu ipse fateris, principes bonos. Iuita dicitis, inquit Socrates. arbitror enim vos dicere meipsum tanquam in iudicio oportere purgare. Et maxime quidem, inquit Simmias. Age ergo, inquit. Conabor nunc apud vos accuratius quàm apud iudices fecerim, me defendere.

[a] EQVIDEM, ô Simmia atque Cebes, nisi me migraturum putarem, primùm quidem ad Deos alios sapientes & bonos, deinde ad homines defunctos, his qui hic sunt meliores, iniusta agerem, non molestè ferens mortem. Nùc certò habetote sperare me ad viros bonos itu rum: sed hoc quidem haud omnino asseuera-

[a] *Spe melioris vitæ consequēdæ libēter ex hac vita migrare & mortē optare debent philosophi.*

rem. Quod verò ad Deos dominos valdè bonos iturus sim, certum habetote, si quid aliud eiusmodi, & hoc vtique me affirmaturum. Propterea haudquaquam mortem molestè fero, vt quidem si aliter se res haberet, facerem, sed bono animo sum, speróque superesse aliquid his qui defuncti sunt, atque vt iam diu dicitur, multò melius bonis fore quàm malis. Quid igitur, ô Socrates, inquit Simmias? Num ipse cum isthac sententia hinc abire cogitas? An nos quoque participes eius relinquere? Nam commune nobis quoque id bonum esse arbitror. Præterea ita demum te apud nos purgaueris, si quæ dicis nobis etiam persuaseris. Dabo equidem operam, inquit. Sed Critonem prius auscultemus. Videtur enim mihi iamdudum nonnihil velle dicere. Quinam putas aliud, ô Socrates, inquit Crito, quá quod iamdudum mihi dicit is qui tibi venenum est daturus? te videlicet monendum esse vt quàm parcissimè loquaris, dicit enim eos qui disputant, nimium incalescere: nihil verò tale bibituris venenum conuenire. Alioquin eos qui id fecerint, cogi interdum bis, quandoque ter venenum bibere. Tum Socrates, Mitte ipsum, inquit. Tantùm id quod officij eius est paret, tanquam bis & si oportuerit ter præbiturus. Et anteà quidem, inquit Crito, fermè id te responsurum sciebam. Sed me ille iamdudum interpellat. Mitte ipsum, inquit. Ego verò, ô iudices, rationem vobis iam reddere volo, ob quam mihi videatur vir qui per omnem vitam incubuerit philosophiæ, meritò magna cùm fiducia imminentem expectare mortem, atque bona spe esse, se ibi postquam hinc migrauerit, maxima bona reportaturum.

eurum. Quemadmodum igitur id ita se habeat ô Simmia atque Cebes, conabor equidem aperire. [a]Quicunque philosophiam rectè tractant, videntur latuisse cæteros homines, quòd nihil aliud ipsi commentarentur quàm mortis atque esse se mortuos. Quòd si id verum est, perabsurdum foret, si cùm nihil præter hoc aliud per omnem vitam studuerint, hoc ipso adueniente quod iamdiu agitabant exercebántque, grauiter ferrent. Hîc Simmias arridens, per Iouem, inquit, ô Socrates, mihi quidē haud multùm ridere cupienti risum expressisti. Nam multos arbitror fore qui si id audierint, aptissimè in philosophos dictum putent: nostrósque homines consensuros, & valdè quidem quòd philosophi reuera moriantur, miniméque illos ignorare, dignos esse hos, qui hoc ipsum patiantur. Fortè id rectè, ô Simmia, dicerent, præterquam quòd se hoc non ignorare addunt. Latet enim ipsos, qua ratione viri philosophi & mori studeant, & morte sint digni. Sed iam relinquamus illos, nobísque ipsis loquamur. Putamúsne aliquid esse mortem? Aliquid certè, inquit Simmias. [b]Nunquid aliud, inquit, quàm animæ à corpore solutionem? Esséque id, mortuum esse, scilicet solutum ab anima corpus per se seorsum esse? Seorsum quoque, à corpore animam solutam, ipsam per seipsam existere? Nūquid mors præter hoc aliud est. Nihil aliud, inquit Simmias. Considera inquit, bone vir, num tibi idē quoque & mihi videatur. Ex his enim nos arbitror planius quæ perquirimus, intellecturos. Videturne tibi philosophi officium esse sectari eas quæ appellantur voluptates, quales sunt epularum, atque poculorum? Minimè quidem, ô

[a] *Vera philosophia nihil aliud est, quàm mortu commentatio.*

[b] *Mors est solutio animæ à corpore.*

Socrates, inquit. Sed an venereorum? Nullo modo, inquit. Quid reliquum corporis cultum an eum magnifacere philosophus tibi videtur? vt haberes vestes egregias, calceósque & alia quæ circa corpus sunt ornamenta, vtrum multi facere tibi videtur, an nihili pendere, nisi quatenus magna cogat necessitas illis vti? Mihi quidē videtur verus philosophus hæc omnia floccipendere, inquit Simmias. An non tibi videtur, inquit, huiusmodi hominis studium haud ad corpus quidem declinare, sed quantum fieri potest ab illo discedere, atque ad animum se conuertere? Mihi quidem, inquit Simmias.

a Verus philosophus animū à corporis societate & cōmercio, quoad maximè potest, segregat

a Nónne igitur in eiusmodi rebus primùm manifestè apparet philosophus præter cæteros homines animum quàm maximè potest à commercio corporis segregare? Apparet, inquit. Putant verò plerique, ô Simmia, eum hominem cui nihil taliũm dulce sit, neque illis fruatur, reuera viuere existimandum non esse, penè mortuum, cùm voluptatibus corporis non studeat. Verissima narras, inquit. Quid autem circa sapientiæ ipsius acquisitionem? inquit Socrates. Vtrum impedimento est corpus, si quis ipsum socium ad inuestigandam assumpserit, nécne? Quale id est quod nunc dicam. b Habétne visus & auditus veritatem in hominib. aliquam? An verò sic se res habet, vt ipsi quoque poetæ semper canunt, nihil nos audire, nihil videre syncerum? Atque si ij corporis sensus synceri certíque non sunt, neque etiam alij: quippe cum cæteri omnes his quod ammodo deteriores sint. An non tibi videntur? Prorsus, inquit. Quando igitur animus veritatem attingit? inquit. Quando enim aliquid cum corpore tentat inuestigare, procul dubio decipitur

b Sēsus animo sunt impedimento quominus verè verum cernat.

pitur à corpore. Vera loqueris, inquit. [a] An nō, si in ipsa ratiocinatione, vsquam alibi, certè fit illi aliquid eorū quæ verè sunt manifestū? Ita est, inquit. Ratiocinatur autem tunc optimè, quando horum nihil eum perturbat, neque auditus, neque visus, neque dolor, neque voluptas: sed quàm maximè seipsum in se recipiens, deserit corpus, neq; quicquam quoad fieri potest, cum illo communicans, neque attingens, ipsum quod verè est, affectat. Est ita, inquit. Nónne & in hoc philosophi animus maximè contemnit corpus, ab eóque aufugit, quærítq; secundum seipsum viuere? Apparet, inquit. Quid verò hæc ô Simmia? inquit. [b] Dicimúsne iustū ipsum esse aliquid, an nihil? Aliquid per Iouem, inquit. Rursus ipsum pulchrum ipsúmque bonum aliquid esse? Quidni? Num aliquādo horum aliquid oculis percepisti? Nunquā inquit. An alio quodam sensu corporis illa attigisti? Loquor autem de omnibus, veluti de ipsa magnitudine, de sanitate, de robore ipso, ac summatim de cæterorum omnium essentia, id est, eo quod vnumquodque est, vtrùm per corpus quod in his verissimum est, perspicitur? An ita se res habet, vt quicunque nostrùm maximè & acutissimè mente se comparat, ad illud quod considerat, cogitandum, hic proximè ad cognitionem ipsius accedat? Prorsus. Nónne igitur ille purissimè faceret, quicunque ipsa cogitatione quàm maximè se ad vnumquodque conferret, neque visum in excogitando adhibens, neque sensum prorsus vllum ratiocinationi coniungens: sed ipsa per se cogitatione syncera vtens, ipsum per se quodlibet syncerū existens studeret venari, quàm maximè ab oculis, ab auribus, & vt summatim dicam, à toto

[a] *Ratiocinatione sola, amotis sensibus verū cognoscitur.*

[b] *Idea & perfecta rei cuiusq; essētia forma, seu circa quā veritas consistit solo intellectu percipitur.*

[a] *Corpus, & eorũ quæ ad corpus pertinent sollicitudines, multũ interturbãt cõtẽplationem.*

corpore liber, [a] vtpote perturbante animum, neque permittente veritatem, sapientiámque assequi, si quando in communionem recipiatur? An non hic erit, ô Simmia, siquis vnquam alius, qui quod verè est assequetur? Mirificè verò loqueris, ô Socrates inquit Simmias. Nõne igitur, inquit, ex his omnibus necessariò sequitur, opinionem eiusmodi veris philosophis vsqueadeò constare debere, vt inter se talia quædam loquantur? Nos quasdam rationis ipsius vias videmur ad rerum considerationem perduci, quandiu corpus habemus, animúsque noster tanto malo erit admixtus, nunquam id quod desideramus, abundè consequemur. Impedimenta enim penè innumerabilia corpus præbet, propter necessariam eius alimoniam. Præterea morbi nobis hinc incidentes, inuestigationem veritatis impediunt: amoribus, cupiditatibus, timoribus, variisque imaginibus, multis denique nugis non implet, vt verissimè dicatur nunquam nobis ab illo permitti, vt quicquam rectum sapiamus. Nam ad bella, ad seditiones, ad pugnas nihil aliud quàm corpus, eiúsque cupiditates impellunt. Omnia enim bella pecuniarum gratia fiunt. Pecunias autem quærere cogimur corporis gratia, cultui eius inseruientes, atque ita fit vt propter hæc omnia à philosophiæ studiis abstrahamur. Extremum verò omniũ est, quòd siquid ab ipso otij nobis contingat, nósque ad cõsiderandum aliquid conferamus, inuestigantibus nobis rursus vbique sese opponens, tumultu quodam perturbat animum, & quasi percutiens reddit attonitũ, adeò vt hoc obstaculo impediti, verũ perspicere nequeamus. Cæterũ nobis reuera demonstratum est, si quan-

siquando sumus purè aliquid intellecturi, recedere à corpore oportere, atque ipso animo res ipsas considerare. Atque tunc, vt apparet, compotes euademus eius quod affectamus, cuiúsve amatores profitemur nos esse, scilicet sapientiæ, cùm videlicet mortui fuerimus, quēadmodum nostra indicat oratio: dum aũt viuemus, nequaquã. [a]Etenim si nihil cum corpore purè discerni potest, è duobus alterum: aut nunquã possumus scientiam consequi, aut post mortẽ. Tunc enim animus ipse per seipsum erit seorsum à corpore, prius vero nequaquã. Atque dũ viuimus, ita vt videtur, proximè ad scientiam accedemus, si quamminimũ cum corpore cõmercium habuerimus, neque quicquã cum illo communicauerimus, nisi quantum summa cogat necessitas: neque huius natura replebimur, sed ab eius contagione cauebimus, quoad deus ipse nos soluat: atque ita puri & à corporis insipientia liberati, vt cõsentaneũ est, cũ talibus erimus, cognoscemúsque per nos ipsos syncerũ quodlibet: id autẽ est forsitan ipsum verum. nam imputo quidem purum attingere nefas est. Talia equidẽ ô Simmia iudico necessarium esse oẽs rectè discẽdi cupidos loqui inter se, atque opinari. An non tibi sic videtur? Et maximè quidem omniũ, ô Socrates. Si hæc igitur, inquit, vera sunt ô amice, magna spes est eum qui peruenerit illuc quò nũc ego proficiscor, si vsquam alibi, id illic abundè consecuturum, cuius gratia tantum nos negotiũ in præsenti vita suscepimus. Hãc ergo migrationem in præsentia mihi impositam, bona spe suscipio: similitérque quiuis alius suscipiet, qui modò putat præparatã sibi mentẽ tanquã purgatã. Ita prorsus, inquit Simmias. [b]Purgatio

[a] *Perfecta cognitio cõtinget post hanc vitam animo nostro corpore soluto & liberato, hic verò tanta quanta potest contingit, si quàm maximè possumus animũ à corporis cura abstraxerimus.*

[b] *Purgatio animi quid.*

verò, inquit, nónne in hoc consistit quod iã dudum dicebamus, videlicet vt quàm maximè possumus, animũ à corpore seiungamus? eúmque assuefacianmus per se vndique à corporis contagione seuocari & colligi, itaque (quo ad eius fieri potest) habitare, idque, & in præsenti tempore, & in futuro, à corpore solùm per se tanquã corporis vinculis solutũ. Maxime quidem, inquit. Nónne igitur hoc mors appellatur, solutio & separatio animę à corpore? Prorsus, inquit. Soluere verò ipsum, quemadmodũ confitemur, omni tempore maximè ac soli student qui rectè philosophantur. Atq; hæc ipsa philosophorũ meditatio est, animum à corpore soluere, atq; separare. Nõne ita? Ita videtur. Nónne igitur vt in principio dicebã, ridiculũ foret, si vir qui se in vita ita cõparauit, vt quãproximè ad mortem accederet, sic viueret vt ea deinde adueniente, indignaretur? Nónne ridiculum? Quídni? Reuera igitur, inquit, ô Simmia rectè philosophãtes mortẽ cõmentantur, atque ab ea minimè omnium perterrentur. Ita verò considera. Cùm enim corpus quidẽ vbiq; aspernentur, animũ verò ipsum cupiãt per seipsum habere, nónne summa esset absurditas, si tunc quãdo id euenit, expauescãt, molestéq; ferant, neq; libenter illuc proficiscãtur, quò quũ peruenerint, spes est eo quidem quod amabãt in vita, potiri (amabant autẽ sapientiã) eo autẽ cuius cõmercium molestè ferebãt, liberari? An verò amatis pueris, vxoribus, liberis defunctis, multi sponte voluerunt ad inferos proficisci, sperantes eos ibi videre, cum eísque versari quos amauerant: Sapientiæ autem verus amator, vehementer in hanc ipsam spẽ adductus, non alibi eã pro dignitate se comparaturum, quàm

Mors est Philosopho cõmentanda & minimè reformidanda.

quàm apud inferos, mortẽ ægrè feret, ac non libenter illuc migrabit? Arbitrari quidẽ, ô amice, oportet, si vere philosophus sit, magnopere apud ipsum hanc opinionẽ valere, vt non alibi purã sapientiã posse asse-qui speret, quàm illic. Si aũt hoc ita se habet, nónne quemadmodum modò dicebã, præter rationem foret omnino, si mortẽ vir eiusmodi formidaret? Per Iouẽ, inquit Simmias, multi tamen sunt tales. [a] Sufficiẽs ergo tibi coniectura erit, inquit, si quẽ videris molestè mortẽ ferre, eũ non esse philosophũ, sed φιλοσώματον quendã, id est corporis amatorẽ, atq; eundẽ fermè φιλοχρήματον & φιλότιμον. id est pecuniarũ honorũq; cupidũ: aut talẽ, vt alterũ horũ affectet, aut vtrũque. Omnino ita est vt ais, inquit. [b] Proinde quæ, ô Simmia, fortitudo nominatur, an non viris eiusmodi maximè conuenit? Maximè, inquit. Nónne & temperãtia (quam quidem etiã multi eam esse aiunt, quę facit ne cupiditatibus seruiamus, sed eas contemnamus, modestiámque seruemus) his duntaxat conuenit, qui corpus despiciunt maximè, atque in philosophia viuunt? Necesse est, inquit. Si enim considerare velis fortitudinem temperantiámq; aliorũ, tibi perabsurda videbitur. Quánã, ô Socrates, ratione? [c] Scis vtiq; cęteros oẽs mortẽ vnũ ex maximis malis existimare. Et maximè inquit. Nõne igitur maioruni metu malorũ quicunque inter eos fortes sunt, sustinent mortẽ, quãdo sustinẽt? Profectò. Metuẽdo igitur, atque metu fortes sunt omnes, præter philosophos: etsi absurdum est metu, vel timiditate aliquem esse fortem. Certè. Quid autem? qui inter eos moderati dicuntur, inquit, nónne simili quodã pacto affecti sunt, intẽperantia videlicet quadã tẽperati?

[a] *Qui mortẽ reformidat, is non verè est philosophus, sed φιλοσώματος, φιλοχρήματος, vel φιλότιμος.*

[b] *Soli verè Philosophi, mortem non reformidantes, veræ fortitudinè & temperãtiæ præditi sunt.*

[c] *Vera fortitudo & vera temperantia, non est fortitudo & temperantia eorũ, qui mortem metuunt & malum esse putant.*

quanquã impossibile id esse dicimus. Veruntã men illis euenit affectio quædam huic similis, in ista eorum fatua tẽperantia. Timentes enim ne aliis careant voluptatibus eásq; appetentes, à cæteris abstinent, ab aliis superati: etsi vocãt intemperantiã à voluptatibus superari. verũtamen accidit eis, vt superati à voluptatibus, aliarũ superẽt voluptates. Iam verò id illi simile est quod modò dicebatur, scilicet quodam modo per intẽperantiã fieri temperatos. Simile quidem. Atqui vide, ô beate Simmia, ne hæc haud quaquã recta sit ad virtutẽ via, voluptates videlicet voluptatibus, dolores doloribus, & metũ metu, & maius minori tanquã nummos commutare: sed [a] ille duntaxat rectus sit nummus, quo hęc omnia oporteat cõmutari, scilicet prudentiã in quo & cum quo omnia empta ac vẽdita reuera sunt & fortitudo, & temperantia, & iustitia, ac summatim vera virtus cum prudentia siue adsint, siue absint voluptates & timores, cæteráq; genetis eiusdẽ. Sinautẽ à prudẽtia segregata inuicẽ cõmutãtur, vide ne adumbratioquędã sit virtutis eiusmodi virtus ac reuera seruilis, nihil sani veriq; possidẽs: virtutis aũt veritas in horũ omnium purgatione reuera cõsistat: & temperantia, & iustitia, & fortitudo: & prudentia ipsa sit purgatio quædam. Quamobrẽ hi qui mysteria nobis cõstituerũt, minimè contẽnendi videntur, sed reuera iãdudum occultè nos admonuêre, quòd quicunq; non expiatus, neq; initiatus migrabit ad inferos, iacebit in luto: quicunq; verò purgatus atque initiatus illuc accesserit, cum diis habitabit. Sunt enim (vt vulgo aiunt qui in mysterijs versantur) thyrsigeri quidẽ multi, Bacchi verò pauci. Hi verò, vt equidẽ opinor, non alii sunt

[a] Virtutes sine prudẽtia sunt vmbræ quædã virtutum & cõmutationes voluptatum cũ voluptatibus.

[a] Prouerb. Thyrsigeri multi, Bacchi verò pauci.

sunt quàm qui rectè philosophati sunt. quorũ quidé in numero vt essem, nihil in vita, quãtũ in me fuit, prætermisi: sed omnibus modis cõtendi. An verò rectè conscenderim, aliquidue profecerim, quum illue peruenerimus, certò sciemus, si Deus voluerit. paulò pòst, vt mihi videtur. Hanc igitur excusationem affero, ô Simmia, & ô Cebes, cur cùm vos, eósque qui hìc sunt dominos relinquam, meritò non ægrè ferã neq; indigner: spero enim me & illic non minus quàm hìc bonos dominos amicósque inuenturum. Multi verò id minimè credunt. Si igitur defensio mea vobis magis quàm Athenienssibus iudicibus persuasit, bene se res habet. Cũ hæc Socrates dixisset, susscipiens sermonẽ Cebes, sic inquit, Cætera quidẽ, ô Socrates, rectè dicta videntur, [a] quantũ verò ad ipsam animã spectat, valdè ambigunt homines, ne anima à corpore separata nusquam sit vlterius, sed ea ipsa die qua homo mortem obierit, intereat, statímque seiuncta à corpore dissoluatur, atque egrediens quasi ventus aut fumus dissipetur atq; euanescat, neq; vsquã vlterius omnino sit aliquid. Profectò si esset alicubi collecta in semetipsam, & ab his malis quæ tu modò narrabas liberata, multa nimirũ bonáq; spes esset, ô Socrates, vera quæ dicebas fore. Cæterùm ad id fortassè persuasione fidéq; non parua opus est, vt credatur superesse animam post interitum hominis, atque aliquam vim intelligentiámq; habere. Vera, ô Cebes, loqueris, inquit Socrates. Verũ quid agendum censes? an fortè de his ipsis colloquendũ, vtrùm ita esse, an aliter probabile sit? Libenter equidem, inquit Cebes, audirem de his rebus quid sentias. Neminem arbitror, inquit

[a] *Dubitationes eorũ qui dubitant de animæ immortalitate.*

Socrates, hæc audientem, ne si comœdus quidē
sit, esse dicturum nugari nunc me, ac de quib.
minimè oporteat verba facere. si ergo placet,
oportétque considerare, id hoc pacto consi-
deremus, vtrùm videlicet apud inferos sint
mortuorum animæ, néene. [a] Vetus quidem
hic extat sermo, cuius memores sumus, superes
se animas, quæ hinc illuc abierunt, rursúsque
huc reuerti fierique ex mortuis. Atqui si hoc
verū est, vt ex mortuis iterū viuentes fiant, es-
sent animæ illic nostræ. Neque enim rursus
fierent, si non essent. Atque hæc sufficiens cō-
iectura est ita esse, si reuera constet haud aliū-
de viuentes fieri quā ex mortuis. At verò niū
id sit, alia opus erit ratione. Omnino, inquit
Cebes. [b] Neq; verò id in hominibus solùm, in-
quit, si planius intelligere vis, consideres, sed
in animalibus omnibus, & plantis, atque vt
summatim dicā in omnibus quæ gignuntur, v-
trū omnia sic fiant, neque aliunde quā ex con
trariis contraria, quibuscunq; tale aliquid cō-
tingit: quemadmodum pulchrum turpi quo-
dāmodo contrariū est, & iustū iniusto, aliáq;
eiusmodi quamplurima videmus. [c] Consideremus vtrum necessariū sit, cuicunque aliquid est contrarium, non aliunde id quàm ex suo contrario fieri? Veluti quando quid maius efficitur necesse est ex eo quod antè fuerat minus, postea maius euadere. Ita est. Nónne & si minus aliquid fiat, ex eo quod antè maius erat postea fiet minus? Sic omnino. Quinetiam ex robustiori debilius, ex tardiori velocius? Prorsus. Quid verò? Si quid euadat deterius, nónne ex meliori? Et si iustius ex iniustiori? Quídni? In omnibus igitur satis id explo-
catum habemus, omnia ita fieri, contraria vi-
delicet

[a] *Ad probandam animæ immortalitatem primū argumentū sumit Socrates ex opinione Pythagoræ de animarū trāsitu in varia corpora.*

[b] *τὸν μετεμψύχωσιν probat Socrat. hoc axiomate, Cōtraria ex contrariis fieri, ac proinde vt ex viuentibus fiunt mortua ita ex mortuis viuentes, quod fieri non posset, nisi anima post egressū è corpore subsisteret ipsa per se.*

[c] *Cōtrariū ex cōtrario fieri inductione probatur.*

delicet er contrariis. Prorſus. Quid rurſus? Eſtne etiam aliquid tale in ipſis, inter contraria duo? Duæ videlicet inter illa generationes, ſiue progreſſiones ab altero quidem in alterum, atque in alterũ viciſſim ab altero? Etenim inter maius atque minus, mediũ obtinet incrementum, & decrementum: dicimúſque id quidẽ creſcere, illud verò decreſcere. Ita, inquit. Nónne ſimiliter diſcerni viciſſim, atque confundi, frigeſcere, & incaleſcere, omniáque eodem pacto? Et ſi nomina nobis deſunt alicubi, re tamen ipſa vbique ita neceſſe eſt fieri, videlicet omnia ex contrariis inuicẽ, generationémque eſſe vtriuſque viciſſim in alterũ? Omnino quidem, inquit. Quid verò? ei quod eſt viuere, éſtne aliquid contrarium, quemadmodum ei quod vigilare eſt, dormire contrarium? Sic eſt omnino, inquit. Quídnam? Mori, inquit. An non ex ſe inuicẽ hæc fiunt? ſiquidem contraria ſunt. Cúmque duo ſint, duæ quoque inter hæc generationes mutuæ? Nihil prohibet. Alterã quidẽ coniugationem eorũ, quæ modò dicebã, ego tibi dicã (inquit Socrates) tam ipſam, quam generationes eorum. Tu verò mihi aperies alterã. Dico autẽ illud quidẽ dormire, illud autẽ euigilare, atque ex ſomno vigiliam fieri, & ex vigilia ſomnum: horúmque generationes hanc quidem dormire, illam verò expergiſci. Satisfeci tibi nécne? Satisfeciſti certè. Dic tu mihi quoque ſimiliter de vita atque morte. An non contrarium viuere dicis eſſe atque mori? Equidẽ. Et ex ſe inuicem fieri? Ita. Ergo ex viuente quídnã fit? Mortuũ. Quid autẽ ex mortuo? Neceſſe eſt cõfiteri viuens. Igitur ex mortuis, ô Cebes, viuentia fiunt atque viuentes.

Apparet Sunt igitur apud inferos animæ nostræ? Videtur. Nónne ergo & generationum quæ circa hæc sunt, altera quidem manifesta est? Mori enim manifestũ est, nónne ita? prorsus. Quidnam igitur faciemus? Non reddemus vicissim generationem huic contrariã, sed hac in re duntaxat mancam dicemus naturam esse? An verò necesse est reddere ei quod mori est, contrariam quandam generationem? Omnino. Quam verò istam? Reuiuiscere. Nónne igitur si reuiuiscentia est, progressio quædam hæc est ex mortuis ad viuentes? Est vtique. Conuenit ergo nobis hac insuper ratione, viuentes ex mortuis fieri nihilominus quàm mortuos ex viuentibus. Quod cùm ita sit, sufficientẽ coniecturã hinc haberi, animas mortuorũ necessariò alicubi esse, vnde iterum reuertantur. Videtur mihi, ô Socrates, hoc ex his, quæ concessa sunt, necessariò sequi. [a] Animaduerte ergo, inquit, ô Cebes, haud abs re nos hæc, vt arbitror, concessisse. Nisi enim cõtinuè altera vicissim alteris redderentur, quasi quodã circulo remeantia, sed directa quædam progressio foret duntaxat ex altero in eius oppositum, neque rursus reflecterentur in alterum, faceréntque regressum, omnia tandem, mihi crede, eandem subirent figuram atque affectionem, fierique cessarent. Quónam id pacto dicis, inquit? Haudquaquam intellectu difficile est, inquit, quod loquor. Perinde enim ac si in somnum caderetur quidem ab eo verò in vigiliam nunquã resurgeretur, minimè te latet omnia tandem eò deuentura, vt [*] Endymion ridicula quædã fabula videatur, neque appareat vsquã, cùm cætera quæq; vniuersa somno similiter opprimãtur. Proinde si confun-

[a] *Argum. ab absurdo probatur contraria ex cõtrariis fieri reciprocante quadam vicissitudine.*

[*] Id est quæ de Endymione feruntur.

confunderentur quidem omnia, nunquã verò discernerentur, [a] Anaxagoræ illud repentè contingeret, vniuersa videlicet esse simul. Eadem ratione ô amice Cebes, si quæcunque vitam acceperint, moriantur, mortua verò cum fuerint, mortua relinquantur, neque iterũ reuiuiscant, an non necessarium est omnino, cuncta demũ interiisse, nihilque viuere? Nam si ex aliis quidem viuentia fierent, postea verò perirent, quid obstaret quo minus in interitũ cuncta consumerentur? Nihi prorsus, ô Socrates, inquit Cebes, sed mihi omnino vera loqui videris. Est certè, ô Cebes, inquit, maximè omnium ita, vt mihi videtur: neque nos hæc ipsa quasi decepti confessi sumus, sed reuera reuiuiscentia est, atque ex mortuis viuentes fiunt, mortuorúmque supersunt animæ. Atque bonis quidem melius est, malis verò peius.

[b] Atqui id secũdũ illud ô Socrates, inquit Cebes, quod frequenter vsurpare soles, si modò verùm est, disciplinã videlicet nostrã nihil esse aliud quàm reminiscentiam: & secundũ hoc inquam, necesse est nos in superiori quodam tempore, ea quorum nunc reminiscimur, didicisse. Id verò fieri non posset, nisi prius anima nostra fuisset alicubi quàm in hanc humanam speciem deueniret. Quamobrem & hac ratione immortale quiddam anima videtur esse. At quales huius rei demonstrationes, inquit Simmias, habes, ô Cebes? Reducito mihi in memoriam. Non enim satis in præsentia memini. [c] Vna quidem ratio est pulcherrima, inquit Cebes, quòd interrogati homines & quis eos rectè interroget, ipsi omnia quemadmodum sunt, respondent. Atqui nunquã id facere possent, nisi inesset ipsis scientia rectáque

[a] *Anaxagora dixit omnia esse simul.*

[b] *Secundum argumentũ ad probandã Animæ immortalitatem subiicitur à Cebete, quod secundũ opinionem Socratis, Scire nostrum nihil aliud sit quàm reminisci.*

[c] *Scire nostrum nihil aliud esse quàm reminiscentiam, probatur.*

ratio. Deinde siquis eos ad geometricas figuras descriptionésque, vel simile aliquid conuerterit, ibi manifestè competiet, ita id se habere. Si hæc, ô Simmia, ratio, inquit Socrates, tibi non satisfacit, attende, an sic tibi consideranti idem quod nobis videatur. Diffidis enim eam quam disciplinam vocant, reminiscentiâ esse posse. Haud equidem diffido, inquit Simmias. Veruntamen id expedit mihi discere de quo sermo est, scilicet reminisci. Ac fermè ex his quæ Cebes cœpit dicere, iam recordor, & credo. Nihilo minus tamen, & à te, qua ratione id modò probare ipse aggrediebaris, per libenter audirē. [a] Hac equidē ratione, inquit Socrates, confitemur sane quodāmodo, siquis alicuius reminiscatur, oportere ipsum prius aliquando id sciuisse. Prorsus, inquit. Nunquid ergo & hoc confitemur, inquit, quoties scientia hoc modo prouenit, reminiscentiā tā esse? Dico autē hoc pacto. [b] Siquis aliud quiddam viderit, vel audiuerit, vel alio perceperit sensu neque solùm idipsum cognoscat, verùm etiā agnoscat aliud quiddā, cuius non vna eadēque, sed alia scientia sit, nónne meritò dicemus hunc eius rei reminisci, in cuius peruenerit notionē? Quónā pacto id dicis, inquit Simmias? Hoc, inquit Socrates. Alia quodāmodo hominis scientia est, alia lyræ. Quidni, inquit Simmias? An ignoras hoc amantibus euenire, cùm lyram, aut vestem, aut quid aliud ex his aspiciant, quibus vti eorum pueri adamati consueuerunt? Nā & agnoscunt lyrā, & simul ruente formam recolunt pueri cuius erat lyra. Hoc verò est reminisci. Ceu siquis cum Simmiam viderit, sæpe Cebetis recordetur, & cætera eiusdem generis infinita. Infinita

[a] *Reminiscētia scientiā præcedentē eiusdem rei præsupponat.*

[b] *Reminisci quid, & quo modo fiat.*

nita per Iouem, inquit Simmias. An non igitur, inquit, tale quiddam recordatio quædam est? Maximè verò, si id nobis in illis contingat rebus, quas longitudine temporis, & [de ipsis non cogitando] obliuioni iã tradiderimus? Ita certè, inquit Simmias. Quid verò, inquit Socrates? Contingítne, vt qui equũ pictũ viderit, pictãque lyram, reminiscatur hominis? Atque cùm pictum aspexerit Simmiam, veniat illi in mentem, & Cebes? Sic vtique, inquit. Nónne euenit etiam, vt qui Simmiam inspexerit pictum, ipsius quoque Simmiæ recordetur? Euenit certè. An non secundum hæc omnia contingit, tum à similibus, tum à dissimilibus reminiscentiam prouenire? Contingit. a Verum quoties ob similia qutispiam alicuius reminiscitur, an non necesse est id insuper intelligere, vtrum deficiat hoc secundum similitudinẽ, nécne, ab illo cuius repetita memoria est? Necesse est. Attende sanè, nunquid hæc ita se habeant. dicimus aliquid esse æquale? Non dico lignum ligno, neque lapidem lapidi, neque aliud eiusmodi quicquã, sed præter hæc omnia aliud quiddã æquale, ipsum dicimúne aliquid esse, an nihil? Dicimus per Iouem, & quidẽ mirificè. An scimus & ipsum quod est æquale? Omnino quidẽ. Vndénã sciẽtiã eius accepimus? An non ex his quæ modò diximus, videlicet conspicati vel ligna, vel saxa, vel alia quædã æqualia, ex his illiud excogitauimus, quod aliud est, quàm hæc? An nõ aliud quiddã tibi videtur? Cõsidera verò & hoc pacto. Nónne saxa, vel ligna æqualia dũ eadẽ sunt, aliàs æqualia, aliàs inæqualia nobis apparẽt? Penitus. Quid autẽ ipsa æqualia? possũt inæqualia tibi videri? vel æqualitas, inæqualitas?

a *Similia ista nostratia, ab idea & specie perfecta sui similia sunt, a* ve non intelligeremus, nisi antequam hæc nostratia cognosceremus anticipatã ipsius idea notionem animo haberemus.

Nunquam,ô Socrates. Quamobrem non idem sunt hæc æqualia atque ipsum æquale. Nullo modo idem mihi apparent,ô Socrates. Veruntamen ab his æqualibus quæ alia sunt quam ipsum illud æquale, ipsius simul excogitasti scientiam,atque percepisti. Verissima loqueris. An non siue simile ipsum sit, siue dissimile? Omnino. Nihil sanè refert. quatenus enim aliud conspicatus, ex hac ipsa perspectione aliud intellexeris,siue simile, siue dissimile, necesse est hinc reminiscentiã prouenire. Et maximè quidẽ. Quid verò ad id? An sic nobis cõtingit circa ea quæ modò dicebamus,ligna, & alia? Videntúrne ita æqualia hæc esse, vt ipsum quod est æquale? An deesse potius aliquid quominus talia sint quale est æquale ipsum,an nihil? Permultum certè deest. Nónne confitemur,quando quis aliquid intuens animaduertat, appetere quidem hoc quod in præsentia videt,esse tale quale quiddam aliud ex his quę sunt. verũ deficere,neque posse tale esse æquale,quale sit illud, sed deterius esse, necesse esse eum qui animaduertit, antè cognouisse illud cui dicit hoc quodammodo simile fieri, sed ad plenam similitudinem non accedere? Necesse est. Quid ergo? taléne aliquid contingit & nobis nécne, circa æqualia ipsúmque æquale? Quàm plurimũ. Necesse est ergo nos æqualis ipsius scientiam ante illud tẽpus habuisse, in quo primùm videntes æqualia, agnouimus appetere quidẽ hæc omnia talia euadere quale est ipsum, attamen à perfectione ipsius abesse. Ita est. Atqui & hoc confitemur, nos neque aliũde id agnouisse, neque agnoscere posse, quàm ex visu, vel tactu, vel alio quodam sensu, similiter enim de his omnibus iudico.

Similiter,

Similiter, ô Socrates, ad id se habent de quo agitur, ostendendū. Atqui à sensibus quidē intellexisse oportet, omnia quæ subiecta sūt sensibus, illud quod est æquale appetere, quāuis ipsum non assequātur. an aliter dicimus? Haud aliter. Antè enim quàm inciperemus videre, aut audire, aliisque vti sensibus, oportuit nos æqualis ipsius scientiam possedisse, videlicet quid ipsum sit, si modò æqualia hæc quæ sensibus subiacent, ad ipsum adeò relaturi simus, vt iudicemus anniti quidem hæc omnia talia, quale ipsum est euadere, verūtamen deteriora relinqui. Necessariò, ex superioribus id, ô Socrates, sequitur. An non statim, inquit, nati vidimus, & audiuimus, aliósque sensus exercuimus? Omnino. Oportuit autem, vt diximus, ante hæc ipsius æqualis scientiā habuisse. Oportuit. Quamobrem, vt videtur, necesse est antequam nasceremur, eam comprehendisse. Sic apparet. Nónne si eam sortiti ante natiuitatem ipsam iam habentes nati sumus, sciuimus & ante ortum atque statim nati non solùm ipsum æquale maiúsque & minus, verūetiā eiusdē generis omnia? Non enim de æquali magis nunc nobis est sermo, quàm de ipso pulchro, de ipso bono, de ipso iusto atque sancto, & vt dico de omnibus quibus propriè hoc ipsum [b] quod est assignamus, & interrogationib. interrogantes, & responsionibus respondentes, vt necessariū sit nos antequā nasceremur, horū omnium scientiā habuisse. Et ita. Ac si acceptis scientiis nō semper obliuisceremur, oporteret & cū ipsis nasci, semper etiā per omnē vitā scire. Nā scire, id est acceptā alicuius rei scientiam retinere, nec amisisse. An non obliuionem scientiæ iacturam esse dicimus?

[a] *Sensibilia hæc quæ sunt Idearū simulachra sensu cognoscimus, sensum ab ipso statim ortu habemus. ergo Anima nostra antequam in corpora ingrediatur Ideas cognouit.*

[b] *Idea est illud quo obsignatur rei essentia.*

[a] *Acceptam scientiã ante ortũ dum nascimur amisimus, amissam postea per reminiscentiam recuperamus.*

Ita prorsus, ô Socrates. [a] Sinautem acceptam ante ortum scientiam, dum nascimur amisimus: deinde verò vsi sensibus circa ipsas scientias, illas quas antè habueramus, recipimus: nónne id quod discere appellamus, esset scientiam propriam recuperare, atque id Reminisci nominantes, rectè nominaremus? Rectè. Fieri enim id posse apparuit. Videlicet, vt cum quis aliquid senserit, vel videndo, vel audiendo, vel aliter sentiendo, aliud quiddam ex hoc agnoscat cuius erat oblitus, cui quidem hoc quodammodo propinquabat, siue simile id sit, siue dissimile. Ita quod iampridem dico, è duobus alterum. aut enim scientes nati sumus, scimúsque per omnem vitam omnes: aut quot deinde dicimus discere, duntaxat reminiscuntur, atque disciplina reminiscentia est. Sic omnino se res habet, ô Socrates. Vtrũ igitur eligis, ô Simmia? vel cum scientia nos esse natos, vel reminisci posteà quorũ prius scientiã acceperimus? Ambigo vtrum in præsentia Socrates eligã. Quid verò? potésne eligere quid de hoc videatur tibi? [b] Vir sciens potéstne eorum quæ scit reddere rationem, an contrà? Necesse est, ô Socrates, posse. An verò tibi videntur omnes rationem de his quæ modò tractabamus, afferre posse? Optarẽ equidẽ, inquit Simmias, sed multò magis vereor ne cras nullus hic homo sit, qui pro dignitate id sciat efficere. Non igitur ô Simmia, putas omnes hoc intelligere? Nullo modo. Reminiscuntur ergo quæ aliquando didicerant. Necesse est. Quando verò acceperunt animæ nostræ scientiã? Nõ enim postquã homines nati sumus. Nõ certè. Ergo prius. Ita. Erant igitur, Simmia animæ etiã prius quàm in humanã speciẽ deuenirent,

[b] *Nos nõ scire per omnẽ vitam probatur.*

rẽt, seorsum à corpore, intelligentiámq; habe bant. [a]Nisi fortè, ô Socrates, dũ nascimur, ipsas scientias accipimus. Nam id etiã tẽpus reliquũ est. Esto sic, ô amice. Sed quónam alio tẽpore eas amittimus? Non enim habentes iã eas nascimur, vt modò cõfitebamur. An in eodẽ perdimus, quo & accipimus: an aliud tẽpus dicere potes? Nullo ô Socrates, modo, sed nihil me dicere minimè aduertebã. An ergo sic nobis se res habet, ô Simmia, siquidem sunt ea quæ quotidie prædicamus: pulchrum scilicet quiddam atque bonum, & omnis eiusmodi essentia ad quam omnia sensibus perfecta referimus, quæ & prius erat nostra, & tanquam nostram inuenimus, & hæc ad ipsius exemplar referimus, [b]necesse est ita, vt & ipsa sunt, nostrã quoque animam prius etiam quàm nasceremur, extitisse. At hæc non sunt, frustra vtique ratio hæc tractata esset. An non ita se habet, atque par necessitas est, & ipsa esse, & animas nostras antequã nasceremur, & nisi ipsa sunt, neq; hæc vtiq; sunt? Mirificè, ô Socrates, (inquit Simmias) eadẽ mihi videtur esse necessitas: atq; pulcherrima huc ratio nos perducit: vt similiter tã animã nostrã, quàm essentiã ipsam quã modò dicebas, antè quàm nasceremur extitisse cõfiteamur. Nihil enim tam certũ habeo, quã esse eiusmodi omnia & quidem maximè scilicet pulchrũ ipsum, & bonum, aliáque omnia quæ tu modò dicebas. Et quãtũ ad me attinet, satis est demõstratũ. Quid verò videtur Cebeti? inquit Socrates. Oportet enim illi quoq; persuadere. Satis & illi arbitror persuasum, inquit, Simmias, quamuis omnium repugnantissimus sit, & ad credendum tardissimus. [c]Opinor tamen sufficienter illi probatum, ante ortum

[a] *Nos eo momento quo nascimur scient at ipsas nõ accipere ostenditur.*

[b] *Similiter tam ideæ, quàm animæ nostræ sũt antequã nascamur.*

[c] *Animæ ante ortum nõ extitit.*

noſtrum animam extitiſſe. An verò poſt interitum noſtrũ etiam futura ſit, nec mihi quidẽ ipſi, ô Socrates, ſatis adhuc videtur oſtenſum. Sed nunc etiã reſtat multorum dubitatio illa quã in medium Cebes adduxerat, ne videlicet homine moriente ſimul anima diſſipetur, atq; ita eſſe deſinat. quid enim prohibet fieri quidẽ illã, & aliunde conſtitui, atq; eſſe prius etiã quàm in corpus hominis laberetur, poſtquam verò ab eo diſceſſerit, tunc illam inſuper interire? Rectè loqueris Simmia, inquit Cebes. Videtur enim quaſi dimidium eius quod oportet probatum, antè videlicet quàm naſceretur, noſtram animam extitiſſe: oportere autem id quoque oſtendere, poſtquam mortui fuerimus non minus fore quàm eſſet antequã naſceremur: ſi modò finẽ ſuũ demonſtratio ſit habitura. Demonſtratũ quidẽ eſt, inquit Socrates, iſtud ô Simmia, & ô Cebes, etiam nunc, ſi modò velitis, & id quod modo probatum eſt, & illud quòd ante conceſſeramus, videlicet omne viuẽs ex mortuo fieri, in vnũ connectere. Si enim eſt anima prius, & quũ in hanc venit vitã, fitq; homo, neceſſe eſt non aliunde eam quàm ex mortuis proficiſci: cur nõ neceſſariũ ſit, vt etiã poſt mortẽ corporis maneat, quum oporteat ipſam ad hãc vitã reuerti. Demõſtratum igitur & nunc eſt quod dicitur. Veruntamen videmini tu atque Simmias cupere idem rurſus diligẽtius pertractari: ac forſitan puerorum more formidatis ne reuera corpore egredientem ventus diſſoluat atque diſpergat, præſertim ſiquis non ſereno cœlo, ſed ventis vehementius flantibus moriatur. Ad hæc Cebes ſubridens, tanquam nobis id formidantibus, inquit, ô Socrate contrà perſuadere conare:

a Locus in eos qui verẽtur ne anima mi grans è corpore in auras abeat & diſſipetur.

re: imò verò nõ tanquã formidãtibus nobis, sed fortasse est inter nos puer aliquis talia metuẽs. huic ergo annitamur persuadere, ne mortẽ ceu laruas pertimescat. Oportet certè, inquit Socrates, huic mederi carminibus quotidie, quoad sanus efficiatur. Sed vbinam inquit Cebes, medicũ eiusmodi nãciscemur, ô Socrates, quando tu nos deseris? Ampla est, inquit, ô Cebes, Græcia, in qua sunt viri boni, quàm plurimæ sunt barbaræ nationes, per hos omnes, eiusmodi medicum debetis perquirere, ne que pecuniis parcẽtes, neque laboribus. Nihil enim est pro quo cõmodius pecunias expendatis. Perscrutãdũ quoque est etiã inter vos ipsos. fortè enim nõ facilè inuenietis, quimelius quàm vos id queat efficere. Fiet quidẽ, inquit Cebes, sed redeamus iam, si tibi placet, vnde digressi sumus. Mihi quidem placet, inquit. Quid enim prohibet? Recte respondes, inquit Cebes. Annon tale aliquid, inquit, à nobis ipsis sciscitari debemus? Cuinam conueniat ea passio, per quam dissolui possit. Et cui sit metuendum, ne id patiatur. Et secũdum quã eius partem: deinde considerare vtrùm anima sit: demũ ex his animæ nostræ gratia vel cõfidere, vel timere. Vera loqueris, inquit. Nónne igitur ei quod cõponitur, iámque compositũ est, natura id pati conuenit, vt quatenus est cõpositum, dissoluatur? Siquid verò non sit cõpositum, huic soli conuenit, non eadem pati quæ alij cuipiam. Mihi quidẽ sic apparet, inquit Cebes. An non quæ semper secundum eadem eodémque modo se habent, inquit, hæc maximè esse conuenit simplicia? Quæ vero aliàs aliter, nec vnquã secundum eadem hæc esse composita? Ita equidem opinor. Redeamus iam ad illa, ad quæ

in superiori disputatione processimus. Ipsa essentia cuius interrogando respondendóque definitionem hoc ipsum quod est assignauimus, vtrùm eodem modo, & secundum eadem se semper habet? an aliàs aliter? videlicet & ipsum æquale, ipsum pulchrum, ipsum vnumquodque quod est ens, vtrum mutationē aliquando aliquam ipsa recipiunt, an ipsorum vnumquodque semper id quod est vniforme existens ipsum per seipsum eodem modo, & secundū eadem se habet, neque vnquam neque vsquā nec vllo pacto mutationem aliquā suscipit? Necesse est, ô Socrates, hæc, inquit Cebes, eodem modo, & secundum eadem se semper habere. Quid autem dicemus de multis, inquit, quæ nmiliter pulchra dicuntur, scilicet hominibus, equis vestibus, vel aliis quibuscunque talibus, quæ vel pulchra dicuntur, vel æqualia, vel etiam de omnibus quæ illis synonyma sunt? nū hæc secundū eadem se semper habent? An potius omnino contrà quàm illa videlicet neque ipsa sibimet, neque inuicē vnquam, vt simpliciter loquar, vllo pacto, secundum eadem eodémque modo se habent? Hæc, ô Socrates, inquit Cebes, nunquam eodé modo sunt. Et hæc quidem tangi, videri, aliisque sensibus attingi possunt. Quæ verò semper secundum eadem permanent non alio modo quàm sola intelligentiæ ratione percipiuntur, sūntque inuisibilia quæ talia sunt, neque cernuntur. Vera omnino loqueris, inquit. Vis ergo duas rerum species ponamus, alteram visibilium, inuisibilium alteram? Ponamus, inquit. Et inuisibile quidem modo semper eodē esse, visibile verò nunquam eodē? Hoc quoque ponamus, inquit. Age iam, aliúdne

Iúdne in nobis est, quàm hoc quidē corpus. illud verò anima? Nihil aliud, inquit. Vtrinam speciei corpus esse similius cognatiúsque dicimus? Nemini dubiū, inquit, quin visibili. Quid verò anima? Visibiléne aliquid est, an contrà. Non hominibus quidē, ô Socrates, inquit. Atqui nos de iis duntaxat, quæ ab hominū natura videri, vel non videri possunt, loquebamur. An de iis quæ ad aliam naturā spectant, tractabamus? De iis duntaxat quæ ad humanā, inquit. Quid ergo de anima dicebamus? visibilem esse an inuisibilem? Non visibilē. Inuisibilem ergo? Ita. Anima igitur inuisibili speciei similior est, quàm corpus. Corpus verò visibili. Necessarium id est omnino. Annon & hoc euenire in superioribus dicebamus? Vt cùm anima ad aliquid considerandū sociam sibi corpus assumit, vel per visum, vel per auditū, vel per aliū sensum (hoc enim est per corpus considerare, quia per sensus id agitur) tunc quidē à corpore trahatur ad ea quæ nunquā eodem modo sunt, atque ipsa aberret, perturbetúrque & quasi ebria vacillet, vtpote quæ talia quædā attigerit. Prorsus. At verò quoties ipse animus per seipsum excogitat, illuc se confert ad purū, sempiternum, immortale semper eodem modo se habens: & tanquā ipsius cognatus semper inhæret illi, quoties ipse redierit in seipsum, eíque liceat, cessēque ab errore: & circa illa semper secundū eadem eodē modo se habet, vtpote qui talia iā attigerit. Atque hæc eius affectio prudentia nominatur. Præclarè inquis ac verè omnino loqueris, ô Socrates. Vtri igitur speciei rursus tibi videtur, ex his quæ & in superioribus & modò dicta sunt, anima esse similior atq; cognatior? Arbitror equidē,

ô Socrates, quemlibet, inquit, vel indocilem prorsus, & pertinacem ex hac discursione concessurũ animã & per totũ & per omne, similioré esse ei quod semper eodẽ modo est, quàm oppositio. Quid autem corpus? Alteri speciei. Cõsidera rursus hoc pacto. Quandiu in eodem sunt anima atque corpus, hoc quidẽ seruire atque subesse natura iubet, hãc verò præesse atque dominari. Secundum hæc rursus vtrum tibi videtur simile esse diuino, vtrũ mortali? An nõ putas diuinũ quidem tale esse natura, vt præsit & ducat? Mortale verò, vt subiiciatur ac seruiat? Puto equidem. Vtri igitur horum est anima similis? Constat, ô Socrates, animã quidem similem esse diuino, corpus verò mortali. Animaduerte iã, ô Cebes, num hæc ex omnibus quæ à nobis dicta sunt, consequantur. Videlicet ipsi diuino, immortali, intelligibili, vniformi, indissolubili, semper eodem modo, & secundũ eadem seipsum habenti animã esse simillimã: humano verò, mortali, nec intelligibili, multiformi, dissolubili, nunquam eodem modo sibimet se habenti, simillimũ esse corpus. Possumúsne, ô amice Cebes, præter hæc aliud quicquam afferre, quò minus ita sit? Non possumus. Quid ergo? Cùm hæc ita se habeant, nónne corpori conuenit vt breui soluatur? Animæ verò, vt omnino indissolubilis sit, vel aliquid rei omnino indissolubili propinquũ? Quidni? Cernis igitur postquam mortuus homo fuerit, quod in eo visibile est corpus, & in loco visibili positum, quod cadauer appellamus, cui conuenit vt dissoluatur, concidat, diffluat, nihil horum subitò pati, sed siquis corpore perbellè affecto decesserit, satis multo tempore, idq. etiã in ea ipsa venustate permanere.

a Animã natura diuina, immortali, intelligibili, vniformi, indissolubili, simili est. ergo indissolubilis & immortalis.

Corpus

Corpus enim postquam cecidit & condîtum fuit quemadmodum in Ægypto faciunt, incredibile quoddam tempus fermè integrum manet. Quinetiam si putrescat, tamen nonnullæ corporis partes, ossa videlicet, neruique, atque similia, vt ita dicam, immortalia permanent. Annon? Ita. Anima verò quæ inuisibile quiddã est in similẽ quendam aliúmque locum, migrans, excellentem, purum, inuisibilem, ad inferos, reuera ad bonum sapientémque Deum, quò si Deus voluerit, paulò pòst meo quoque animo est migrandum: anima inquam talis, talique natura prædita, nónne cùm primum à corpore liberata fuerit, dissipabitur atque interibit, vt multi putant? Permultum abest, ô dilecte Cebes atque Simmia: imò multò magis itasse res habet, siquidẽ pura discesserit corporeum nihil secũ trahens, vtpote quæ nihil cum illo in vita lubens cõmunicauerit, sed fugerit illud, séque in se collegerit, tanquam semper id meditata: quod quidẽ nihil est aliud quàm rectè philosophari, mortémque reuera facilè meditari, an non hæc est meditatio mortis? Est omnino. Anima igitur, sic affecta nónne ad sibi simile diuinum abit, diuinum & immortale sapiens? quò cùm peruenerit, euadit felix, ab errore, ignorantia, timoribus ferísque amoribus, cæterísque humanis liberata malis: & quémadmodũ de initiatis dici solet, reuera reliquũ tempus vitã cum diis agit? Itáne dicendũ est, ô Cebes, an aliter? Ita per Ioué, inquit Cebes, [b] sin autem polluta impurá que à corpore decedat, vtpote quæ corpus semper amplexa ipsum dũtaxat coluerit & amauerit, eiúsque voluptatibus & cupiditatibus quasi veneficiis quibusdam deli-

[a] *Quò abeat excedens è corpore eorũ qui verè philosophati sũt Anima.*

[b] *Quis sit status animarũ quæ corpori, corporeísque curis & voluptatibus addictæ fuerunt in hac vita postquam è corporibus solutæ sunt.*

nita fuerit,& vsqueadeò capta, vt nihil aliud putet esse verum, nisi quod corporeum sit, quod tangi,quod videri possit, quódue bibat, & quod edat,& quo in venereis vtatur:quod verò oculis quidem obscurum & inuisibile sit,veruntamen intelligibile, & philosophia comprahendendum habere odio consueuerit,formidaréque & fugere: sic,inquam,institutam animam putásne ipsam per se syncerám enadere? Nullo modo,inquit. Sed infectam inuolutámque,vt arbitror,contagione corporea, quam consuetudo congressúque cum corpore propter continuam familiaritatem, plurimúmque eius cultum effecit quasi congenitam? Ita putamus. Ponderosum verò, ô quid putandum est,& graue terrenúmque,& visibile,quod anima eiusmodi secum trahit: ideóque ab eo grauatur, & rursus ad visibilem trahitur locum metu inuisibilis, atque occulti: &,quemadmodum fertur, circa monumenta sepulchráque versatur,circa quæ iam nonnulla apparuerunt animarum vmbrosa phantasmata,qualia præferunt simulachra tales animæ,quæ videlicet non puræ decesserunt à corpore,sed visibile aliquid trahentes, quò fit vt videri possint.Consentaneum est ô Socrates.Consentaneum tamen,ô Cebes, non esse has bonorum animas,sed malorum, quæ circa hæc oberrare coguntur, pœnas dantes vitæ improbè actæ Itaque tam diu circumuagantur,quoad cupiditate naturæ corporeæ comitante,rursus induant corpus. Induunt autem, vt decens est, eiusmodi mores quales in vita exercuerunt. Quales dicis mores,ô Socrates?Eiusmodi eos quidem qui venti i petulantiæ, gulæ dediti vitam egerunt, neque quie-

quam

quam pensi pudorisque habuerunt, decens est asinorum formas & eiusmodi brutorum subire. An non putas? Consentanea loqueris. Qui verò iniurias, tyrannides, rapinas præ cæteris sequuti sunt, in luporum, accipitrum, miluorũ genera par est pertransire. num aliò has migrare dicendum est? Ita potissimùm, inquit Cebes. Similiter inquit ille, & in cæteris, abeunt enim in genera quælibet, quibus in vita mores similes contraxerunt. Manifestum inquit. quídni? a Nónne horum felicissimi sunt, & in optimum proficiscantur locum, quicunque popularem ciuilémque virtutem, quam temperantiam & iustitiam nominant, exercuere absque philosophia quidem atque mente, sed ex consuetudine exercitationéque acquisitam? Quónam pacto hi felicissimi sunt? Quoniam decens est hos in tale quoddam genus iterum ciuile mitéque demigrare aut apum, aut vesparum, vel formicarum, aut etiam in idem rursus genus humanũ, modestóque ex illis homines fieri. Ita decet. In deorũ verò genus nulli fas est peruenire, præter quàm iis, qui discendi cupiditate flagrantes, & philosophati sunt, & puri penitus decesserunt. Horum quidem gratia, ô amice Simmia atque Cebes, qui rectè philosophantur, ab omnibus corporis cupiditatibus abstinent, atque ita perseuerant, nec se illis vnquam tradunt neque familiæ iacturam paupertatémque formidant, quemadmodum multi pecuniarum cupidi, neque rursus contemptum atque ignominiam, quemadmodum qui magistratus ambiunt & honores: deinde ab his abstinent. Neque enim deceret, ô Socrates, inquit Cebes. Non per Iouem. Quamobrem hi qui animum suum curant, neque cor-

a *Eorum qui hic politicã & ciuilem virtutẽ exercuerũ, sine contẽplatione eius & verè est, anima cui se exactũ tẽporum spatiũ trãsit in alia corpora mitiũ & gregalium animantiũ, aut etiam hominũ atq; ibi similem superiori vitã exigit.*

pori colendo seruiunt, spretis omnibus, haud quaquam ea gradiuntur via, qua superiores illi quos narrauimus, qui videlicet quò proficiscantur ignorent. Ipsi verò existimantes philosophiæ eiúsque solutioni & purgationi repugnandum non esse, hanc ea sequuntur via quà eos ipsa ducit. Quonam pacto ô Socrates? Dicam equidem, inquit. [a]Cognoscunt profectò viri discendi cupidi quòd philosophia eorum animam suscipit reuera ligatam in corpore, atque implicitam, ac per ipsum quasi per carcerem quendam res considerare coactam: cúmque per seipsam id non faciat, omni prorsus insciția inuolutam: cognoscunt præterea, quemadmodum philosophia perspiciens quã grauiter corporeum vinculum astringat animam: quippe cùm per ipsam fiat concupiscentiam, per quam deuinctus animus adiutor sit ad seipsum deuinciendum: cognoscunt inquã, viri scientiæ cupidi quòd philosophia eorum animam ita constitutam suscipiens, paulatim instruit, soluerèque aggreditur, ostendens quã fallax oculorum, quàm fallax auriũm, cęterorúmque sensuum sit iudicium, suadens ab his discedere, quatenus hærere illis summa non cogat necessitas, séque in seipsam reuocare atque colligere, nec vlli credere præterquam sibi, quatenus videlicet ipsa per seipsam intelligat quodlibet eorum quæ sunt, per seipsum. Quòd verò ipsa per alia consideret existens in aliis aliud, nihil existimare verum, esse verò eiusmodi quidem sensibile atque visibile: quod autem ipsa per se consideret, intelligibile atque inuisibile. [b]Huic ergo solutioni veri philosophi animus repugnandum non esse iudicans, sic à voluptatibus, cupiditatibus, dolo-

ribus,

[a] *Quomodo, & cur, seuocent animũ à corpore philosophi.*

[b] *Hoc maximũ malum cõsequuntur homines dũ voluptatib. & doloribus indulgent, quòd ea quæ sẽsibilia videntur maximè vera esse putent.*

ribus, timoribus, pro viribus abstinet: iudicans quando quis vehementer delectetur, vel metuat, vel doleat, aut cupiat, haud tantum ab his pati malum, quantum & quale quis forsan existimarit, videlicet si propter concupiscentias vel ægrotet quispiam, vel pecunias consumpserit: sed quod malorũ omnium maximũ & extremum est, perpeti, neque tamen illud animaduertere. Quidnam hoc, ô Socrates, est? inquit Cebes. Quòd videlicet cuiusuis hominis anima cogitur delectari simul vel dolere circa aliquid vehementer, & putare illud circa quod hoc maximè patitur, manifestissimum esse atque veriſſimum, cùm longè sit secus. Hæc autem maximè sunt quæ visibilia sunt, nónne? Omnino. An non in hac passione anima quàm maximè ligatur à corpore? Quónam pacto? Quoniam omnis voluptas atque dolor quasi clauum tenens animam corpori affigit, atque connectit, efficítque corpoream adeò, vt iam opinetur ea esse verè quæ suad. at corpus, nempe ex eo quòd eadem opinetur cum corpore, eisdémque oblectetur, cogitur, vt puto, eiusdem moris, eiusdémque animoniæ fieri: vt nunquam possit pura in vitam alterã proficiscí, sed semper plena corporis labe egrediatur, ideóque citò cadat rursus in aliud corpus, & quasi sata iterum innascatur, atque propterea à commercio diuinæ puræ, vniformis essentiæ aliena prorsus euadat. Veriſſima, inquit Cebes, narras, ô Socrates. Horum igitur gratia, ô Cebes, qui iustè sunt discendi cupidi, temperantiam, fortitudinémque sequuntur, non autem illorum, quorum gratia censet vulgus. An tu putas? Minimè quidem. Non certè. Sed ita veri philosophi animus cogitaret, nec

vllo modo arbitretur, cùm ipsum philosophia soluerit, oportere iterum voluptatibus dolorib́usque se dedere, iterúmque vinciri, atque irritum opus facere, quasi telã Penelopes retexentem. Imò verò horum tranquillitati studés sequénsque rationem ac semper in ea permanens, verum, & diuinum, opinionémque supereminens contemplatur: à quo nutritus ita videndum censet quam diu viuat, atque sperat se vbi decesserit in cognatum atque tale migrantem ab humanis eximi malis. Ex huiusmodi quidem educatione & exercitatione nõ est cur metuat, ô Simmia, & Cebes, ne cùm recedat à corpore, distrahatur, & dissipetur, omnísque in ventos vita recedat, & superfit nihil quicquam.

Cvm hæc Socrates dixisset, longum factum est silentium: & ipse quidem Socrates, quę dicta fuerant secum, vt videbatur, repetebat, idémque plerique nostrûm faciebant. Cebes autem & Simmias parumper insuper inter se locuti sunt. Hos ergo intuitus Socrates Quidnam vobis, inquit, de his quæ dicta sunt, videtur? An fortè aliquid insuper in his desideratis? Multæ enim adhuc dubitationes obiectionésque supersunt, siquis sufficienter ea sit tractaturus. Si igitur aliud quiddam inter vos agitatis, nihil dico. Sin autem in his quæ dicta sunt hæsitaris, ne vereamini loqui atque percurrere, siqua in parte putatis melius dici posse. Quinetiam socium assumite, si mecum id commodius fieri posse existimatis. Verum equidem, inquit Simmia, tibi ô Socrates, fatebor. Iamdudum ambigens vterque nostrûm impellit alterum iubetque interrogare propter audiendi cupiditatem. Veremur autem,

ne

ne id tibi ob præsentem calamitatem sit ingratum. Hæc Socrates audiens, leniter arrisit, dicens, Papæ, ô Simmia, quàm difficilè aliis persuaderem hanc me fortunā haudquaquā aduersam existimare, quando ne vobis quidem id persuadere possum. Quippe cùm metuatis ne difficilior mœstiórque sim in præsentia, quàm in superiori fuerim vita. Atque, vt apparet, inferior cygnis ad diuinandum vobis esse videor. Illi quidem quando se breui præsentiunt morituros, tunc magis admodū dulciúsque canunt, quàm anteà consueuerint læti quòd ad Deum sint cui seruiunt, iam migraturi. Homines verò cùm ipsi mortem expauescant, cygnos quoque falsò criminantur, quòd lugentes mortem ob dolorem cantum emittant. Neque animaduertunt nullam esse auem quæ cantet, quando esuriat, aut rigeat, aut quouis alio dolore afficiatur. Non ipsa philomela, nec hirundo, nec vpupa, quam ferūt præ mœrore cantare lugentem. At mihi neque hæ aues præ dolore videntur canere, neque cygni. Sed quia Phœbo sacri sunt, vt arbitror, diuinatione præditi præsagiūt alterius vitæ bona: ideóque cantant alacrius gestiúntque ea die, quàm superiori tempore. Equidem & ego arbitror me cygnorum esse conseruum, eidémque Deo sacrum, neque deterius vaticinium ab eodem domino habere, quàm illos, neque remissiore animo è vita decedere. Quapropter licet vobis dicere, & interrogare quicquid libet, quandiu Athenienſium vndecimuiri sinunt. Præclarè loqueris, inquit Simmias. Itaque & ego tibi aperiam qua in re dubitem & rursus hic Cebes quidnam ex superiori disputatione

minus admittat. Mihi enim videtur, ô Socrates quemadmodum tibi quoque fortasse, de his quidē rebus manifesta veritas in vita præsenti aut nullo modo, aut summa cum difficultate intelligi posse. Quæ porrò de his dicuntur, ea non omni modo explorare, & non prius desistere, quàm examinando omnia defatigeris, mollis nimium iudico esse viri oportet enim circa hæc alterutrum efficere: aut discere, inueniréque quemadmodum se habeant: aut si hæc fieri nequeant, optimam atque tutissimam humanarum rationum eligere, qua quis ranquam rate vehatur, atque ita procellas huius vitæ pertranseat, si nequeat firmiori quodam vehiculo, vel diuino aliquo verbo tutius ac minori cum periculo tranare. Atque ego nunc non verebor interrogare præsertim cùm ad hoc ipse nos adhorteris, ne fortè meipsum posthàc sim culpaturus, quòd nunc quæ mihi videantur minimè dixerim. Profectò mihi, ô Socrates, vnà cum hoc Cebete tua dicta reputanti haud satis confirmata videntur. Forsan, inquit Socrates, verè, ô mice, opinaris. Sed dic qua in parte minus sufficienter dicta fuisse censeat. In hac vtique, inquit Simmias. [a] Nempe de harmonia, & lyra, & chordis idem posset quispiam dicere, harmoniam videlicet esse inuisibile quiddam & incorporeum, & perpulchrum atque diuinum in lyra ritè temperata: ipsam verò lyram chordásque corpora esse, atque corporea, & composita terrestriáque, & mortali cognata. Cùm igitur aliquis vel lyram fregerit, vel chordas inciderit, siue disruperit, poterit quis eadem qua tu ratione affirmare, necessariū esse illā superesse harmoniā, neque disperdi. Neque enim vllo modo

[a] *Opinio eorū qui Animā putant esse harmoniam explicatur.*

modo fieri posset, lyram quidem esse adhuc chordis iam disruptis, atque ipsas chordas mortalis generis: harmoniam verò, quæ diuini & immortalis cognata erat, prius quàm mortale illud interisse. Ille verò diceret adhuc esse alicubi harmoniam, atque prius ligna & chordas putrefactum iri, quàm illa aliquid patiatur. Arbitror equidem, ô Socrates, te hoc animaduertisse, nos tale aliquid potissimum esse animam arbitrari. Esse videlicet in corpore nostro intentionem, & complexionem quandam ex calido, frigido, sicco, humido, cæterisque talibus, horúmque temperantiam cõsonantiámque nostram animam esse, resultantem videlicet in corpore nostro postquã hæc ipsa bene moderatéque inter se temperata fuerint. Si ergo anima harmonia quædam est, quoties nostrum corpus propter morbos aliáque mala immoderatè vel remittitur, vel intenditur, necesse est animam quidem, quãuis diuinissimam subitò interire, sicut solent cæteræ consonantiæ, siue quæ in vocibus, siue quæ in aliis artificum operibus fiunt: reliquas autem corporis cuiusque diutius permanere, quousque vel ardeant, vel putrefiant. Considera igitur quid huic rationi sit respondendum, si quis censeat animam temperamentum quoddam esse eorum quæ sunt in corpore, priorémque in morte perire. Tunc Socrates quemadmodum sæpe solebat, intuens acrius atque ridens, Iustè, inquit, tu quidem loqueris Simmia. Si cui ergo vestrûm vberior ad respondendum facultas est quàm mihi, cur his non respondit? Non enim malè rationem attigisse videtur. Iudico tamen antequam respondeatur, quid Cebes quoque damnet esse audiendũ,

vt tempore interiecto deliberandi habeamus facultatem. Deinde his auditis, vel his concedendum si consentanea vera videantur afferre: sin verò minus, rationem superiorem defendendam esse atque retinendam. Quamobrem dic age, ô Cebes, quidnam potissimùm te turbet, quo minus assentiaris. Dicam, inquit Cebes. Mihi quidem videtur eodem reuolui, eidémque quod in superioribus diximus, crimini obnoxia esse. Quòd enim fuerit anima nostra prius quàm in humanam descenderet speciem, haud equidem retracto, quin bellissimè dictum fuerit: ac nisi dictu esset graue sufficienter demonstratum asseuerarem. Attamen nobis mortuis superesse, non eo modo probatum videtur. Neque tamen Simmiæ concedo obiicienti non esse animam validiorem corpore atque diuturniorem. Videtur enim mihi his omnibus anima præstare quàm plurimum. Hîc ergo ratio superior (ad me conuersa) sic inquiet. Quid adhuc ambigis? Cum videas homine defuncto, quod in eo imbecillius fuerat superesse nónne tibi videtur, quod diuturnius est, hoc ipso in tempore etiam seruari? Aduerte igitur, quid ad id respondeam. Similitudine mihi quoque opus est quemadmodum Simmiæ. Profectò mihi perinde hæc dici videntur, ac si quis de homine textore sene defuncto diceret, nondum interiisse illud, sed fortè alicubi superesse, coniecturámque afferret vestem, qua ipse cùm texeret, induebatur, asserérétque eum adhuc esse incolumen, neque interiisse: ac si quis ei non credat, interrogaret vtrum diututnius sit hominis genus, an vestis qua quotidie quis vtatur. quòd si respondeas genus humanum diu-

a Excipit Cebes aduersa quæ dixerat Socrates de immortalitate animæ post ipsius egressũ è corpore: & adhibita similitudine ostendit non sequi, vt etiam si diutiũ duret Anima quàm corpus: sit propterea corpori oppositum exitũ superstes.

diuturnius esse, tunc demonstratum id esse putaret, videlicet multò propterea magis sospitem esse hominem, quandoquidem quod in eo erat fragilius nondum perierit. Hoc autem ô Simmia, ita se habere non arbitror. Sed considera tu quoque quid dicam. Etenim quiuis intelligeret inepte illud adduci. Nam hic textor qui multas contriuerit vestes multásque texuerit multis quidem posterior obiit cùm multæ essent, vltima verò prior: neque propterea magis sequitur hominem esse veste viliorem atque debiliorem. Eandem fieri similitudinem animæ ad corpus posse arbitror: ac si quis de his eadem illa adducat, congruè dicere videretur: videlicet animam quidem esse diuturniorem, corpus verò debilius, minúsque diuturnum? verùm diceret quemlibet animorum plura consumere corpora, præsertim si multos viuant annos. Si enim fluat corpus, hominéque etiam viuente dissoluatur, anima verò quod consumitur, retexat continuè, necessarium tamen erit quãdo perierit anima tunc vltimam habere vestẽ, eáque sola priorem perire. Cũ verò perierit anima, tunc demum imbecillitatem naturæ suæ corpus ostẽdere citò putrescẽs atq; euanescẽs: vt hac ratione nondum confidere valeamus tunc etiam cum decesserimus animam nostrã supersesse. * Nam si quis dicenti etiam plura quàm quæ tu dicis, concesserit, nec solùm ante ortum nostram animam extitisse, verùm etiam nihil prohibere etiam post obitum quorundam remanere, sæpiúsque accedere ac decedere fateatur, adeo enim naturam animæ validam esse, vt sæpius corpori indita se corpúsque seruet: his tamen concessis, nondum

* *Nec sequitur etiã vt quãuis per aliquot generationes diuersa subeat corpora, anima, propterea perpetuò duret, & sinu expers nũquam dissoluatur.*

illud tibi daret, non defatigati in multis generationibus animam, sed tandem aliqua ex pluribus morte diceret omnino deleri. Quin etiam adderet neminem mortem illam dissolutionémque corporis quę animæ quoque interitum infert, posse scire: esse enim impossibile vt quisquam nostrûm id sentiat. Quod quidem si ita se habeat nemo non stultè in morte confidit, nisi demonstrare possit animam omnino immortalem atque indissolubilem esse. Alioquin consentaneum est necessarium esse, vt qui moriturus est, animæ metuat suæ, sempérque sit solicitus ne in ea quæ proximè imminet, corporis disiunctione prorsus intereat. Omnes igitur cùm hæc dicentes audiuissemus conturbati sumus, vt postea inter nos aperuimus, quòd cùm superiori disputatione nobis fuisset magnopere persuasum, rursus viderentur nos perturbasse, atque eò iam deiecisse vt nedum rationibus iã adductis, sed & dicendis insuper fidem vllam adhiberemus, verentes ne vel nos nequaquam boni essemus iudices, vel res ipsæ fide essent indignæ. ECHEC. Veniam equidem per Deos do vobis, ô Phædo. Nam mihi quidem modò te audienti, tale quiddam veniebat in mẽtem Cuínam tandem rationi credam? quippe cum ratio illa Socratis vsque adeò paulò antè probabilis, iam fidem amiserit. Mirum est enim quantum apud me contrà possit ratio illa, sempérque potuerit, quæ animam nostram harmoniã quandã esse probat & nũc quidem audita mihi subitò in memoriã reuocauit, quòd idẽ mihi quoque antea visum esset. Quo efficitur vt alia quadã ratione iterum tanquam ab initio prorsus indigeã, quæ mihi per-

persuadeat animam cum corpore non interire. Dic ergo per Iouem precor, quo pacto disputationem peregerit Socrates, & vtrùm ipse quoque, quemadmodum de vobis ipse fateris, grauiter id ferre visus fuerit, an contra benignè suã defenderit rationem: præterea vtrùm satis néene eam tutatus fuerit: hæc nobis quã potes diligentissimè refer omnia. PH. Equidé ô Echecrates, sæpe admiratus Socratem, nunquam maiori cum voluptate, quàm tunc præsens sum admiratus. Habuisse quidem illum quod obiectionibus responderet, fortè non est mirandum sed hæc potissimum in eo sum admiratus, primò quidem, quàm iucundè, benignè, amicè adolescentium verba recepit: deinde quàm sagaciter sensit nos illorum rationibus fuisse commotos: demùm quàm opportunè nobis adhibuit medicinam, & quasi fugientes atque victos reuocauit nos, conuertítque ad prosequendum, atque vnà sermonem considerandum. ECH. Quónam pacto? PH. Dicam equidem. Sedebam fortè ad dexteram eius in subsellio quodam humili, iuxta lectulum. Ipse verò sedebat longè superior: attrectans igitur caput meum, compriménsque crines super ceruicem (consueuerat enim nonnunquam, vbi ita res ferebat, in meos crines ludere) cras fortsitan, inquit, ô Phædo, istas pulchras incides comas, Sic arbitror, inquam, ô Socrates. Non certè, si me audies, inquit. Quid hoc, inquã ego! Imò hodie & ego meas, & tu tuas, si nobis ratio intereat, neque eam ipsi suscitare possimus. Atqui si ego tu essem, ac me fugeret ratio, more Argiuorum iurarem non prius comam nutriturum, quàm viciissem Simmiã, Cebetémque expugnauissem.

At verò inquam ego, contra duos ne Hercules quidem dicitur ſuffeciſſe. At tu me Iolaum, dum lux eſt aduoca, inquit. Aduoco equidem inquam, ſed non tanquam Hercules Iolaum, imò tanquam Iolaus Herculem. Nihil refert, inquit. In primis verò cauendum ne quid nobis accidat. Quídnam, inquam? [a]Ne rationum, inquit, oſores euadamus quemadmodum nonnulli hominum oſores fiunt. Nullum enim maius quàm hoc malum nobis poſſet accidere, videlicet ſi rationes odio habuerimus. Fit autem eodem pacto odium & aduerſus rationes, & aduerſus homines. Odium quidem contra homines tunc maximè ſubit, quando alicui nimium credimus abſque arte putamúſque ipſum omnino verum & ſyncerũ fidúmq; virum eſſe, deinde verò mox prauũ infidúmque deprehendimus, rurſúſque alium eodẽ pacto. Itaque quando alicui ſæpe id acciderit, præſertim ab iis quos præcipuè familiariſſimos amiciſſimóſque exiſtimabat tandẽ ſæpe offenſus odit vniuerſos, putátque nihil omnino apud quenquã eſſe ſyncerum. Ante latuit id ita accidere conſueuiſſe? Animaduerti equidẽ, inquam. An non turpiter inquit, & abſque humanarũ rerum arte hic aggreditur hominibus vti? ſi enim ex arte vti ſtuderet, cogitaret vtique rẽ ipſam ita ſe, vt habet, habere, videlicet homines veheméter bonos, aut malos perpaucos eſſe, medios verò plurimos. Quo id pacto, inquã, dicis? Quemadmodũ videlicet in rebus contingit valdè aut paruis, aut magnis, inquit. An tu arbitraris quicquã eſſe rarius, quã valdè magnũ, aut valdè paruũ reperire hominem vel canẽve quoduis aliud? Atq; rurſus celerrimũ, & tardiſſimũ, pulcherrimũ, turpiſſimũ, albiſſimum,

[a]Nequaquam ob falſitatem & debilitatẽ rationis & diſputationis cuiuſ. oẽs rationes diſputationes ſunt reijciendæ & condemnandæ: ſed ſingulæ ſunt ponderandæ & examinandæ, veræq; à falſis, probabiles à neceſſarijs diſcernẽdæ.

mũ nigertimũ? An ignoras in his omnibus extremorũ ſumma rara quidẽ & pauca eſſe, media verò frequentia atque multa? Sic arbitror, inquã. Nónne igitur arbitraris, inquit, ſi improbitatis proponeretur certamẽ, admodũ paucos in hoc genere ſummos inueniri? Conſentaneũ eſt inquã. Conſentaneũ quidẽ, inquit: verũ nó hoc pacto ſimiles rationes ſunt atq; homines, ſed te nunc ducentem proſequar: imò verò in hoc ſimilitudo conſiſtit, quãdo videlicet quis abſque rationũ arte, crediderit rationem aliquã eſſe veram, ſed paulò pòſt appareat falſa, quæ quidẽ aliquando talis eſt, aliquando minimè. & rurſus altera ſimiliter atque altera. Præcipuè verò illis id euenit, qui plurimũ rationes contradictorias agitant. hos enim ſcis putare tandẽ ſe ſapientiſſimos euaſiſſe, ſolóſq; animaduertiſſe, neque in rebus, neque in rationibus eſſe ſanũ aliquid aut firmũ, ſed omnia reuera tanquã in Euripo ſurſum deorſúmque iactari, nullúmque tẽpus in aliquo permanere. Sanè quidẽ vera hæc dicis, inquam. Nónne, inquit, hoc Phædo miſerabile eſſet, ſi cùm ratio aliqua vera firmáque ſit, comprehendíque valeat, poſtea tamen auditis huiuſcemodi rationibus quæ modò veræ modò falſæ videntur, aliquis, non ſeipſum, neque ſuã ipſius inertiã accuſet, ſed tandẽ præ dolore libenter culpã oẽm à ſeipſo, in ipſas tranſferat rationes, & in reliqua vita eas odio habeat, atque vituperet, rerũ iam ipſarũ veritate ſcientiáque priuatus. Per Iouem, miſerabile, inquam, id eſſet. In primis igitur, inquit, diligenter id caueamus, ne perſuadeamus nobis nihil in rationibus eſſe ſanum, ſed multò magis nondũ eſſe nos ſanos. Itaque totis viribus,

vt sani efficiamur, est annitendum: tibi quidē & aliis totius reliquæ vitæ gratia, mihi verò mortis ipsius causa: qui in periculo sum, ne in hoc ipso tempore, non vt philosophum hac in re me gerā, [a] sed vt contentiosum atque pertinacem, quod quidā homines à disciplina alieniſſimi facere solent. Illi enim vbi aliqua de re ambigitur, non vt res ipsa de qua agitur, se habeat, curant, sed vt quæ posuerunt ipsi, præsentibus videantur vera obnixè contendunt. Atque ego mihi videor in hoc dūtaxat in præsentia ab illis differre, quod non vt præsentibus probē ea quæ dico annitar, nisi quid præter rem fortè contigerit, sed vt mihi ipsi vera quàm maximè videantur. Sic enim cogito dulcis amice, & vide, quāto cū lucro sit ratio mea. Si fortè vera sunt quæ dico, operæpretium est ita credere: sin autem nihil supereſt post mortē, attamen hoc quod mihi vitæ supereſt tempore deplorando, præsentibus minus ero molestus. Hæc autem ignorantia, minimè perseuerabit mecum, malum id enim esset, sed paulò post delebitur. Sic equidem, ô Simmia & Cebes, paratus reuertor ad disputandum, vos tamen, si me audiatis, nulla Socratis habita ratione, sed potissimè veritatis, si quidē verū vobis loqui videor, assentiamini: sin minus, omnino contradicite, diligenter cauentes, ne ego præ nimio studio, meipsum simul vōsque decipiā, & velut apes aculeo relicto abeam.

[a] ἐριστικὸς qui.

Sed iam accedendum est. [b] Primùm quidem redigite in memoriā mihi quæ dicebatis, si minus meminisse vobis videbor. Simmias quidem, vt arbitror, diffidit ac metuit, ne anima, quāuis diuinior pulchriórq; corpore, prius tamē, vtpote quæ species sit harmoniæ, interea

[b] Breuis repetitio exceptionū Simmiæ & Cebetis aduersus ea quæ à Socrate probata erant de animæ immortalitate.

Cebes

Cebes autem mihi visus est concedere diuturniorem esse animā corpore, sed scire posse neminem, an ne cum multa sæpius consumpserit corpora, tandē quādoq; postremū relinquens corpus, ipsa quoque pereat, atque mors eiusmodi tantùm sit interitus animæ, quandoquidem corpus nunquam desinit interire. An non hęc sunt, ô Simmia & Cebes, quæ nos oportet cōsiderare? Confitebantur ambo. Sed an omnia quę dicta in superiorib. fuerāt, negatis? An quę dam negatis, sed alia conceditis? Quædam inquiunt, quædā non. Quid igitur, inquit, de eo quod disciplinam diximus reminiscentiam esse, atque si ita res habeat, necessariò consequi, alicubi fuisse animā prius quàm corpore clauderetur? Mihi quidem, inquit, Cebes, istud dū diceres, mirificè placuit, atque nunc si qua vnquam in alia, in hac maximè sententia permaneo. Similiter ego quoque, inquit Simmias, affectus sum, vehementérque admirarer, si mihi vnquā hac de re aliter videretur. [a] At verò necesse est, inquit, hospes Thebane, aliter tibi videri, si in hac opinione permanseris, harmoniam videlicet esse compositum quoddā: animā verò harmoniam quandam ex his, quæ per corpus intensa sunt, constitutam. Nunquā enim admittes consonantiam compositam prius esse, quàm illa ex quibus componi consonantiam oportebat. An admittes? Nullo, inquit, ô Socrates, modo. Animaduertis igitur, inquit, quòd non eadem tibi dicere contingit, quando dicis animam quidem esse prius quàm in humanam speciem corpúsque deueniret, eam autem ex his quæ nondū sunt, constitui. Neque enim talis tibi est harmonia, quale est id cui tu similem esse dicis. Imò

[a] *Posito, scientiam nostrā esse reminiscentiam: hoc nullo modo stare potest, Animā esse harmoniam.*

verò prius est ipsa lyra,& chordæ,& soni nõdum temperati : tandem verò cõponitur consonantia omnium postrema, primáque dispertitur. Hic itaque sermo quónam pacto tuo illi concinet? Nullo modo, inquit Simmias. At verò sicubi, inquit, verba concinnitatem seruare debent,præcipuè decet esse concinna,vbi de concentu tractatur. Decet nimirum inquit Simmias. Hic igitur sermo tibi dissonat, inquit. Sed vide vtrum ex his duobus eligas,disciplinámne reminiscentiam esse, an potius animum esse concentum ? Primum potius eligo, ô Socrates, inquit. Id nanque alterum absque demonstratione admisi ex verisimili quadam conuenientia, vnde idem videtur & multis. [a] Ego autem ea verba, quæ per verisimilia demonstrationes faciunt, semper inania iudicaui : ac nisi quis caueat, valdè decipiunt, & in geometria, & in cæteris omnibus. Ratio verò de reminiscentia atque disciplina,fundamento innititur fide digno. Dictũ est enim animã nostrã ita esse alicubi,prius etiam quàm laberetur in corpus, vt illa ipsius essentia habeat eius quod ferè est cognomentum. Ego verò hanc,vt mihimet persuadeo,sufficienter rectéque admisi. Nã ob hæc (vt mihi videtur) necesse est,neque meipso,neq; alio id affirmãte admittendum esse, animã harmoniã esse. Quid verò inquit ille,ô Simmia? Videtúrne tibi,vel consonantiæ,vel alteri cuiquã compositioni congruere, vt aliter se habeat, quàm illa ex quibus conflatur? Nullo modo. Neque etiã,vt aliud quicquã, vt arbitror,patiatur,aut agat quàm illa vel agant, vel patiantur. Assensus est. [b] Non igitur conuenit, consonantiã ea præcedere, ex quibus composita est, sed

[a] *Demonstratio longè differt à probabilibus & verisimilibus, quæ exactæ rationibus.*

[b] *Harmonia nõ præcedit ea ex quib. componitur.*

sequi.

sequi. Videtur. Quare [a] permultum abest, vt harmonia in contrarium moueatur, aut sonet, aut quicquam aliud edat partibus suis aduersum. Permultũ, inquit. Quid verò consonantia? nónne eatenus pro natura sua consonantia est quatenus temperatur? Haud satis intelligo. [b] Nónne si magis plúsque temperetur, si modò id amittit, magis plúsque consonantia est? Sin verò minus atque perpaucum, minus perpaucúmque similiter? Omnino. Nunquid de anima id dici potest? [c] Vt vel in minima quadã re alia anima hoc ipsum quod est anima, vel magis, vel plus, aut cõtrà sit quàm alia? Minimè. Dic age per Iouẽ, num animã dicimus aliã quidem habere mentẽ virtutémque atque esse bonã: aliam verò dementiã & prauitatẽ, malámque esse, hæc ne inquam, verè dicuntur? Verè quidem. [d] Eorum ergo qui animam esse asserunt harmoniam, quis quidnã dicet esse animabus? hæc scilicet, vitium & virtutem? an aliam quandam consonantiam atque dissonantiam? & bonam quidem esse consonantẽ, & cùm ipsa consonantia sit, alteram in se consonantiam possidere: malã verò dissonantem & ipsam esse, nec aliam in se habere? Quid respondeam, inquit Simmias, non habeo. Constat tamen eum, qui animam esse consonantiam posuisset, talia quædam responsurum. At verò iam concessum est nihilo magis aut minus aliã alia animam esse. Eiusmodi verò concessio est, neque magis, neque plus, neque minus, neque sub paucioribus gradibus aliam alia consonantiam esse. Nónne? Prorsus. Eam verò quæ neque magis, neque minus consonãtia est, nimirũ neque magis neque minus esse temperatã. Est ita: Est. Quæ verò neq; magis

[a] *Harmonia non mouetur in contrariũ eorum ex quibus componitur.*

[b] *Harmonia magis vel minus temperari potest*

[c] *Anima nẽ est magis anima vna quàm alia.*

[d] *Virtus est consonantia animæ, vitium verò est dissonantia.*

neque minus temperata est, potéstne pluribus paucioribúsve gradibus particeps consonantiæ esse? An potius æque? Æquè potius. Quapropter anima, si quidem neque magis, neque minus alia, quàm alia secundum animæ naturam anima est consequenter neque magis, neque minus est temperata. Est vt dicis. Cùm verò sic affecta sit, nihilo magis consonantiæ est, vel dissonantiæ particeps Nihilo magis. Præterea cùm ita comparata sit, num plus aliquid prauitatis, vel virtutis alia, quàm alia possidet? siquidem prauitas quidem dissonantia est, virtus verò consonantia. Certè plus nihil. [a] Quinimò secundum rectam, Simmia, rationem: nulla vsquam anima prauitate erit affecta, si fuerit consonantia. Quandoquidem consonantia vera, secundum id quod consonantia est nunquam fit dissonantiæ particeps. Nunquam certè. Neque igitur anima, quæ omnino sit anima prauitate inficietur. Quo enim modo, per ea quæ dicta sunt, id fieri posset? Hac igitur ratione omnes animalium omniũ animæ bonæ similiter erunt, si secundum animæ ipsius naturã similiter animæ sint. Mihi quidẽ Socrates ita videtur. Nónne rectè sic tibi dici videtur, atque hæc sequi, si vera esset illa positio, animã consonantiam esse? Nullo modo. Quid verò? ex omnibus, quæ in homine sunt, aliúdne præter animum asseris dominari præcipuè prudentem? Nihil aliud. Vtrùm corporis perturbationibus indulgentẽ an potius repugnantẽ? [b] Dico autẽ tale quiddam: veluti si sub æstu sitis angat, interea tamen aduersatur animus, retrahítque in contrariũ ne bibat: similitérque si premat fames, ne edat: in aliísque quàm plurimis videmus corporis

[a] *Si anima est harmonia, nulla anima vitio est prædita.*

[b] *Animus repugnat nõ nunquã corpori.*

corporis affectibus repugnantem. Nónne? Et quidé maximè. Nónne in superioribus confessi sumus, animā si consonantia fuerit, nunquā dissonaturā his quibus intenditur, vel remittitur, vel vibratur, vel quodcunque aliud patiantur illa, ex quibus ipsa conflatur: sed tecuturā illa nunquā verò ducturā? Confessi sumus: quídni? Quid verò nunc? nónne contrà omnino videtur agere, quippe quæ ea ducit omnia, ex quibus dixerit aliquis ipsam cōstitui? atque fermè omnibus per omnem vitā repugnat, omnibúsque dominatur modis, interdū rigidius & cū doloribus puniens per gymnasticam, atque medicinā, interdum verò mitius castigans comminando, aut monendo aduersus cupiditates & iras, atque timores, tanquam altera quædam res cum altera disputans, quēadmodum Homerus tradidit in Odyssea: Odyss. 7.

Tum pectus pulsans, cor sic affatur Vlysses,
Hoc quoque, cor, perfer, nanque & grauiora tulisti.

An putas Homerum hæc dixisse tanquā harmonia quædā sit, ac talis vt corporis passionibus subiiciatur non autem ducat atque dominetur? an potius quasi quiddā longè diuinius quàm harmonia sit animus? Per Iouem, ô Socrates non mihi videtur. Non ergo, vir optime, rectè harmoniam esse animā diceremus. Sic enim, vt apparet, neque Homero diuino poetæ, neque nobis ipsis consentiremus. Sic est. Age harmoniam Thebanam satis, vt videtur, iam placauimus.

Rationem verò Cadmeā, ô Cebes, quónam pacto, & qua ratione placabimus? Tu mihi viā, inquit Cebes, inuenturus videris. Nēpe ratio-

nem hanc aduersus harmoniã mirificè præter opinionem nostrã excogitasti. Cùm enim audirem Simmiã dubitantẽ, valde admirabar siquis rationibus eius cõmodè respondere posset.] Itaque summæ mihi fuit admirationi, ipsum nec primũ quidẽ potuisse rationis tuæ impetũ sustinere. Quapropter non admirarer, si Cadmeus quoque sermo idẽ pateretur. Parcius ista bone vir, nequa inuidia nobis sequẽtia interturbet. Sed hæc quidẽ Deo curæ erũt: nos autem, vt ait Homerus cõminus congressi periculũ faciamus an fortè quid dicas. [a] Sũma verò eorũ quæ perquiris, est eiusmodi: demõstrandũ esse iudicas animã nostrã neque interitui obnoxiã, neque mortalẽ esse, ne vir philosophus in morte securus, magnáque eũ fiducia sperans in alia vita longè beatiorẽ ob philosophiæ studiũ se futurũ, insipiens sit stultéque confidat. Ostendere autem validũ quiddã esse animã, atque diuinis persimile, priúsq; etiã quàm nos extitisse, nihil impedimento esse ais, quò minus hæc omnia non immortalitatem quidẽ significent, sed duntaxat animã corpore diuturniorẽ esse, multáq; ante nos sæcula fuisse, nouisséque & egisse permulta. nihilo tamẽ magis ob hoc immortalẽ esse existimãdã. imo hanc ipsam in humanũ corpus ingressã quasi morbũ quendã interitus eius initiũ esse: adeò vt & in hac vita sit misera, & tandẽ in corporis morte depereat. Nihil autẽ differre censes siue semel tãtùm, siue sæpius labatur in corpus, vt quiuis nostrũm pertimescat. Meritò nãque timendũ esse, nisi stultus sit, ei qui neque sciat, neque reddere queat immortalitatis animæ rationẽ. Talia quædã sunt quæ dicis, ô Cebes, egó que ea consultò sæpius repeto, ne quid nos fugiat

[a] *Repetitio exceptionis Cebetis.*

giat, siue addere his quicquã velis, siue demere. Nihil equidẽ in præsentia habeo, inquit Cebes, quod aut minuã aut adiungã: atque hæc sunt quæ dico. Tunc Socrates, cùm diutius cõmoratus esset, & apud seipsum quid meditatus, Haud leue quiddã requiris, inquit, ô Cebes. Omnino enim oportet generationis corruptionisque causam pertractare. Ego igitur, si vis, ea tibi quæ mihi euenerunt, enarrabo. Deinde si quid eorũ quæ dixero ad quæstionis tuæ veritatẽ aperiendã conducere putabis, vtêris. Volo equidẽ, inquit. [a] Audi igitur iã narrantem. Equidẽ, ô Cebes, cùm essem iuuenis, mira quadã eius sapientiæ cupiditate flagrabam, quam naturæ vocant historiã. Præclarissimum enim esse censebam causas intelligere, per quas singula fiant atque intereant, & qua sint ratione sapiúsque me sursum deorsúmque iactaui talia quædã primò considerans, vtrùm postquã calidũ & frigidũ putrefactionem aliquã acceperunt, quemadmodũ nonnulli dixerunt, tunc animalia coalescant. Præterea vtrùm sanguis sit quo sapimus, an aër, an ignis: aut nihil horũ sit sed cerebrũ quod præbeat sensus audiendi, viuendi, olfaciendi: ex his autem memoria & opinio fiat, ex memoria verò & opinione quietem accipiente, per hæc scientia oritur. Proinde horum corruptiones considerans, atque eas quæ circa cælũ terrámque passiones contingunt, tandem adeò mihi ad hæc consideranda visus sum hebes, vt nihil magis. Coniecturam verò ad id afferam tibi sufficientem. Ego enim ob eiusmodi considerationem vsqueadeò sum occæcatus, vt ea etiam quæ prius manifestè sciebam, vt mihi aliísque videbatur, dedisceré, & alia videlicet multa, quæ anteà me scire

[a] *Digressio est qua ostẽdit Socrates, se conquisitis diligẽter rerum causis & eo quòd rei scitẽtiam pariat nullã certiorẽ & firmiorẽ causam inuenisse quàm causam formalem, hoc est ideã ipsam quæ sapiãt concurrit cũ sine & eo quod opinium est.*

putabam,& qua ratione homo creſcat. Id nanque opinabar antè eſſe cuilibet manifeſtum, hominem videlicet per cibum potúmque augeri. Quando enim per hæc carnes carnibus, oſſáque oſſibus adduntur, eodémque modo in aliis quando ſua cuique adhibentur, tunc ſanè molem primò paruam, deinde magnam euadere, atque ita paruum hominem effici magnum. Sic ego tunc opinabar, nónne ſatis bellè tibi videor? Mihi quidem, inquit Cebes. Animaduerte hæc inſuper. Arbitrabar enim ſatis rectè mihi videri, quoties hominẽ, vel equum magnũ paruo propinquum, alterũ altero iudicarã capite ipſo eſſe maiorẽ. Atque multò etiã euidentius decẽ plura apparebant mihi quàm octo, propterea quòd denarius duo præter octonarium contineret. Præterea bicubitũ cubitali maius, quoniã dimidio ſuperaret. Nunc verò, inquit Cebes, de his quid iudicas? Procul equidem per Iouem abeſſe mihi videor, vt alicuius horum cauſam intelligere putem qui nondũ mihi ipſi perſuadere poſſum, vt quando quis vni addat, vnũ, tunc vel illud vnum cui vnũ adiunctũ eſt, fiat duo: an & adiunctũ & illud cui adiunctũ eſt, propter alterius ad alterum adiunctionẽ euadat duo? Admiror enim ſi cum vtrunque horum ſeparatũ erat, vtrunque vnũ erat, neque erant tunc duo, poſtquã inuicem cohæſerunt, hæc ipſa cauſa fuerit, vt duo fierent, congreſſio videlicet per quã propius iã poſita ſunt. Neque etiã ſi quis vnũ diuidat, adhuc poſſum perſuaderi hanc ipſam diuiſionẽ cauſam eſſe, vt duo euadant. Contraria enim tunc atque ſuperius cauſa fit, qua duo fiant. Tunc enim quia coniungebantur, propius inter ſe, alterúmque admouebã-

mouebatur alteri: nunc verò quoniam remouetur alterũ ab altero, atque separatur. Neque propter quid vnũ fiat, adhuc scire me arbitror, neque summatim dicã, aliud quicquam quare fiat, aut pereat, aut sit, per hanc ipsam viã me nosse profiteor: sed aliũ quendã ipse modũ frustra misceo, hunc verò nullo modo admitto. Verũ cùm audissem aliquando ex libro, vt ille aiebat, Anaxagoræ, [a] legentẽ quendã hãc Anaxagoræ ipsius sententiã, videlicet mentẽ omnia exornare, omniúmque causam esse: hoc vtique causæ genere magnopere sum delectatus existimans quodãmodo consentaneũ mentẽ esse omniũ causam: putabámque si id ita esset, vt mens omnia exornaret, singula per hãc ita esse disposita, vt optimè disponi poterant. Propterea siquis vellet causam inuenire, qua singula fiant, atque pereãt, aut sint, hoc ipsum esse inueniendũ, qua videlicet ratione optimũ sit vnicuique, aut esse, aut quoduis aliud pati, vel agere. Atque hoc pacto nihil aliud considerandũ homini, vel de seipso, vel de aliis, nisi quod potissimũ sit & optimũ. Necesse verò est eũ, qui id norit illud quoq; quod est deterius, cognouisse. Quippe cùm eadẽ horũ scientia sit. Hæc vtique mecũ ipse reputans, gaudebã, inuenisse ratus Anaxagorã magistrũ, qui me id quod tantopere cupiebã, causas rerũ doceret, primúmque mihi diceret, vtrũ plana sit terra, an rotunda. Et cùm hæc dixisset, subiungeret mihi causam atque necessitatẽ, afferens videlicet idipsum quod melius est, meliúsque fuisse eã esse talẽ. Proinde si terrã diceret in mundo medã esse, mox exponeret melius extitisse, vt media esset. Quod si ille hæc ostenderet, ita me comparabã, quasi nullã amplius causarum spe-

[a] *Anaxagoras in assignandis in genere rerũ causis & principiis ponit Mentẽ omnia ornãtem & disponentem.*

ciem positurus. Præterea de Sole & Luna cæteríſque ſtellis, earũque inter ſe velocitate cõuerſionibúſque & aliis quæ ſolent illis accidere, me ſimiliter quæſiturũ auditumque cõparauerã, quòd videlicet & qua ratione hæc melius ſit ſingula vel facere, vel pati, quæcunque agant, vel patiantur. Neque enim putabam cùm ab initio dixiſſet à mente illa exornari, ipſum aliã poſtea cauſã rebus aſſignaturũ, præterquã quòd optimũ ſit eas ita ſe vt habent habere. Itaque arbitrabar eũ in reddendis ſingulorũ, tum cunctorũ cõmuniter cauſis, ſingulis quidé aſſignare quod vnicuique optimũ cunctis verò cõmune bonũ. Neque verò ſpes ipſe meas paruifaciebã, ſed ſummo quodam ſtudio acceptos libros, quàm velociſſimè poterã lectitabam, vt ocyſſimè quid optimum, quidve deterrimum eſſet, cognoſcerem. [a] Hac igitur mirabili ſpe ductus cùm legere pergo, video hominem mente quidé nullo modo vtentem, nec cauſam vllam ad ipſum rerũ ornatum referentẽ, ſed aëreas naturas, & æthereas aqueáſque & talia multa incredibilia pro rerũ cauſis aſſignantem. Qua quidem in re ille mihi perinde viſus eſt agere, ac ſi quis diceret, Socratem quæcunque facit, mente facere. deinde volens ſingulorũ quæ facio cauſas explicare, dicat primum quidem nunc me hîc propterea ſedere, quoniã corpus meũ ex oſſib. neruíſque cõponitur, & oſſa quidé ſolida ſunt, & iunẽturarũ interualla inter ſe habent: nerui autẽ ſunt huiuſmodi vt intendi remittíq; valeant, & cõplectãtur oſſa cũ carnibus atque cute, quæ illa continet. Eleuatis igitur oſſibus in ſuis coniunctionib. nerui qui & intenduntur & remittunt cõmodè, faciunt vt flectendi cuiuſque membri ha-

[a] Anaxagoras in aſſignandis particularib. rerũ naturalium cauſis vt plurimũ materia vtitur ipſiúſque materiæ externa cõformatione, hoc eſt figura externa.

habeam facultatem, atque hãc ob causam hîc inflexus sedeam. Ac rursus disputationis meæ, alias quasdam eiusmodi causas assignaret, voces & aerem, & auditum aliáque generis eiusdem quamplurima causas verissimas negligés: videlicet quoniam Athenienſibus melius visum fuerit me condemnare, ideóque mihi etiam melius sit visum hîc sedere, iustiúsque iudicarim expectantem dare pœnas quas illi iubeant. Siquidẽ per canem iamdiu, vt arbitror, hi nerui, atque hæc ossa apud Megarenſes, aut Bœotios essent ipsius quod optimũ est opinione, delata, nisi iustius honestiúsque censuissem pœnas ciuitati pendere quascunque à me exigat, quàm subterfugere, atque exulẽ viuere. Verũ talia quædã causas appellare, à ratione est remotissimũ. Si quis autẽ dixerit absque ossibus & neruis atque similibus nõ posse me, quæ mihi facienda videãtur implere, verè vtique dicet. Attamẽ asserere propter hæc me facere quæcunque facio, dum ipsa mente ago, non autẽ eius quod optimum sit optione, multa magnáque sermonis inertia esset. Nã qui sic est affectus, nequit discernere aliã quidẽ esse veram rei alicuius causam, aliud verò illud sine quo ipsa causa esse non potest causa. Quod quidẽ multi mihi videntur, quasi in tenebris attrectantes alieno appellare nomine, dum causam nuncupant. [a] Quapropter nonnulli vertiginẽ circũponentes terræ, sub cœlo eam stabilem faciũt. Alij verò tanquã latam in alteram aere velut base suffulciunt. Potentiam verò ipsam, qua nunc ita disposita sit vt optimè disponi poterat, neque perquirunt, neque diuinã quandam habere vim putant: sed Atlantem quendam robustiorem & immor-

[a] *De terræ situ variæ opiniones.*

taliorem, magísque omnia continentem inuenisse se opinantur. Ipsum autē bonum atque decens connectere atque continere reuera nihil existimāt. Ego igitur libentissimē cuiusuis essem discipulus, aut quēadmodum se habeat hæc ipsa causa discerē. Postquàm verò hac priuatus sum, neque ipse inuenire, neque ab alio discere potui, secūdam nauigationē ad causam inuestigandā molitus sum. Vísne, ô Cebes, hāc tibi à me demonstrari? Mirificè cupio, inquit Cebes. Censui tandem cùm in rebus considerādis iam defessus essem, cauendū esse ne mihi idem accideret, quod accidere illis solet, [a] qui in solē deficientē figunt intuitum, orbantur enim nonnunquam visu, nisi in aqua, vel in eiusmodi aliquo imaginem eius aspiciant. Tale quiddam ego putaui, timuíque ne animus mihi prorsus occæcaretur, si oculis res aspicerem, sensúque quolibet attingere illas aggrederer. Quapropter operæpretium esse censui, vt ad rationes confugerē, atq; in illis rerū veritatē considerarem. Fortè verò nostra hæc similitudo non omni ex parte congruit. [b] Non enim prorsus assentior eum qui res in rationibus, contemplatur, in imaginibus aspicere potius quàm in operibus intuetur. Veruntamen hac via iter direxi meū, supponénsq; rationem semper quā esse iudico validissimam quæcunque huic consonare videantur, pono equidē tanquā vera, idque ago & circa rerum causas, & circa reliqua omnia: quæ verò dissonant, vera esse nego. Volo equidem quæ dico, tibi apertius explanare. Puto enim te nōdū intelligere. Per Iouē haud multū, inquit Cebes. Verùm nouū nihil adduco, sed quæ & sæpe aliàs in superiori disputatione dicere nunquam

[a] *Quid accidat iis qui in solem deficientem figunt intuitum.*

[b] *Res in suis rationibus tanquam in speculis & imaginibus quibusdam cōsiderādæ.*

nunquam destiti. Pergo iam igitur demonstrare tibi causæ speciem quam continuè pertractaui, ac redeo ad illa iam sæpius decantata, ab eisque exordior, supponens aliquid esse ipsum per se pulchrũ, & bonũ, & magnum, & cætera omnia. Quæ quidẽ si tu mihi dederis, eáq; esse cõcesseris, spẽro tibi ex his ipsam causam demõstrare, itémq; inuenire esse animã immortalẽ. At verò, inquit, Cebes, quasi iam tibi concesserim, nihil tibi faciendum est quo minus iam concludas. Cõsidera inquit via quæ sequuntur deinceps, vtrum in his mihi consentias. Arbitror enim, siquid est aliud pulchrũ præter ipsum pulchrũ, nõ ob aliud quippiam esse pulchrum, quàm quia pulchri ipsius est particeps. Atque omnia dico ad hunc modum. Vtrum hanc causam recipio equidẽ, inquit. Ergo inquit ille, nõ vltrà percipio, neque possum cæteras istas præclaras causas cognoscere. [a] Si quis autem mihi dixerit quare pulchrum sit quodlibet, videlicet quia vel colorem habeat floridum, vel figuram, vel aliud quoduis talium, cætera equidem valere sino: in cæteris enim omnibus soleo perturbari: id verò vnum simpliciter atque verè & fortasse imperitè penes me teneo, nihil aliud esse quod aliquid faciat pulchrum, quàm ipsius pulchri, siue præsentiam, siue communionem, siue qualicunque ratione, & quocunque modo id proueniat. Neque enim id adhuc esse affirmarem: sed pulchro, pulchra, omnia esse pulchra, id mihi videtur tutissimũ, tam mihi, quàm aliis respondere: atque huic fundamento innixus, puto nunquam me lapsurum, sed & me & quẽuis alium tutò respondere posse, quæcũque pulchra sunt, ipso pul-

[a] *Vnumquodque id quod est, illud est Ideæ seu formæ suæ participatione.*

chro fieri pulchra. Nónne & ipse consentis? Consentio equidem. Ergo & quę magna sunt, ipsa magnitudine esse magna: & quæ maiora sunt, similiter esse maiora, & quæ minora paruitate esse minora. Ita est. Igitur neque tu quidem assentieris, si quis aliquem dixerit alio quodam capite esse maiorem: atque eũ qui minor est, eodem capite esse minorem: sed testificaberis te quidem nihil aliud esse dicturũ. quàm omne maius alio non alia re vlla quàm magnitudine esse maius atque ob hoc maius, ob ipsam scilicet magnitudinem: minus autem, nullo similiter alio minus quàm paruitate, & propter hoc esse minus, propter ipsam videlicet paruitatem: metuens, vt puto, ne si quem dixeris capite maiorem esse, vel minorem, quispiam tibi sic obiiciat: primùm quidẽ eadẽ re & maius esse maius, & minus esse minus: deinde quòd capite, quę res parua est, maiorem affirmes esse maiorem. Hoc autem dicet monstro esse persimile, vt paulo aliquo magnum quiddã esse dicas. Nónne hæc metueres? Tunc Cebes subridens. Equidẽ inquit. Nónne similiter quoque metueres dicere, inquit, decem plura, quàm octo esse duobus, atque ob hanc causam superare, potius quàm multitudine, atque propter multitudinem. Ac similiter bicubitum cubitali maius esse dimidio potius quàm magnitudine? Id enim similiter est metuendũ. Omnino, inquit. Quid verò si vni addatur vnũ, additamentum ipsum esse causam, vt duo fiant vel si diuidatur, diuisionem ipsam duorum esse causam dicere non formidares? Altiúsque exclamares, nescire te quónam alio pacto quicquam fiat, nisi participatione quadã essentiæ vnicuique propriæ, cuius

eiusſit particeps? atque in his nullã aliã habere te cauſam, cur duo fiant præter duitatis ipſius participationẽ: ſed oportere huius participia fore, quæcunque futura ſunt duo: & ſimiliter vnitas quodcunque futurũ ſit vnum? Has verò diuiſiones adiũctionéſque & cęteras eiuſmodi argutias valere ſineres, relinquerésque ſapientiorious te per eas pro arbitrio reſponſuris: tu verò tuam, quẽadmodum dici ſolet, metuens vmbrã & imperitiã, atque innixus tutiſſimè illi poſitioni, ſic vtique reſponderes. At verò ſi quis eandem poſitionẽ complexus inſtaret valere ſineres, neque prius reſponderes, quàm quæ inde manant, conſideraſſes, vtrùm conſonent inuicẽ, aut diſſonent? Vbi verò illius ipſius rationẽ oporteret afferre, eodem modo afferres, atque aliã rurſus poſitionem adduceres, quæ ſuperiorũ optima videretur, quoad ad aliquid ſufficiens peruenires. Nunquàm verò ſimul confunderes cõtentioſorũ more, vbi & de principio, & de his quę à principio deducũtur, diſputas, ſi modò velles eorũ aliquid quæ verè ſunt, inuenire? Nam illis fortaſſè nullus hac de re ſermo eſt, nulla cura. Poſſunt enim præ ſapientia & ſimul omnia cõmiſcere, & tamen ſibimet placere. Tu verò ſi ex philoſophorum numero es, quæ dico, vt arbitror, facies. Veriſſima loqueris, inquit Simmias, & Cebes. ECH Per Ioué, ô Phædo, meritò admodũ cõſenſerũt, mirificè enim ille mihi videtur rẽ ipſam vel hebetiſſimo cuique explanaſſe. PHAE Sic prorſus, ô Echecrates, præſentib. omnibus ſimiliter viſum fuit. ECH. Quid mirũ? cùm nobis quoq; qui nõ interfuimus, nunc ſimiliter audiẽtibus videatur. Verũ quænã poſt hæc dicta fuerũt? PHAE. Vt

equidē arbitror postquàm hęc illi Socrati cō-cessērunt, cōsenserúntq; speciem quālibet aliquid esse & quæ harū participia sunt, ipsarum denominationē habere, deinceps hunc in modū interrogauit. Si hæc ita se habent, nónne quando Simmiā dicis Socrate quidē maiorem esse, Phædone verò minorē, tunc affirmas in Simmia vtrunque esse, & magnitudinē simul & paruitatē? Equidē. Attamen Simmiam confiteris excedere Socratē, non ita reuera vt verba sonant. Non enim ita natura institutū esse existimas Simmiā, vt ea ratione superet qua est Simmias, sed magnitūdine quam habet: neque rursus Socratē eo quòd Socrates est, excedi, sed quia paruitatē prę magnitudine illius habeat. Vera loqueris. Similiter nec à Phædone superari, eo quòd Phædo, sed quia Phędo præ Simmiæ paruitate magnitudinem habet. Ita est. Sic itaque Simmias denominationē parui habet & magni, siquidē in amborū medio positus, alterius quidē paruitatē magnitudine superat, alterius verò magnitudini paruitate cedit. Et simul subridens, inquit: Videor equidem expressius accutatiúsque dicere, veruntamen est vt dico. Sic apparet. Dico autē propterea, quia cupio videri tibi, quod & mihi videtur. [a] Opinor enim nō solùm magnitudinem ipsam nunquā velle magnā simul paruámque esse, verūetiā neque hanc quæ in nobis est magnitudinem vnquā recipere paruitatē, neque superari velle: sed è duobus alterū accidere: vel fugere, séque subtrahere, quando aduēnat cōtraria paruitas, vel cùm illa aduenerit, interire: sin autē expectet, & paruitatē suscipiat, non velle aliud esse, quàm quod erat. Quēadmodum ego cum susceperim sustinuerímque

[a] *Idea contrarij nunquam participat idea sui contrarij, sed vnū & idem subiectum participare potest contrariis, quanquam non simul.*

rímque paruitatẽ,quádiu is ipſe ſum qui ſum, ſic ipſemet ſum paruus. Illud autẽ quod magnũ eſt,nunquã ſuſtinuit eſſe paruũ: ſimiliter paruũ quod eſt in nobis,nũquam vult magnũ aut fieri aut eſſe, neque aliud quidquã cõtrariorũ. quandiu eſt id quod erat, patitur ſimul contrariorũ fieri aut eſſe, ſed aut abit,aut perit eũ aduẽtat contrariũ. Ita prorſus exiſtimo, inquit Cebes. Tunc quidã eorũ qui aderant, hæc audiens,quis autẽ ille fuerit, nõ ſatis memini, Dij boni,inquit, nónne in ſuperioribus contrariũ eorũ quæ dicũtur,nobis eſt conceſſum,videlicet ex minori maius fieri, atque ex maiori minus, eſſéque proculdubiò generationem contrariorũ ex contrariis? Nunc autẽ videminĩ fieri id non poſſe, dicere. Cùm verò Socrates admouens caput,auſcultaſſet. Viriliter inquit,id recordatus es, non tamẽ intelligis differentiã inter id quod modò dictũ eſt, atque illud ſuperius. Tunc enim dicebatur ex contraria re,rem contrariã fieri:nũc verò cõtrariũ ipſum ſibimet cõtrariũ fieri nunquam, neque quod in nobis,neq; quòd in natura cõtrariũ eſt. Tũc enim,ô amice,de his quę habẽt contraria dicebamus, hæc illorũ cognomine appellantes. At nunc de illis ipſis loquimur, quæ his inſunt, quorúmve præſentia cognomẽ habẽt ea quę nominãtur Illa verò ipſa dicimus nũquã velle mutuã inter ſe generationẽ ſuſcipere. Et ſimul Cebetẽ intuitus, inquit: Nũ te quoq; Cebes aliquid eorũ quæ ab hoc obiecta ſunt,perturbauit? Haud equidẽ inquit Cebes,ita ſum affectus,ac tibi affirmo nõ multùm me turbari. Id ergo ſimpliciter,inquit,cõfeſſi ſumus; contrariũ nunquam ſibimet fore contrariũ. Omnino, inquit. Aduerte præter-

ea, num & in hoc mecũ sentias. Vocáſne aliquid calorẽ atque frigus? voco equidẽ. Nũ tan quam niuem atque ignem? Non per Iouem. An aliud quiddam calorem eſſe quàm ignem, & aliud frigus quàm niuem? Ita. Sed hoc quoque tibi videri puto, niuem quandiu nix eſt, nunquam ſuſcepturam eſſe calorem, quemadmodum in ſuperioribus dicebamus: nec fore niuem vt erat prius ſimúlque calidam: ſed aduentãte calore, aut ſubterfugere, aut interire. Penitus. Similiter & ignem ſubintrante frigore, aut ſubterfluere, aut extingui, nec vnquam poſſe & ſuſcipere frigus, & ſimul eſſe ignem ſicut prius erat & frigidum. Vera narras. Sunt igitur quædam eiuſmodi, vt non ſolùm ſpeciem ipſam nomine ſuo dignentur per omne tempus, ſed & aliud quiddam, quod quidẽ non eſt primum illud, habet verò quandiu eſt, illius formam. In hoc rurſus tibi quod volo, fore manifeſtius erit. Impar enim ſemper oportet nomen id quod nunc dicimus, poſſidere. Nónne? Oportet ſanè. Num id ſolùm ex omnibus (hoc enim quæro) an & aliud quiddam, quod quidem eſt non idipſum impar, attamen hoc oportet vnà cum ſuo nomine, hoc inſuper nomine alio ſemper appellari, propterea quòd ita natura ſit inſtitutum, vt nunquam ab impari deſeratur? Dico autem hoc ipſum eſſe tanquam ternarium, aliáque permulta. Conſidera verò de ternario. An non tibi videtur hunc & ſuiipſius nomine ſemper nuncupandũ eſſe, & ſimul nomine imparis? Quod quidem impar non idem eſt quod eſt ternarius. Veruntamen ita natura comparatus eſt, & ternarius, & quinarius, & omnis medietas numeri, vt quamuis non idem ſit quod impar,

a Quædã ſubiecta itapar ticipãt vno contrariorũ, vt alterum nunquã admittant.

par, semper tamen eorum quiuis sit impar. Præterea duo & quatuor omnísque alter numeri ordo, quamuis idem quod par non sit, simul tamen quilibet illorum par semper existit. Concedis nécne? Quídni? Contemplare ergo quid velim. est autem eiusmodi: videntur quidem non solùm ipsa inter se contraria sese inuicem non recipere, verumetiam quæcunque talia sunt, vt licet contraria inter se non sint, semper tamen contraria possideant, nunquam recipere speciem illam quæ ipsi speciei quam in se habent, contraria sit, sed hac adueniente, aut perire protinus, aut abire. An non dicemus tria & prius interitura, & aliud quoduis passura, quàm sustineant vt quatenus tria sunt, paria fiant? Ita prorsus, inquit Cebes. Nō tamen contrarius est binarius ternario. Non certè. Non solùm ergo species ipsæ contrariæ nunquam inuicem se recipiunt, sed etiam alia quædam contrariorum ingressum mutuum non suscipiunt. Verissima narras. Vísne igitur hæc, si possumus, quales sint, definiamus? Volo equidem. An non Cebes hęc erunt, quæ quodcunque occupant, tale reddunt, vt non solùm suiipsius id eam retinere cogatur, sed etiam vt neque contrariam ipsi speciem assumat? Quónam pacto dicis? Quemadmodum paulò antè dicebamus. Scis enim quæ trium continentur idea, oportere non solùm tria, sed etiã impatia esse? Certè. Ad hoc tale vtique dicebamus ideam contrariam formæ illi quæ id perficit, nunquam accedere. Nunquam. Perfecit autem imparis idea. Hæc ipsa Contraria verò huic paris idea. Ita est. Ergo ternario numero idea paris se nunquam insinuauit. Nunquam. Quapropter ternarius numerus paris

est expers. Expers. Ternarius ergo est necessariò impar. Est. Quod ergo definiendum dicebam, qualia videlicet sint, quæ etsi alicui non sunt contraria, ipsum tamen contrarium non admittunt, perinde se habet vt Ternarius, qui cùm pari non sit contrarius, nihilò tamen magis ipsum accipit. Nam semper contrarium affert binarius ad impar, & ignis ad frigidum, aliáque quàm plurima. At vide iam num ita definiendum putes, vt non modò contrariũ non admittat contrarium, verumetiam illud quod aliquid afferat contrarium illi ad quod ipsum accedat, ipsum videlicet quod affert, nunquam contrariam eius quæ affertur recipiat formam. Rursus autem recordare: neque enim inutile sæpius audire. Neque quinque paris speciem admittent, neque decem impares, quod est duplum. Hoc quidem ipsum alij contrarium, speciem tamen imparis accipiet nunquam. Neque etiam numerus sesquialter, neque alia huiusmodi quæ dimidium habent, formam totius suscipiunt, similitérque numerus qui partem habet tertiam, atque eiusdem generis alia, si modò assequeris ista, atque consentis. Omnino equidem consentio, atque assequor. Rursus tanquam à principio mihi dicas. Nec tamen per id quod nunc interrogo, sed per aliud quiddam mihi respondeas me imitatus. Præter tuam autem responsionem illam à principio positam [ex iis, quæ modò à nobis dicta sunt, comperio aliam firmam & tutam.] Nempe si me interroges, ô Socrates, quídnam in corpore si sit, caleſcet corpus, non tutam responsionem illam tudémque tibi dabo, videlicet si caliditas, sed exquisitiorem ex præsentibus verbis, vt si insit ignis. Similiter si

me

me interroges, quid si in corpore sit, ægrotabit? non respondebo si ægrotatio, sed si febris. Rursus si perconteris, quid si insit numero, fuerit impar, non dicam si imparitas, imò si vnitas, atque in cæteris eodem pacto. Sed vide an iam quid velim planè cognoueris. Planissimè. Respondè igitur: quidnam si in corpore sit, erit viuum? Si anima. [a] Nónne id semper ita se habet? Semper. Anima igitur quicquid occupat, semper ad illud vitam affert? Affert procul dubio. An est aliquid vitæ contrarium néene? Est vtique. Quid istud? Mors. Anima verò contrarium eius quod ipsa semper adducit subibit nunquam, quemadmodum ex superioribus est concessum. Sic est omnino, inquit Cebes. Quid verò? Quòd patis ideam non accipit, quónam modo paulò antè nominabamus? Impar. Quod verò non accipit iustitiam, quódue non capit musicam? Iniustum, inquit, & immusicum. Age iam, quod non subit mortem, quomodo appellamus? Immortale. Et anima quidem mortem non suscipit. Nequaquam. Est igitur anima immortalis. Immortalis quidem. Age vtique hóene iam demonstratum dicemus? An aliter tibi videtur? Et sufficientissimè quidem, ô Socrates. Quid ergo Cebes? Si necesse esset quod omnino est impar, & interitui non obnoxium esse, nónne tria interitui non essent obnoxia? Quidni? Præterea si quod calidum non est, necesse est interitui non esse obnoxium, quando quis adniuem calidum admoueret, nix quidem incolumis illique factáque subterfugeret: neque enim vel periret, vel calorem admitteret. Vera narras. Simili, vt arbitror, ratione, si quod frigescere non potest, etiam interire non posset,

[a] *Ex scripturib. colligitur cùm Animam perpetuò vita comitetur eiq; adhæreat: ipsam cõtrariũ vitæ nẽpe mortẽ nũquã admittere posse præsertim cũ ita immortalis sit vt sit etiam simul indissolubilis.*

quando in ignem aduentat frigus non extingueretur, aut euanesceret ignis, sed abiret incolumis. Necesse est. Eodem pacto de immortali quoque necesse est dicamus. Si enim quod est immortale, interire nequit, impossibile est animam imminente morte perire. Nam mortem quidem quemadmodum ex superioribus constat, non recipiet, neque interierit: quemadmodum ternarius nunquam, vt diximus, par erit, neque rursus impar erit par, neque ignis frigus, neque caliditas quæ inest igni, frigiditas vnquam erit. Cæterùm dicet quispiam, quidnam prohibet, quo minus ipsum impar, par quidem non fiat adueniente pari, quemadmodum inter nos conuenit, attamen eo dissoluto, par pro ipso succedat? Ita dicenti repugnare non valeremus, quin fit destructũ Quippe cùm non idem sit impar atque indissolubile. Alioquin si nobis id constitisset, facilè obtineremus, accedente pari, impar ternariũq; discedere, similitérque de igne & calido cæterisque assereremus. Nónne ita? Prorsus. Iã verò de immortali, si nobis id constat, quod est immortale, esse etiam interitus expers, consequẽs est animam, præter id quod est immortalis, interitus quoque nesciam esse. Sin verò minus id cõcedatur, ratione alia opus erit. Sed nihil, inquit, opus est, quantũ ad id spectat, alia ratione. Siquidem quidnã aliud indissolubile posset esse, si immortale ipsum sempiternum dissolueretur? Deum verò inquit Socrates, & ipsam vitæ speciẽ, & si quid aliud est immortale, indissolubile quoque esse omnes confiterentur. Vniuersi per Iouem homines, & multò magis ipsi, vt arbitror, dij. Cùm igitur quod immortale est, etiam incorruptibile sit, quidnã prohibet

ani-

animã,si fuerit immortalis, incorruptibilem quoque fore? Necessariò sequitur. Imminente igitur homini morte, quod mortale quidem in eo est,interit,vt apparet:quod verò immortale,incorruptum, sospésque morti se subtrahit Manifestum est. Itaque maximè omnium, ô Cebes anima immortalis incorruptibilisque est,erúntque apud manes animæ nostræ. Nihil equidem, ô Socrates, aduersus hæc habeo quo minus rationibus tuis assentiar. Verum si quid aut hic Simmias,aut alius quisquã habet quod dicat,operæpretium fuerit non siluisse. Nescio enim in quod aliud quis differat tempus,si quid de rebus eiusmodi, vel dicere, vel audire desideret. Atqui nec ego,inquit Simmias, habeo quicquam quo minus superiorib. assentiar rationibus. Veruntamen rei ipsius qua de agitur magnitudinem & humanã imbecillitatem considerans,cogor intra me dictis nondum acquiescere. Quinimò & hæc bene dicis,ô Simmia, & positiones primæ quamuis fide vobis dignæ videantur, diligentius tamen considerandæ:atque si de illis sufficienter, vt arbitror,disserueritis,hanc sequimini rationé quantum fieri ab homine potest. Quod si hoc ipsum fuerit manifestum nihil vlterius perquiretis. Vera, inquit, loqueris.

[a] Hoc autem,ô viri,iustum est cogitare,si anima sit immortalis,eam non solùm temporis huius in quo viuere dicimur, verùm etiam vniuersi gratia curationem plurimum indigere. Nam graue periculum fore putandum est,si quis neglexerit animam: si enim mors totius dissolutio esset, nimirum improbi lucrarentur, cum & à corpore, & ab eorum prauitate cum anima liberarentur. Nũc autem

a *Substrato hoc fundamento, Animã esse immortalẽ: hortatur oẽs Socrates, ad Animã purã & castã seruandam: propositis pmiis, quæ manent eos, qui in hac vita virtutes coluerũt, denunciatis quoq; supplicijs iis qui se vitiis flagitijsque contaminarint.*

cùm anima immortalis appareat, nulla superest malorum declinatio, nulla salus, nisi vt optima & prudentissima fiat. Nihil enim aliud cùm migrat ad manes anima, secum transfert præter eruditionem atque educationem. Quæ quidem statim in principio transmigrationis illius, ei qui mortuus est plurimum vel prodesse vel obesse dicuntur. Ferunt enim quemlibet hinc illuc emigrantem ab eo dæmone quem viuens sortitus fuerat, in locum quendam duci, vbi oporteat omnes vnà collectos iudicari, ac deinde ad inferiores proficisci eo duce, cui mandatum erat vt hinc decedentes, ad illa loca traducat. Sortitos verò illic quæ oportebat sortiri, tempúsque debitum commoratos, ab alio quodam duce rursus huc reduci post multos temporis longósque circuitus. Est autem iter non tale, quale ait Telephus apud Æschylum. Ille siquidem simplicem inquit viam ad inferos ferre. Ego verò neque simplicem, neque vnam esse puto. Alioquin nullis ducibus opus esset: quippe quum vnica via aberrare possit nemo. Nunc autem videtur multos tramites, multósque anfractus habere. Quod quidem ex sacrificiis & ritibus coniectare licet. Animus ergo moderatus & prudens ducem sponte sequitur, neque ignorat præsentia. Sed qui cupiditate corporis est infectus, quemadmodum suprà dixi, per multum tempus ad ipsum ardenter afficitur: & circa locum visibilem multis reluctatus modis multáque perpessus, vi & vix tandem ab eo adducitur dæmone, cui eius cura erat iniuncta. Cùm verò ad ea loca vbi alij quoque animi sunt peruenerit, quisquis admodum immundus est, & huiusmodi obnoxius crimini, qui vel

iniuſtis ſe contaminauerit cædibus, vel alia his ſimilia, ſimiliúmque animorũ opera perpetrauerit, hunc quidem animum omnes fugiũt atque declinant, nec reperitur vllus, qui vel ſocius, vel dux eius fieri velit. Itaque omni auxilio deſtitutus, eò vſque pererrat, quoad certa temporum curricula impleantur. Quibus tandem impletis, in habitationem ſibi cõuenientem ab ipſa neceſſitate transfertur. Qui verò puram moderatámque tranſegerit vitã, deos ſocios, ducéſque nactus ibi habitat, vbi vnicuique conuenit. Multa verò ſunt, mirabiliáque terrarum loca, ipſáque terra neque talis, neque tanta eſt qualem aut quantam hi, qui de terra ſolent diſſerere, exiſtimant, quemadmodum mihi à quodam perſuaſum eſt. Quánam ratione, inquit Simmias, hæc ais, ô Socrates? Equidem de terrarum orbe multa audiui: non tamen hæc quæ tanquam vera accepiſſe te ais. Libenter igitur ex te audirem. Atqui, ô Simmia, nequaquam mihi videtur ars Glauci quæ ea ſunt narrare, ſed quòd vera ſint probare, artis Glauci facultatem mihi videtur excedere. Pręterea ego forſan non ſufficerem. Quinetiam ſi id ſcirem, hæc tamen vita mea, ô Simmia, longiori huic narrationi nequaquam ſufficeret. Formam tamẽ orbi terræ eiúſque loca cuiuſmodi eſſe rear, nihil prohibet dicere. Satis id erit, inquit Simmias. Perſuaſum mihi quidem eſt, [a] primò ſi eſt terra in cœli medio rotunda, nihil ei opus eſſe, vel aëre, vel alia neceſſitate eiuſmodi ad hoc nunquam decidat. Sed ad eam ſuſtinendam ſatis id eſſe, quòd & cælum vndique ſibiipſi ſimilimum eſt omnino, & terra vndique æquilibris. Res enim æquilibris in ſimilis alicu-

[a] *Formam terræ rotundæ, & quomodo ſuſtineatur.*

ius medio posita, nec magis nec minus potest in partem aliquam inclinari. Cúmque similiter se habeat, ab inclinatione permanet aliena. Primò igitur mihi esse ita est persuasum. Et rectè quidem, inquit Simmias. Præterea ingentem esse terrarum orbem, nósque à Phasíde ad Columnas Hercúleas habitare, in parua quadam eius particula, ceu formicas atque ranas circa paludes, atque mare, esse verò & alios in similibus multísque locis multos habitatores, esse enim passim per terram multas variásque concauitates secundum formas & moles in quas aqua, nebulæ, aerque cõfluant. [a]Putam verò ipsam terram in puro iacere cœlo, in quo sunt astra, quem pleriq; eorum qui hæc tractant, ætherem nominant [cuius quidem fæcem & sedimentum hæc esse] sempérque in concauas terræ partes confluere. Nos itaque in his concauitatibus habitantes, adeò falli, vt in terræ superficie alta nos habitare credamus. Perinde ac si quis in medio profundo pelagi habitans, putet se altiora maris incolere: atque solem cæteráque astra per mare prospiciens, mare ipsum esse cœlum existimet: propter tarditatem autem imbecillitatémque nunquam ad summum maris euaserit, neque caput vndis extulerit, planéque aspexerit quanto hic locus profundo illo putior pulchriórque sit: quinetiam nec ab illo qui hunc intuitus sit, acceperit. Hoc igitur idem & nobis accidere, qui in quadam orbis terreni concauitate habitantes, aliam incolere superficiem arbitremur, atque aerem nominemus cœlum [quasi per ipsum tanquã per cœlum astra gradientia intueamur.] Idque nobis accidere propterea, quòd propter imbecil-

lit

[a] *Nos habitare in terra quibusdã cõcauitatibus, terræ verò ipsam supremã superficiẽ cœlo proximè subiectã esse & in æthere collocatũ dicit Socr.*

litatem, tarditatémque ad ſupremum vſq; aerem tranſcendere nequeamus. Quòd ſi quis ad ſummum euaderet, vel alis fretus eò volaret, quemadmodum piſces emergentes è mari noſtra hæc aſpiciunt, ſic ea quæ illic ſunt aſpicere. Ac ſi natura ad inſpiciendum ſufficeret, cogniturum protinus cœlum illud eſſe verum, veramque lucem, veram quoque terram. Siquidem quæ à nobis incolitur terra, híque lapides, totúſque hic locus adeſa ſunt atque corrupta, vt ea quæ in mari ſunt à ſalſedine, neque naſcitur in mari quicquam exiſtimatione dignum: atque, vt ita dixerim, nihil eſt in ea perfectum, ſed cauernæ, arena, limus incredibilis, atque ſordes, vbicunque ſit & terra. Quæ quidem ad has noſtras pulchritudines nullo modo ſunt conferenda. Illius verò loci pulchritudo hanc noſtram multò magis apparebit excedere. Proinde ſi fabulam quoque narrare oportet perpulchram, operæpretium Simmia eſt audire quales ſint hę terrarum plagæ quæ ſubiacent cœlo. Imò verò, inquit Simmias, libentiſſimè hanc fabulam audiemus. [a] Ferunt igitur, ô amice, inquit, primùm quidem talem videri terræ faciem, ſiquis ſupernè deſpiciat, quales ſunt hæ pilæ quæ ex coriis duodecim contextæ ſunt, variis ſcilicet diſtinctam coloribus, quorum hi noſtri colores quibus pictores vtuntur, ſimilitudinem quandam retinet. Illic verò vniuerſam terram ex talibus multóque etiam nitidioribus ac purioribus eſſe quàm hi ſint: partim quidem purpuream mira pulchritudine prædítam, partim verò coloris aurei, partim gypſo & niue candidiorē. Præterea ex colorib. aliis ſimilicer cõpoſitam, ac etiã pluribus

[a] *Deſcriptio ſuprema illius terræ, quæ cælo proximè ſubiecta eſt.*

pulchrioribúsque quàm in noſtram notitiam peruenerunt. Enimuerò has ipſas ipſius concauitates aqua aeréque epletas ſpeciem quandam coloris ſplendidam in primis afferre inter cæterorum colorum varietatem, vt vna quædam ſpecies eius varia ſemper appareat. In huiuſmodi verò terra conuenienti ratione ſimiles naſci arbores, & flores, & fructus. Præterea montes & lapides ibidē ſimili ratione habere perfectionem atque perſpicuitatem, coloréſque pulchriores. Quorum quidem particulæ quædam ſint lapilli, qui apud nos habentur in pretio, Sardij, Iaſpides, Smaragdi, cæteríque eiuſmodi. Illic verò nihil eſſe quod non tale ſit, aut etiam pulchrius. Cuius quidem rei cauſa ſit, quoniam lapides illi puri ſint, neque quemadmodum noſtri à putredine ſalſūginéque exeſi atque corrupti, quibus in hunc locum confluentibus, lapides & tellus animaliáque & plantæ inficiuntur, atque ægrotare coguntur. Terram verò ipſam his omnibus exornari, atque auro etiam & argento cæteríſque ſimilibus. Præfulgentia quidem ipſa naſci & multa & magna, pérque omnem terram, vt eam videre ſpectatorum felicium ſit ſpectaculum. Proinde ibi eſſe animalia multa, & homines partim regionem mediterraneam incolentes, partim circa aērem, quemadmodum nos circa maris littora, partim etiam inſulas quæ haud procul à cōtinenti poſitæ aere circundantur. Sed vt ſummatim dicam, quod nobis aqua eſt & mare ad vſum noſtrum, idem illic eſſe aerem: quòd verò nobis aer, id illis ætherem eſſe. Tempora verò apud illos tantam habere temperiem, vt illi & ſine morbo continuè,

nuè & longè diutius quàm noſtri viuant. Itē viſu, auditu, prudentia, cæteríſque talibus nobis tantū præſtare, quantum & aer & aquæ, & æther aeri puritate præſtat. Præterea illic eſſe deorum templa & lucos, in quibus reuera dii familiariter habitēt, & reſpōſa & diuinationes, deorúmque ſenſus familiaritatéſque eiuſmodi hominibus ad eos eſſe. Solē quoque & Lunam ſtelláſque alias quales reuera ſunt, apud eos videri: cæteris in rebus beatitudinē eos his rebus cōgruā poſſidere. Itaq; vniuerſam terrā ſic natura comparatā, & quæ circa eā ſunt. Eſſe præterea in ipſa per eius concauitates loca in circulum multa, partim quidem profundiora, atque ampliora quàm ſit regio à nobis culta, partim verò profundiora quidē, ſed hiatū anguſtiorem habentia noſtra hac regione: eſſe & alicubi minus profunda, ſed ampliora quā noſtra. Hæc autē omnia ſub terra ſibi inuicē obuiare, atque irrūpere multis vndique modis, tum per anguſtiora, tum per ampliora, diſcurſúſque habere & exitus quibus magna aquarum copia ex aliis in alia velut in crateres confluat. Item perennium fluminū ſub terra incredibiles magnitudines aquarum, tū calidarum, tum etiā frigidarum, plurimúmque ignem, & ignis ingentes amnes: multos quoque lutulenti humoris partim quidē purioris, partim verò ſordidioris, ceu torrens luti qui in Sicilia eſt, & iuxta ipſū amnes lutei inde fluentes. Quibus ſingula compleri loca quacunque eos contingit perfluere. Hæc autē omnia ſurſum deorſúmque ferri veluti vaſe penſili quodā in terra poſito, atque ita librato, vt vtrinque viciſſim inclinet atque attollat. Eſt autem id vas penſile ob naturā quādā eiuſmodi.

Vnus aliquis ex terræ hiatibus est profectò
quàm maximus, pérque vniuersam terrã traiectus & patens, de quo Homerus, Longè nimis
Iliad. 8. barathrum stat sub tellure profundum. Quod & ipse alibi, & multi poetarum Tartarum appellarunt. In hunc enim hiatum omnia confluunt flumina, atque inde rursus effluunt. Talia verò sunt singula, per quales labuntur terras. Quòd aũt hinc effluant omnia rursúsque refluant, hæc est causa, quòd hic humor nec fundum habet nec fundamentum. Itaque eleuatur, & sursum deorsúmque fluctuat. Idémque facit aer & spiritus qui circa ipsum versatur. Sequitur enim ipsum, & quãdo ad superiora terræ, & quãdo ad hæc nostra perlabitur. Et quemadmodũ in respirantibus flatus continuè expirat atque respirat, sic ibi spiritus vnà cum humore elatus vehemẽtes quosdã ventos & incredibiles commouet, siue influat siue effluat. Quapropter cùm aqua in locum quẽ inferiorem appellant delabitur, per meatus terræ ad eiusmodi riuos influit, *passimq; per eos exundat,* & implet velut hi qui hauriunt. Cũ verò illinc huc erumpit, hæc quoque iterũ loca complet. Plena verò cùm sint, per riuos terræque meatus fluunt. Et cùm humores singuli illuc profluxerint, quo quisque profluit opportunius, maria, lacus, flumina, fontes efficiunt. Proinde rursus hinc relabentes per terrã, partim quidẽ per lõgiores pluréſq; anfractus, partim verò per pauciores atque breuiores rursus in Tartarum confluunt: alii certè multò profundius quàm hausti fuerint, alii verò paulò. Omnes autem inferius influunt quàm effluxerint: & alii per contrariã partem elabuntur quàm elapsi fuerint, alii verò per partem eandem

*Græcè dece.

dem. At quidā passim circumfluentes aut semel aut sæpius, spiráſque circa orbem terrarū instar anguiū replicantes, quantū fieri potest infrà relapſi iterum cōmiſcentur: quatenus licèt in vtráque partem ad medium vſque defluere, vltrà verò nequaquā, vlterior enim prolapſus vtrinque foret accliuis. a Proinde ſunt & alia multa & magna variáque fluenta, ſed præcipua quatuor. Quorum quidē maximum atque extimum terrā circundans Oceanus appellatur. E contraria verò huius regione fluit Acheron: qui per deſerta alia fluens loca, atq; per ſubterranea in paludem defluit Acheruſiā. Quò plerique defunctorū deueniunt animi, ibíque per fatalia quædā temporum curricula commorati, partim quidem longiora, partim verò breuiora, rurſus in generationes animaliū relabuntur. Tertius verò fluuius horū medius duorum interfluit. Nec admodum longè progreſſus in locū cadit vaſtū, multo igne flagrantē, efficíq; paludē noſtro mari maiorē, aqua lutóque feruentē. Hinc verò turbidus lutulentúſque circūfluit terráq; circūdata, & alibi, & ad extrema paludis Acheruſiæ peruenit, nec tamen illius aquæ miſcetur, ſed ſub terra ſæpius reuolutus abſorptúſq; defluit infra tartarū. Hunc fluuiū Pyriphlegethontē nomināt, cuius riui quidā inde velut euulſi quacunque terrarum contigerit manant. E contraria verò huius regione fluuius quartus primū in locum erūpit ſerū & aſperū, vt ferunt, colorē verò locus talem habet totus, qualis eſt cyaneus: quem Stygium nominant, hic autem fluuius prolapſus, paludem efficit Stygem. In hunc verò incidens locū viréſq; vehemētes in aqua aſſumens ſub terrā ſe condit, circūuolutúſque

a *Quānam fluminā per ſupernam illam & extimam terrā fluant.*

aduersus Pyriphlegethontem labitur, & in Acherusia palude è contraria parte illi fit obuiã. Nec vlli huius aqua miscetur, sed reuolutus in gyrum contra Pyriphlegethontẽ irrumpit in tartarum. Poetæ verò hunc appellant Cocytum. [a] Cùm verò hæc ita natura disposita sint, quando in eum locũ defuncti peruenerint, quo dæmon vnúquenque perducit, primò illic iudicantur, & qui honestè sanctéque & qui aliter vixerint. Itaque quicunque in vita quodã modo tenuisse medium quodã conperiuntur, ad Acherontem profecti vehiculis quæ vnicuique adsunt conscensis, in paludem perueniunt Acherusiam, ibíque habitant purgantúrque pœnas dantes iniuriarũ. & cũ purificati sunt absoluuntur, rursúsque pro merito singuli benefactorum præmia reportant. Qui verò ob scelerum magnitudinẽ insanabiles esse videntur, qui videlicet sacrilegia multa & magna, vel cædes iniquas, vel alia horũ simĩlia perpetrauerint, hos omnes conueniens sors mergit in tartarũ, vnde nunquã egrediuntur. Qui autem sanabilia quidẽ peccata, sed ingentia commiserunt, veluti siqui contra patrẽ vel matrem irati per vim aliquid fecerint, sed pœnitentia ducti eos in cætera vita coluerint, vel qui simili quodam pacto fuerint homicidæ, eos in tartarum quidem necesse est cadere, sed ibi per annum commorati à fluctu eiiciuntur, homicidæ quidem per Cocytum, parentum verò violatores per Pyriphlegethontem. Postquã verò ab his delati fluminibus ad paludem Acherusiam peruenerunt, clamant illic vocitántque eos quos vel necauerunt vel iniuriis affecerunt, supplicitérque rogant atque deprecantur, vt eos permittant ingredi in paludem

[a] *Quomodo iudicium de animabus exercetur apud inferos.*

dem, ibíque recipi : ac ſi impetrauerint, penetrant illuc, finémque malorum accipiunt: Sin minus, referuntur in tartarum, atque inde rurſus in flumina, neque per hæc mala deferri prius ceſſant, quàm ab his quos iniuriis affecerant, impetrauerint: Hæc enim pœna illis à iudicibus eſt impoſita. Qui autem piè præ cæteris vixiſſe inueniuntur, hi ſunt qui ex his terrenis locis tanquã è carcere ſoluti atque liberati, ad altiora tranſcendunt, purámque ſupra terrã habitant regionem. Inter has autem quicunque ſatis per philoſophiam purgati ſunt, abſque corporibus omnino totũ per tempus viuunt, habitationéſque etiã his pulchriores, nanciſcuntur. Quarum pulchritudo, neque facilis dictu eſt, neque præſens tempus ad dicendũ ſufficeret. Sed horum quæ narrata ſunt gratia, ô Simmia, omni ſtudio eſt adnitendũ, vt in hac vita virtutem, & prudentiã, ſapientiámque conſequamur. Præmiũ nanque pulchrum eſt, & ſpes eſt ingens. Hæc igitur eo ſe pacto prorſus habere, quo ego expoſui, non decet virum ſanæ mentis aſſerere: eſſe tamen vel hæc vel talia quædã circa animos noſtros, eorúmque habitationes, quandoquidem animus ipſe immortalis apparet, & decere mihi videtur, vt dignum quaſi periclitantẽ iſta exiſtimare: honeſtum enim periculum eſt, oportétque hæc quaſi carmina quædam magorum ritu mentibus noſtris infundere: quãobrem ipſe iã diu protraho fabulã. Sed horũ gratia bonã ſpem de animo ſuo habere debet, quicunque voluptatibus ornamentíſque corporis neglectis tanquã alienis, aliud ſe amplius facturũ exiſtimãs, voluptates quæ in diſcendo percipiuntur ſtudioſè ſecta-

tus fuerit, animúmque non alieno, sed suo decorauerit ornamento, temperantia, iustitia, fortitudine, libertate, veritate, sic ex hac vita migrationem expectans, tāquā cùm fatum vocauerit migraturus. Vos quidē, ô Simmia, & Cebes, aliíque præsentes, in posterū quodā tempore singuli trāsmigrabitis. Me verò nunc, vt tragicus aliquis diceret, iā vocat fatū. Ac fer mè tempus est, vt ad lauādū diuertā. Præstat enim, vt puto, post lauacrum venenum bibere, ne in lauādo cadauere molestiā mulieribus præbeamus.

a Narratio eorum quæ Socrati circa obitum contigerunt.

[a] Cùm hęc dixisset Socrates, Crito sic inquit: Dic age, ô Socrates, quídnā his aut mihi mandas agendū, vel erga filios tuos vel circa cætera? quídve agendo maximè tibi gratum fecerimus? Nihil equidē, inquit, noui præcipio, sed quod semper vobis prædico: videlicet si vestri curā habebitis, & mihi, & meis, & vobis ipsis grata euadent quæcunq; feceritis, etiāsi nunc nō promittatis. At verò si vos ipsos neglexeritis, nolentes secūdū ea quę nūc & superiori tēpore dicta sunt, quasi per vestigia vitā dirigere, nihil prorsus proficietis, etsi multa nobis nūc promittatis. Ista quidē, ait Crito, curæ nobis erūt. Sed quēadmodū sepeliri te iubes? Vt vobis, inquit, libet: si tamē me appræhendetis, ac nisi ego vos effugero. Et simul subridens, & ad nos conuersus, nō persuadeo, inquit, Critoni, me esse hunc Socratē qui nūc disputo, & singula dicta dispono. Sed opinatur me illud esse, quod paulò pòst videbit cadauer. Itaque interrogat quēadmodū me sepeliat. Quod aūt iā diu plurimus verbis cōtendo, postquā venenum bibero, haud vlterius apud vos me esse futurum, sed ad beatorum profecturum felicitates

ctates,hoc quidem mihi videor frustrà Critoni dixisse, consolans vos simul, atque meipsum.Fideiubete igitur pro me Critoni contraria quadam fideiussione quam ipse iudicibus fideiussit. Ille enim me permansurum, vos autem me non permansurũ cùm obiero fide iubete,sed abiturum.vt Crito obitũ facilius meũ ferat,néve meum corpus vel cremari cernens vel sepeliri, me deploret quasi dira patientem. Neque dicat in funere proponi Socratẽ,aut efferri,aut sub terrã condi.Certũ enim id habeto optime Crito,quòd non rectè sentire, non solùm est in hoc ipso delinquere, verumetiam animis nonnihil officere. At enim confidere oportet atque dicere corpus sepeliri meũ, atq; ita sepeliri,vt tibi placebit,maximéque iustum esse censebis. His dictis surrexit, intrauítque cubiculum quoddã quasi lauaturus. Crito autem secutus est. Nos verò expectare iussit. Expectabamus ergo de his quæ dicta erant inter nos colloquentes,rursúsque considerãtes.Preterea commemorabamus quãta nobis calamitas accidisset, qui tanquã parente orbati reliquum vitæ tempus orphani futuri essemus. Cùm Socrates lotus esset, delati sunt ad eum pueri sui. Duos enim filios habebat paruulos, vnum verò iam grandem. Venerunt & mulieres domesticæ. Ad eas Socrates cùm præsente Critone verba fecisset, & quæ volebat mãdauisset, mulieres quidem & pueros abire iussit, ipse verò ad nos rediit, iam circiter solis occasum: permultum enim tempus intus fuerat commoratus. Cùm verò ad nos venisset lotus, consedit. Nec multa post hæc locutus erat, cùm venit Vndecimuirorũ lictor. Qui illi adstans, ô Socrates, inquit, non animaduerto in

te quod in cæteris. Illi enim indignantur mihi itaque execrantur, quando illis denuntio venenum esse bibendum, ita magistratibus cõpellentibus. Te verò cognoni prçsertim in hoc tempore generosissimum, mansuetissimúmque, & optimum virum omnium qui vnquam huc in locum deuenerunt: & nunc equidem certò scio te mihi haud infestum esse, sed illis penes quos rei huius causam esse cognoscis. Nunc ergo scis quem tibi nuncium afferam. Vale atque annitere, quæ necessaria sunt pro viribus facilè ferre, & simul his dictis abibat lacrymans. Socrates autem in eum respiciens. Et tu, inquit, vale, & nos id faciemus. Simúlq; ad nos conuersus, quàm vrbanus est homo hic? inquit. Neque solùm in hoc, sed in superiori etiam tempore me salutabat, colloquebatúrque nonnunquam, fuítque semper virorum optimus. Et nunc quàm ingenuè me deplorat? Sed age, ô Crito, illi pareamus, ac si iam tritum est venenum, aliquis huc afferat. Si nondum est tritum, conterat ille. At reor equidem, inquit Crito, ô Socrates, nondũ solem reliquisse mõtes, nec occidisse. Et noui alios postquã id sibi nunciatũ est, valde serò bibere illud cõsueuisse, largiter cœnatos atq; potos, interdũ verò etiam illorum potitos quorum amore afficiebantur. Quamobrẽ ne adeò festines, adhuc enim supereſt tempus. Tũc Socrates, Meritò, inquit, ô Crito, illi ista faciunt. Putant enim hæc facientes lucrari. Atque ego meritò ista non faciam. Nihil enim me lucraturum spero, si paulò posterius venenũ bibero, nisi verũ mihi ipsi sim ridiculus, tanquã vitæ cupidus, atque parcus eius rei seruator, cuius nihil iam amplius mihi adest. Sed

age

age iam mihi obtempera, nec aliter facias. Crito verò his auditis annuit puero, qui longè non aberat. Ille verò egressus, & aliquantulum commoratus, rediit, eum cui venenum daturus erat, secum ducens, attulit autem in calice id attritum. Hunc aspiciens Socrates, Cedo inquit, bone vir, tu enim harum rerum peritiam habes, quid me facere oportet? Nihil, inquit, aliud quàm post potionem deambulare quoad grauari tibi sentias crura, postea verò iacere: atque ita tu facies. Hæc dicens porrexit calicem Socrati. Socrates verò hilariter admodum, ô Echecrates, accepit, nihil omnino cõmotus, neque colore, neque vultu mutato. Sed quemadmodum consueuerat, taurinè illum aspiciens, quid ais, inquit? licétne ex hoc poculo nonnihil spargendo sacrificare? Tantum, inquit, ô Socrates, contriuimus, quantum satis fore putauimus. Intelligo, inquit. Sed & licet, & oportet orare deos, vt felix sit transmigratio nostra. Quod equidem obsecro, atque vtinã ita fiat. Et simul his dictis arrepto poculo, facilè admodum alacritérque ebibit. Plerique nostrûm eoúsque retinere quodammodo lacrymas potueramus. At postquam & bibentem vidimus & bibisse, vlterius non potuimus, sed me quidem dolor adeò superabat, vt lacrymæ largiter iam mihi profluerent. Quapropter me protegens deplorabam, non illum quidem, sed fortunã meam, qui tali amico orbatus essem. Crito autem etiam prius me, quum lacrymas nequiret continere, surrexit. Sed Apollodorus nec in superiori quidẽ tẽpore vnquã lachrymare cessauerat: Tunc verò præcipuè vociferans, seq; ipsum afflictãs, neminẽ reliquit præsentiũ, cuius vicẽ

non deploraret, præter vnius Socratis vicem. Ille verò hæc animaduertens, Quídnam, inquit, ô viri mirabiles, agitis? Atqui ego maximè hanc ob causam mulieres abegeram, ne talia facerent. Audiueram enim cum gratulatione & applausu esse ex hac vita migrandum. Quiescite igitur atque tolerate. Nos verò hæc audientes erubuimus, destitimúsque à lachrymis. Sed ipse quum inter deambulandum crura iam grauari sentiret, iacuit resupinus: sic enim qui venenum præbuit, iusserat. Qui paulò post eum tangens, pedes & crura considerauit. Deinde grauius comprimens pedem eius, quæsiuit an sentiret, negauit Socrates. Ille rursus pressit tibias, paulatímque (manu) ascendens, ostendit nobis frigere eum atque rigere. Et ipse attigit rursus, aítque quum ad cor peruenerit, tunc esse decessurum. Iam igitur friguerat ei ventriculus, cùm seipsum detegens, erat enim coopertus, dixit, quæ vox illi extrema fuit. O Crito, Æsculapio gallum debemus, quem reddite, neque negligatis. Fiet, inquit Crito, quod iubes. Sed vide num quid aliud velis. Hæc interroganti nihil vltra respondit. Sed cùm paruo tempore interquieuisset, commotus est. Et minister detexit eum, atque ipse lumina fixit. Quod quum Crito cerneret, ora oculósque composuit. Hic finis fuit amici nostri, ô Echecrates, viri nostro quidem iudicio, omnium quos experti sumus optimi, & apprimè sapientissimi atque iustissimi.

MENE-

MENEXENVS,
VEL DE ATTICA antiquitate, vel, Epitaphius.

Marsilij Ficini Argumentum.

CONsilium Platonis in Menexeno est, cohortari omnes ad summam patriæ charitatem, idémque facit, quamuis aliter, in Critone, & legibus, atque Republica. Hic verò duobus præcipuè id efficit modis. Primo quidem, dum laudat illos, qui pro salute patriæ pericula mortémque intrepidè subeunt. Deinde dum ipse patriæ suæ antiquitatem virtutésque laudib. miris extollit. Tu verò statim ab initio nota, philosophiam scilicet moralem viro reipublicam gubernaturo esse summopere necessariam. Mox præclarum esse in bello occumbere, scilicet pro salute patriæ, idque confirmari ex eo, quòd hoc apud omnes gentes maximè omnium honoretur. Deinde occasione sumpta ex laudib. oratorij, animaduerte quàm pernicioſa sit adulatio. Communem siquidem oratoriam in Gorgia adulationis speciē esse iudicat. In Phædro autem adulatorem appellat bestiam humano generi pestilentem. Similémque affirmat impuro dæmoni, incautos animos sub noxiæ voluptatis esca continuè corporis sordib. inquinanti. Hic præterea præstigiatorib. veneficiisq; adulatorem tam priuatum quam publicum iudicat esse persimilem: quippe qui tanquam fure & homicida deterior & iniquior, non pecunias, non ipsam corporis vitam duntaxat nobis auferat, intùs verò tanquam sacrilegus rem sacram, iudicium

scilicet rationis sub boni specie surripiat atque subducat. Et vide quàm valdè decipiat. Non enim in reb. solùm occultis, sed id quod mirum est, in manifestissimis artificiosissimè fallit. Cui enim non evidentissima sit avita paternaq; origo? Item ipsa sui corporis magnitudo atque forma? Veruntamen in his quoque adulatores venefici nos circumveniunt, tanto Circe crudeliores, quanto grauius inferunt detrimentum. Illa enim suis poculis exteriora hominis fertur in bestias transformasse: his verò lenociniis suis interiora transformãt. Proinde deridet Socrates oratores, quòd gratiam popularem omnib. machinamentis aucupẽtur, laudéntque alios supra modum, quò ipsi laudentur, remq; adeò leuem graui quodam studio & diuturna præmeditatione pertractent. Aggreditur præterea quòd statuerat ab initio omnes videlicet ad defendendam patriam cohortari, laudando videlicet eos qui pro patria occubuerunt. Hic enim erat mos vetus Athenienſium, publica concione illos laudare quotannis, atque insuper inferias celebrare. Verùm ne suprà quàm par est oratoria tribuat facultati, asserit se orationem eiusmodi ab alio, & quidem à muliere Aspasia, accepisse: præsertim cùm Socratici ingenij non sit oratorum more concionari. Quò potissimum ordine laudandum sit, præsertim in oratione funebri, manifestè declarat. Quod autem homines ait ab initio in Attica regione solùm atque solos ex terra sponte progenitos: ex aliis verò regionibus, è terra similiter solùm bruta: vtcunque placet, accipito, siue tanquam à philosopho, siue potius oratore. Scito tamen Platonicam esse sententiã, post vastas terra illuuiones, ex abundanti humore atque calore sequenti post diluuium, terrã adeò fœcundã redditi, vt ex ea non animalia tãtùm pusillæ qualia nũc, sed grandia etiam atque ipsi insuper homines vltrò nascantur. Quod quidem & hîc & alibi sæpe confirmat.

mat. Idque plerique senserunt. Ægyptiorum atque Græcorum, & Arabes multi, denique confirmarunt præcipuè Algazeles atque Auicenna. Qua quidem sententia Aristoteles in quæstionib. naturalib. vsus ex antiquorum mẽte inquit: Quẽadmodum in paruis temporum mutationib. parua quædam ex terra pullulant animalia ita in maiorib. quoque maiora, in maximis denique maxima atque perfectissima: Plato autem vbicunque ex ipsis terræ visceribus eruit animãtes, deos artifices adhibet mundani architecti ministros. Deos, inquam, id est ideas specialésque rationes in ipsa mundi vita diuináque intelligentia consistentes: per quas & statim post diluuias & quotidie animantiũ formentur species vbicunque corporeum speciei eiusdem semen abesse videretur. Quod quidem fieri oportere satis in theologia probauimus. Vbi verò nascitur homo, non solùm sicut cæteris deorum adhibet manus, sed etiã quoddam Dei summi spiraculũ expressioremq; imaginem. Deinde statim natis deos ipsos saltem in primis seculis tanquã duces præficit atq; præceptores. Tu verò ex his omnib. quæ Mosaicæ sapientiæ magis consonant prudenter eligito. Profectò id Moysi maximè congruit, quod hic, & in Protagora, & in Politico, atq; Critia vult hominẽ aliquãdo ex terræ autore Deo ad Dei ipsius similitudinẽ fuisse progenitũ. Quales autẽ illusiones sint, & quando, & quã ob causam docebimus in Timæo. Post hac insignis pietate vir patriæ suæ laudes mirifica quadã tum charitate, tũ arte prosequitur, ab origine prima, ab ipsa reipublicæ forma, à disciplina quotidiana, à reb. egregiè gestis, quæ & hinc & alibi ex aliis scriptorib. manifestissima sunt. Quamobrẽ argumentũ nostrũ paucis concludamus, eiusmodi sententias annotantes. Virtuti omnia parent. Prosperitas primo æmulationẽ parit, deinde inuidiã, demũ dissentiones & prælia. Omnis possessio absque morali vir-

tute non solùm inutilis est, sed noxia. Scientia seorsum à virtute moral, non sapientia, sed calliditatis quadam est iudicanda. Maiorum splendor in filiis obscurus euadit, quando per ipsorum ignauiam in posteros non transfunditur. Non est optandum, vt omnia succedant ad votum. Obseruandum est in omnibus proverbium vetus, Nihil nimis. Qui ita se cõparauit vt ex seipso pendeant omnia quæ ad beatitudinem conferunt, vel quàm proximè ad hoc accedit, hic optimè vitam instituit. Nolimus vel lætitia exultare, vel dolore deiici. Parentes iudicare debent se genuisse filios, non vt immortales, sed vt boni forent. Lugubres lamentationes domesticorũ molestæ sunt defunctis, si quidem illas audiant. Perpetuo quodam solẽni honore prosequi decet eos, qui pro salute patriæ strenuè se in bello gesserunt: eorum filij cura publica educandi, colendi quoque parentes. Ne res ipsæ nobis iniquæ sint, æquo sunt animo perferendæ.

SOCRATES, MENEXENVS.

EX FORO venit Menexenus? aut vnde? MEN. E foro, ô Socrates, & à Senatu. SOC. Quid tu ad senatũ? An fortè quia disciplinæ philosophiæq; finem adeptũ iam & satis profecisse te putas, maiora posthac aggredi studes, nobisque senioribus ipse adeò iunior præesse, vt familia vestra semper sicut solita est, aliquẽ exhibeat qui nostri & rerum curã gerat? MEN. Si ipse permittis, ô Socrates, consuliscque vt præsim operam dabo: sin contrà, nequaquã. Nunc verò idcircò ad Senatũ profectus sum, quoniam audiueram eligendũ aliquẽ qui laudibus defunctos ornet. Nã vt scis, inferiàs

inferias facturi sunt. SOC. Audiui equidé, sed quē potissimùm elegerunt? MEN. Nullū. Nam in crastinum distulerūt. Arbitror autem Archinum vel Dionem electum iri. SOC. [a] Videtur Menexene apud plurimas gentes præclarum esse in bello occumbere. Etenim qui sic è vita migrat, funere & sepulchro magnificentissimo honoratur. Et siue pauper quis ita decedat, laudatione non caret, siue etiam vilis quispiam, & ignauus, tursus à sapientibus viris extollitur: [b] qui non temerè, sed multo tempore composita & comparata oratione tam egregiè laudant, vt dum & quæ sunt, & quæ non adsunt, de aliquo prædicant, verborū elegantia auditorū animos quasi prestigiis veneficiisve quibusdam fallant. Ciuitatē quoq; interim modis omnibus exornant, & eos qui in armis occubuerunt, maiorúmque retexūt nostrorum originem. Nos quoque ipsos adhuc viuentes extollunt. Quapropter ego quidem Menexene ab illis laudatus, nescio quomodo generosum quiddā de me concipio: cúmque illis passim aures præbeo, mirifica suauitate demulceor, statímque me maiorē, generosiorem, pulchriorem quàm anteà reputo: ac sæpenumero hospites aliqui mecum hæc audiūt, egóque apud illos cuestigiò præstantior quàm antea reddor, nēpe & illis idem quod mihi videtur accidere tam erga me, quàm reliquā ciuitatem. Nam ab oratore persuasi, mirabiliorem quàm prius ciuitatem existimant. Atqui gloriosa hæc venustas mihi plusquàm triduū manet, adeò concinna oratio canoráque vox oratoris ore demanans auribus meis infunditur vt vix tandem quarta pòst die vel quinta meipsius reminiscar, & vbinam terrarum sim,

[a] *Præclarum est in bello pro patriæ occumbere.*

[b] *Irridet Socrates eos oratores qui tantum studij & operæ ponebant in funebribus Orationib.*

agnoscã. Tunc autẽ existimo me tantum non beatorum insulas incolere, tanta nostri Rhetores dexteritate prædicti sunt. MEN. Semper Rhetores ludis, ô Socrates. Nũc autẽ vereor, ne illi qui eligeretur defutura sit dicendi facultas, subita nanque facta est electio. Quãobrem cogetur fortè quisquis dicturus erit, ex tẽpore quodãmodo verba facere. SOC. Quinã, ô bone vir? singulis enim istorũ sunt orationes dudũ in hoc compositæ. Tũ nec arduum est de his rebus absque meditatione dicere. Si enim oporteret vel in Peloponneso Athenienses, vel Peloponnesiacos Athenis laudare, facundo tunc oratore opus esset, qui & persuaderet, & probaretur. [a] Quando autem apud eosdem se quis exercet, quos & laudat, non sanè difficile est bene dicere. MEN. Faciléne istud existimas Socrates? SOC. Equidẽ per Iouem. MEN. An speras eloqui posse te, si opus fuerit, & Senatus consulto eligaris? SOC. Quid mirũ Menexene, me ad dicendũ sufficere, qui magistrã haud quaquam imperitam in Rhetorica nactus fuerim, quæ & alios multos eloquentes reddit oratores, & vnum Græcorum omnium præstantissimũ filiũ Xantippi Periclem? MEN. Quænam ista? Num scilicet Aspasiã dicis? SOC. Et hanc dico, & filiũ Metrobij Connum. Hi nanque duo præceptores mihi sunt, Connus quidẽ Musicæ, [b] Aspasia verò Rethoricæ. Ita igitur eruditum virũ nihil mirũ est in his eloquentẽ esse. Quinimò & siquis etiam deterius quàm ego doctus fuerit, musicam quidẽ à Lampro, Rhetoricam verò ab Antiphonte Rhamnusio, is tamen poterit inter ipsos Athenienses, Athenienses laudando, sic eloqui, vt eius ab auditoribus oratio probetur. MEN. Quid-

[a] *Facilè est Atheniensem Athenis laudare.*

[b] *Aspasia mulier in arte dicendi magistra.*

Quidnam habes quod in medium afferas, si te verba facere oportuerit? SOCR. Ex me quidem fortasse nihil. Sed heri Aspasiam ipsam audiui funebrem de his orationem dictantem. Audiuerat enim quæ & ipse dicebas, Athenienses aliquem electuros esse qui de his orationem haberet. Deinde partim mihi ex improuiso quæ dicenda forent, partim meo quidem iudicio præmeditata exponens, funebrem orationem contexuit, quam dixit Pericles, reliquias quasdam ex illa componens. MEN. An non recordaretis quæ dicebat Aspasia? SOC. Equidem, nisi iniuriam facio. Ab ea nanque edidici, parúmque abfuit quin propter obliuionem plagis illa me cæderet. MEN. Cur ergo non refers? SOC. Vereor ne magistra mihi subirascatur, si orationem illius edidero. MEN. Nullo pacto Socrates. Verùm gratificare mihi, seu Aspasiæ, siue cuiuslibet alterius orationem dicere placet, dicas modò. SOC. Fortasse me ridebis, si senex adhuc iocari tibi visus fuero. MEN. Nequaquam, ô Socrates, sed dic omnino. SOC. Mos tibi gerendus est. Fermè nanque si nudatum me saltare iuberes, quandoquidem soli sumus, obsequerer. Sed audi iam. Hunc enim in modum, vt arbitror, loqui cœpit, sumens ab ipsis defunctis exordium.

RE quidē ipsa iusta his apud nos facta sunt, quę iā assequuti, iter fatale peragunt, tā publice à ciuitate, quàm priuatim à suis magnifico sumptu, & frequēti cōcursu dimissi. Verbis verò laudationē ipsis reddi lex iubet, ac profectò ita decet. Bene siquidē rebus gestis, ex ipsa verborū exornatione, ad eos qui gesserunt apud auditores memoria perennis splendórq; pro-

uenit. Ea verò opus est oratione, quæ defunctos quidē satis laudet, superstites autem benignè moneat, filios eorū fratréſq; ad virtutis ipſorū imitationē hortetur, parētes autē, & maiores alios ſi qui ſuperſunt, cōſoletur. Quæ igitur nobis talis erit oratio? vel vnde potiſſimū præclaros laudare viros incipiemus, qui viuētes virtute propria ſuos mirificè delectauere, & pro ſalute viuentiū offerre ſe morti nō dubitarūt? Videtur itaq; mihi oportere ſecundū naturā vt boni effecti ſunt ita eos laudare: boni autē ideò prouenerūt, quia ex bonis traxerūt originē. Quapropter generoſam primò illorū ſtirpē laudemus. Deinde educationem & diſciplinā. Poſtremò narremus, ita ab eis fuiſſe res geſtas vt maximè decebat eos, qui eſſent ex talibus oriūdi, & ita poſtmodum educati.

a Athenienſes indigenæ.

a Prima quidē generis horū laus eſt, quòd maiorū origo haud peregrina fuit, neq; ſucceſſores hos ita hic reliquit velut inquilinos nouoſq; homines, ex aduenis genitos: ſed indigenas ac reuera in patria habitātes, viuētéſq;, & nutritos nō à nouerca quidē, vt alij, ſed ab ipſa matre ipſorū regione quā habitarūt: in qua & nunc conduntur vita functi, ipſi videlicet in viſceribus eius quæ peperit eos, & nutriit & excepit. Par eſt enim matrē ipſam ante omnia honorare: nam ita maximè horum genus ornatur. Eſt autem regio hæc non ſolùm nobis, ſed omnibus hominibus celebranda, cùm aliis multis de cauſis tū ex hoc præcipuè quia Diis charisſima eſt. Quod teſtatur Deorum de hac inter ſe concertatio & iudiciū. Ea verò quæ à Diis laudata eſt, cur non à cunctis hominibus collaudetur? b Altera eius laus erit, quòd eo tēpore quo tellus omnis animalia omnigena pro-

b Attica terra prima extulit homines.

producebat feras,& armēta,terra dūtaxat nostra ad hæc sterilis erat, agrestibúsque animalibus vacua, propriè verò ex omnibus animātibus hominē genuit,qui cæteris intelligētia præstat, solúsque ius ac Deos colit. Quòd verò hæc regio & eorū quos pro cōcione celebramus & nostros maiores progenuit,hinc euidētissimè licēt cognoscere:quia omne quod gigni alimentū cōueniēs genito cōtinet. Quo planè discernitur mulier illa quæ peperit, ab ea quæ infantē suppositit:nam quæ peperit,lacte abundat ad eius quod genitū est alimoniā, alia verò nequaquā. Tellus itaque nostra matérque perspicuum argumentū præbet, quòd homines procreauerit. Nam & sola & prima tunc alimentum humanum produxit, tritici hordeíque fruges, quibus cōmodissimè genus hominum alitur, vtpote quæ verè animal id produxerit. Potius autē de terra quam de muliere coniectare id licet. Neque enim terra mulierem conceptu partúque, sed terrā mulier imitatur, huiusmodi verò fructum non parcè distribuit,sed aliis quoque hominibus elargita est.Post hæc oleum laborum subsidium natis suis suppeditauit. Nutritis autem adultísque filiis principes præceptoréque Deos induxit. [a] Quorum nunc prætermittēda sunt nomina. Neque enim nos latet qui vitam nostram munierint, tam artium inuentione ad quotidianum victum spectātium, quām traditione peritiáque armorum ad regionis ipsius custodiam.Ita maiores horum geniti atque educati Rempub.instituerunt, qua de, rectè habet, si paucis dicamus. Res enim pub. hominum educatio est,bona quidem bonorum,malorum verò cōtraria. Quod ergo in præclara Repub.

[a] *Artes generi humano ad vitā necessarias à Deis inuentæ & hominibus traditæ.*

enutriti sunt nostri maiores, declarandũ est per quam & illi sunt boni viri, & hi qui nunc sunt, ex quibus sunt qui e vita migrarunt. Eadem nanque Respũb. quondam fuit quæ nunc est, optimatũ videlicet gubernatio, sub qua & his temporibus ac ferme semper ex eo tẽpore degimus. [a] Eam quidã populatẽ vocant, alij aliter, vt cunque placet. Est autẽ reuera hæc optimatũ cum quadã dignitate populi gubernatio. [b] Sẽper enim nobis reges sunt, aliàs generis successione, aliàs electione creati, sed potestatis in ciuitate plurimũ est apud populũ, qui semper his qui optimi iudicãtur magistratus & potestatẽ impertit. Vbi neq; parentum debilitate, vel paupertate, vel ignobilitate quisquã reiicitur, neque cõtrariis de causis honoratur, vt in aliis ciuitatibus fieri solet. Sed hæc est regula, Quicũque sapiẽs aut bonus habetur, dominatur & imperat. [c] Causa nobis gubernationis huiusmodi, ex æqualitate generis est. Aliæ siquidẽ ciuitates sunt ex variis dissimilibúsque generibus cõstitutæ: quò fit, vt inæquales sint & gubernationes, & tyrannides, paucorúmque potentiæ. In quibus ita homines viuunt, vt se inuicem partim dominos, partim seruos existiment. Nos autẽ nostríque vna ex matre omnes, fratres geniti, haud arbitrantur inuicẽ nos dominos & seruos esse: sed generis æqualitas nos inducit, vt & legis quęramus æqualitatem, neque rei prorsus vlli nisi opinioni virtuti prudentiæq; cedamus. Quapropter & nostri & horũ parentes, & hi honestè creati, & in omni libertate nutriti, multa atque præclara facinora apud omnes gentes notissima priuatim & publicè ediderunt, existimantes libertatis gratia tam aduersus Græcos

a Athenienſis Reſp. forma, fuit democratia tẽperata.

b Reges apud Athenienſes.

c Generis æqualitas apud Athenienſes conſeruabat popularem Reip. ſtatũ.

cos pro Græcis aliis, quàm aduersus barbaros pro cunctis Græcis esse pugnandũ. [a] Enimuerò quo pacto in bello iuuerint Argiuos quondã aduersus Cadmios, & Heraclidas aduersus Argiuos cùm Eumolpus & Amazones, ac etiam cùm his superiores regionem inuaderent, nimis angustum tempus est pro dignitate referre, & poetæ illorum virtutem eleganter Musica celebrantes in omnes gentes diuulgauerũt. Quare si nos eadem nudo sermone repetere nunc aggredetemur, fortasse videremur illis esse secundi. Hæc igitur ob hanc causam arbitror omittenda, quandoquidẽ pro dignitate iam satis celebrata videntur. Quæ verò nondũ vt rerum dignitas exigit, à poetarũ aliquo decantata sunt, & nec dum ab obliuione quisquam vindicauit, hæc nobis prædicanda nunc arbitror, vt & nos ea laudemus & adiuuemus, prouocemúsque alios ad eadem odis aliísque carminibus, vt decens est exornanda. Eorum autem quæ dico, prima hæc extãt. Persas cùm Asiæ imperarent, & Europæ dominarentur, regionis huius homines primi inhibuerunt, nostri progenitores: quorum meminisse, virtutémque laudare & oportet in primis & decet. Eam vtique inspicere oportet, si quis rectè laudaturus sit res ab illis eo tempore gestas, quo Asia omnis tertio iam regi seruiebat. [b] Quorũ primus Cyrus magnitudine quadam animi ciues suos Persas in libertatem redigẽs, simul dominos Medos subiecit, totíque Asiæ vsq; ad Ægyptum imperauit? Filius autẽ eius Ægypto quoq; & Lybiæ quoad eius progredi licebat. Tertius Darius, pedestri pugna vsq; ad Scythas extendit imperium. Nauali autem, mari, & insulis est dominatus. Quo factum

[a] *Atheniensium antiquissima bella.*

[b] *Persarum imperium à quibus cõstitutum & amplificatum.*

est, vt repugnare illi nullus auderet. Animi quidem hominum omnes seruili quadam formidine abiecti quam erant: adeò multæ, magnæ, & bellicosæ gentes sub Persarum imperio tenebantur. [a] Nos autem Eretrienséſque accusans Darius quasi Sardibus insidiaremur, & hanc belli occasionem nactus, quingenta hominum millia classibus misit, naues verò trecentas. His q; Datim præfecit, atq; illi mandauit, vt captiuos ad eum Eretrienséſque & Athenienses duceret, si caput saluum esse cuperet suum. Ille nauibus aduectus Eretriã, vbi viri non pauci erant, ac præterea in rebus bellicis inter Græcos eorum temporum illustrissimos numerabantur, triduò eos captiuos fecit, ac omnem regionem sic exploratit, vt nemini esset effugiendi locus: hoc scilicet modo. Nempe ad fines Eretriæ profecti milites eius, & à mari in mare sese extendentes, discurrentéſque iunctis inuicem manibus vniuersam regionem percurrerunt, vt regi referre possent, neminem se subterfugisse. [b] Eodem consilio ex Eretria in Marathonem descenderunt, vtpote qui illis ad id aptissimus erat, vt Athenienses vnà cum Eretrienſibus quasi sub eodẽ iugo ducerent captiuos. Hi autem partim quidem ita peractis partim verò tentatis, nullus Græcorum præter Lacedæmonios Eretrienſibus Athenienſibúſve succurrit. Et ij sequenti post pugnã die venerunt. Cęteri autẽ oẽs perterriti sunt, ac bene secum agi putantes si periculũ præsens euaderent, quieuerũt. Ex hoc intueri licet quanta illorum virtus fuerit, qui in Marathone barbarorum impetum sustinuerunt, ac totius Asiæ superbiam domuerunt. Primi sanè de barbaris triumpharunt, & exẽplo

a Prima Persarũ expeditio in Græciam.

b Prælij ad Marathonẽ cõmissi, commendatio.

pro reliquis ostenderunt, Persarum vim haud inexpugnabilem esse, imò verò & multitudinem omnem, & diuitiarum copiam virtuti parere. Eos quidem viros non modò nostrorum corporum genitores, sed & libertatis tum nostræ, tum omnium qui in hac regione habitãt, auctores arbitror extitisse. His namque exemplis prouocati posteriores Græci, in sequentibus bellis pericula omnia pro salute sua subire non dubitarunt, discipuli profectò illorum qui in Marathone Persas profligauere. Primam itaque palmam oratione illis tribuere decet[a], secundam verò iis qui circa Salaminam Artemisiúmque hostes prælio nauali vicerunt. Multa nempe ab his viris gesta narrare possemus, quanta pericula terra marique imminentia sustinuerint, superauerinq; quod autem præ cæteris egregium puto, nunc referam. Nam quod restabat post bellum Marathonicum, perfecerunt. Siquidem qui in Marathone certarunt, hoc tantùm Græcis demonstrauerunt, quòd terrestri pugna pauci quidem Græci multorum impetum barbarorum frangere possent: de maritima verò victoria adhuc incertum erat, existimabantúrque Persæ in maritimis prælijs, & multitudine & diuitijs artéque & robore inexpugnabiles esse. Hoc itaque in his qui tunc nauibus pugnauêre, laude dignum est, quòd metum Græcis insitum penitus depulerunt, fecerúntque ne amplius nauium virorúmque numerum pertimescerent. Vtrisque his factum est, tam in Marathone terra pugnantibus, quàm mari postea circa Salaminam, vt reliqui Græci & docerentur, & assuefierent, ab illis quidem terra, ab his autem mari, ne barbaros timerent. [b] Tertium

[a] *De prælio ad Salaminã & Artemisium.*

[b] *Tertiũ prælium una cũ laude ab Athenienſibus & Lacedæmonijs simul iunctis & ſalute patriæ decertatum ad Platæas.*

asserо quod in Plateis gestum est, & numero & virtute salutis Græciæ causam extitisse. Commune verò id iam est Lacedæmoniis, & Athenienſibus, maximum igitur & difficillimum facinus omnes hi fecerunt, ob eámque virtutem & nunc à nobis, & deinceps à poteris laudabuntur. Post hæc multæ insuper Græcorum vrbes adhuc sub barbaris erant. Rex autem nunciabatur Græcos iterum inuasurus. Decet profectò illos commemorare, qui superiorum operibus salutis extremã manum imposuerunt, cum omnem ex mari barbariem depulissent, hi verò fuerunt qui circa Eurymedontem classe pugnarunt, & [a] in Cyprum militaturi se contulerunt: itémque in Ægyptum nauigauere, plurimásque alias terrarum oras peragrarunt. Horum meminisse oportet, his gratia est habenda, quòd regem perterritum coegerunt de salute sua cogitare potius quàm ad Græcorum perniciem insidias tendere. Atque hoc bello vrbes omnes liberatę sunt, dum Græci seipsos, omnésque linguæ eiusdem homines aduersus barbaros tutarentur. [b] Pace verò demum confecta, cúmque in honore esse ciuitas, contigit ei quod solet ab hominibus in eos quibus prosperè res succedunt oriri: primò quidem æmulatio, ab æmulatione deinde inuidia, quæ hanc ciuitatem inuitam in bellum cum Græcis gerendum traxit. Post hęc inito bello in [c] Tanagra congressi sunt, pro libertate Bœotiorum aduersus Lacedæmonios concertantes. Cúmque incertus pugnæ esset euentus, quod postea sequutum est, rem ipsam aperuit. Plerique enim aufugerunt, destituentes Bœotios, quibus auxilium ferebant. [d] Nostri autem die tertia in OEnophytis potiti victoria,

[a] *Athenienſiũ expeditionet nauales in Cyprũ & Ægyptũ quæ Græciæ ciuitates in ea Perſarũ penitus liberarunt.*

[b] *Athenienſium aduerſus cæteros Græcos bellas & eorum cauſæ.*

[c] *Prælium ad Tanagram.*

[d] *Athenienſium victoria in œnophytis.*

ctoria, eos qui iniustè exulabant, iustè reduxerunt, hi vtique primi post bellum Persicum Græcis gratia libertatis auxiliati contra Græcos, viri quidem præclari, & libertatis autores his quibus opem tulerant, his in monumentis honorati à ciuitate priores sunt positi. His verò peractis, cum increbesceret bellum, Græcíque omnes sumptis armis regionem deuastarent, vrbíque non dignam gratiam redderent, [a] eos nostri nauali prælio superarunt, & eorum duces Lacedæmonios comprehenderent: quos quamuis iugulare liceret, dimiserunt, pacémque firmarunt, existimantes aduersus eiusdem generis homines ad victoriam vsque pugnandum, neque ob propriam ciuitatis indignationem Græcorum communionem penitus dissoluendam, sed aduersus Barbaros ad necem vsque certandum. [b] Hos itaque laudare viros decet, qui hoc bello peracto hîc iacent, quoniam ostenderunt inanem esse illorum suspicionem, siqui Athenienſium virtute diffisi opinentur in primo contra Barbaros bello alios quosdam præstantiores Athenienſibus extitisse. Hi enim omnis cùm Græcia seditionibus agitaretur, ipsíque viros cæteris Græcis præstantiores bello superatos comprehendissent, declarauerunt eos seorsum se vincere, quibus cum communiter Barbaros expugnauerant. Tertium post pacem hanc bellum improuisum & graue exortum est, in quo cum multi fortésque viri occubuissent, hîc condun tur. [c] Quorum multi circa Siciliam plurimis sunt potiti victoriis pro salute Leontinorum, quibus iureiurando adstricti opem ferebant, quo fœdere ad ea loca nauigauerant. Cùm verò diuturna esset nauigatio, ac interim re-

[a] *Lacedæmonij victi ab Athenienſibus.*

[b] *Athenienſes in prælio aduersus barbaros pro cõmuni salute Græciæ cæterorum Græcorum fortissimi.*

[c] *Bellum Athenienſium in Sicilia, & calamitatis ab illo in eo accepta causa.*

rum discrimine penuriáque ciuitas premeretur, neque illis posset succurrere, negatis subsidiis res eorum haud prospere successerunt. Quorum hostes bellóque aduersarij maiorem temperantiæ virtutísque laudem quàm amici aliorum habent. Multi prræterea nauali bello per Hellespontum die vna omnes aduersariorum naues ceperunt, plurimásque alias deuicerunt. [a] Bellum verò idcircò insperatum durúmque vocaui, quia nullus existimasset reliquos omnes Græcos contra ciuitatem tã acri studio contentionis accendi, vt regem illum barbarum infensissimum quem vnà nobiscum expulerant, rursus per legatos ad bellum Græcis inferendum irritare non dubitarent, & vniuersos tum Græcos, tum Barbaros ad hanc vrbem obsidendam colligere. Vbi præcipuè potentia virtúsque ciuitatis huius effulsit. Nã cùm existimarent eam iam succubuisse, nauésque obsessæ circa Mitylenen essent, ipsi auxilium laturi sexaginta naues ingressi, viri quidem sine controuersia fortes, hostem profligarunt, liberarunt amicos, cum tamen indigno casu circumuenti, non autem mari interfecti essent, hîc iacent. Quorum semper cum laude meminisse decet. Nam illorum virtute non modò tunc ex nauali certamine, sed reliquo etiam prælio victoriam reportamus. Etenim propter illos tantam est nostra ciuitas gloriam consecuta, vt nunquam expugnari posse nec ab omnibus quidem hominibus crederetur, & sanè verum id esse visum est. Neque enim aliorum viribus, sed nostris ipsorum dissidiis oppressi sumus. Nempe nunc etiam ab exteris sumus inuicti. Sed ipsi nos expugnauimus, nobis ipsis offensionem attulimus,

[a] *Caterorũ Græcorum in Athenienses odium & inuidia.*

Post

Post hæc tempora pacatis omnibus, cúmque aliis pace confecta, inteſtina nobis ſeditio coorta eſt, in qua ita dimicatum eſt, vt ſi quidem omnino ſatis decretum eſſet homines ſeditionibus agitari, nemo videatur aliter laborare patriam optaturus. Nam ex Piræo & vrbe quã benignè atque domeſticè præter cæterorum Græcorum opinionem ciues inuicem [decertarunt, & exortum diſſidium dirimerunt] bellúmque aduerſus eos qui Eleũſine erant concitatum, quàm moderatè tranſegerunt atque ſedarunt? Horum profectò omnium alia nulla eſt cauſa præter veram ipſam cognationem, quæ amicitiam firmam & genuinam non ſermone, ſed re præſtat. Oportet autẽ eos etiam qui hoc in bello mutuis vulneribus conciderunt, memoria colere, & vtcunque poſſumus, inter ſe eos conciliare votis ſacrificiíſque pro illis qui ſuperauere peractis, quandoquidem & nos conciliati ſumus. Neque enim improbitate inimicitiiſque, ſed infelicitate quadam manus inuicem conſeruerunt. Horum verò teſtes ſumus ipſi ſuperſtites. Nam cùm illis genere coniuncti ſimus, mutuò damus veniam, & recipimus, ſiquid vel in alium intulimus, vel perpeſſi ſumus ab alio. Deinde cum in ſumma rerum tranquillitate quieſceret ciuitas, barbaris quidem ignoſcebat, quòd infeſtati ab illa ſatis fortiter repugnauerant: Græcis autem indignabatur, quia pro acceptis beneficiis, iniuriam quandoque retulerant, dũ ſocietatem cum barbaris inirent, nauéſque quibus fuerant ſeruati, diſperent diſſiparéntque muros quibus nos mœnia eorum ne corruerent quandoque defendiſſemus. Statuit itaque ciuitas non amplius tueri Græcos, ſi

quando vel à Græcis, vel à barbaris opprimerentur. Cùm verò nos in hac essemus sententia, putaréntque Lacedæmonij nos libertatis defensores concidisse, opus verò suum fore posthàc vt alios subiugarent, sic egerunt. Quid multis opus est verbis? Neque enim vetera, neque multis retro seculis gesta dicerem quæ sequuntur. [a]Neque nos latet, perterritos Græcorum primos Argiuos, Bœotios, Corinthios auxilium ciuitatis huius implorauisse. Quódque omnium diuinissimum est, [b]rex ipse in tãtã est coniectus difficultatem, vt non aliunde quàm ex hac ciuitate, quam omni studio diruere conatus fuerat, salutem suam tutari posse confideret. Enimuero siquis hanc ciuitatem incusare iure voluerit, hoc duntaxat obiicere poterit, quòd misericordia nimis semper afficiatur, diligentiúsque subleuet succumbentem. Ea siquidem tempestate tolerare non potuit, quódue instituerat vltra seruare. Decreuerat sanè nullis vnquam eorum à quibus iniuriam accepisset, succumbentibus opẽ ferre. Mutauit tamen propositum, & auxilium præstitit. Vnde Græcos auxilio suo liberauit à seruitute, ita vt liberi vixerint, donec ipsi se inuicem subiugarunt. Regi verò succurrere ausa est minimè, verebatur enim triumphos ex Marathone, Salamina, Plateis antea reportatos. Sed quum sineret exules, & voluntarios adiutores illi fauere, sine controuersia eũ quoque seruauit. Structis autem mutis fabricatísque nauibus, bellóque suscepto quando coacta est bellum gerere, pro Patriorum salute cõtra Lacedæmonios dimicauit. [c]Metuens verò ciuitatem rex, postquam Lacedæmonios viderat nauale bellum renuere, & ideirco deficere vo-

[a] *Athenienſiũ aduerſ. Lacedæmonios diuerſa bella ſuſcepta, & incolumitate, reliquarũ Græciæ ciuitatũ*

[b] *Rex Perſarũ Athenienſium opẽ & ſubſidiũ aliquando imploranit.*

[c] *Belli à rege Perſarũ aduerſ. Athenienſes poſt ſatis longã & diuturnã pacẽ reparati cauſa honeſta quidẽ Athenienſib. turpis regi, & quis belli illius exitus.*

volens, postulauit Græcos qui in continenti erant, quos prius ipsi Lacedæmonij exhibuerant, si propugnandum illi foret nobiscum cęteríque belli sociis, arbitratus hoc sibi negatũ iri, quo deficiendi à nobis occasionem nanciscereturEt quidem ab aliis sociis est deceptus. Namque exhibere illi voluerunt, conuenerúntque iureiurando adhibito Corinthij, Argiui, Bœotij, cæteríque belli socij, si daret pecunias, vt eos illi qui in continenti erant Græcos traderent Soli verò neque tradere, neque iurare tunc ausi sumus, vsqueadeò mos ciuitatis huius generosus, liber, constans, integer, & natura barbaris est infensus propterea quòd homines hi absque vlla barbarorum commixtione puri integríque sunt Græci. [a]Neque enim miscentur nobiscum Pelopes, aut Cadmij, aut Ægyptij, Danaíve, aliíque permulti, natura quidem barbari, lege solummodo Græci, sed ipsi Græci duntaxat, nulla prorsus infecti barbarorum confusione perseueramus. Quæ quidem puritas odium huic ciuitati aduersus genus alienum ingenuit. Soli rursus puríque ex hoc perseuerauimus, quòd opus turpe & profanum perpetrare noluimus, Græcósque barbarorum manibus tradere. [Quum igitur ad hæc & quibus bello depulsi fueramus, rediissemus diuino beneficio melius quàm antea bellum constituimus.] Nam retinentes naues, muros, nostráque colonias, à bello liberati sumus: adeò libenter & hostes ipsi destiterunt. Viros tamen fortes hoc quoque in bello amisimus, partim apud Corinthum regionis asperitate, & angustia interceptos, partim proditione apud Lechæum profligatos. Insignes quoque viri, qui & regem liberauere, & ex

[a] *Athenienses sũ genus nõ mixtum.*

mari Lacedæmonios expulerunt. Quos ego equidem in memoriam vobis reduco. Vos autem viros huiusmodi collaudare celebrareque decet. Atque opera quidem hæc virorum hic iacentium, cæterorúmque omnium quicunq; pro patria obierũt, quę relata sunt multa sunt, atque præclara: sed quæ restant, plura admodum præstantioráque sunt. Atqui dies multi vix nostésque sufficerent, si quis omnia complecti voluerit.

a Exhortatio ad virtutẽ maiorũ qui fortiter in prælijs p libertate & splẽdore patriæ occubuerunt, imitandam.

aHIS ergo memoria repetitis, vnumquenq; virum oportet natos horum assiduè exhortari, vt tanquam in bello maiorũ suorũ ordinem seruent, neque per ignauiam aufugiant. Equidem, ô virorum præstantium filij, vos ipse & in præsentia exhortor, & in posterum quemcunque vestrum nactus fuero, admonebo semper, & cohortabor, vt quam optimi euadere contendatis. Nunc quoque par est vobis referre quæ nobis patres vestri mandarunt posteris prædicanda siquid accideret cùm foret periclitandum. Recensebo igitur vobis in præsentia quæ ex illis ipsis audiui, quæúe ipsi nũc vobis, si facultas daretur, libenter præciperent, quantum quidem ex illis quę quondam dicebant, coniicio. Existimate verò nunc quę referam illos ipsos audire loquentes, hunc autem in modum exorsi sunt: Quòd ex præclaris parentibus orti estis, ô filij, præsentia testantur: profectò cùm nobis liceret turpiter viuere, honestè emori maluimus, quàm vos eq; teróque posteros infamię cuiquam subiicere, ac parentibus nostris maioribúque dedecori esse, putantes homini suos dedecoranti nõ esse viuendum, ei namque neque in vita, neq; post mortem amicum aliquem esse, vel hominum,

vel

vel deorum. Opottet igitur vos verborum no ſtrorum memores, etiam ſi quid aliud exercetis, [a] cum virtute exercere, ſcientes abſque virtute exercitationes & poſſeſſiones omnes turpes maláſque eſſe. Diuitiæ namque ſplendorem afferunt nullum eas cum ignauia poſſidenti, neque enim ſibi hic, ſed alteri parat poſſidétque diuitias. Neque forma corporis atque robur timido ac praue cùm inſunt, decorem præſtant. Eum namque dedecent, notiorem efficiunt, ignauiam patefaciunt. Præterea [b] ſcientia quæ eſt remota à iuſtitia aliáque virtute, non ſapientia, ſed calliditas eſſe videtur. Quorum cauſa & primò, & poſtremò, atque per omnia omni ſtudio diligentiáque contendite, vt & nos, & maiores noſtros virtutis gloria ſuperetis. Alioquin ſcitote, ſi vobis virtute præſtemus, victoriam hanc nobis dedecus allaturam, ſin ſuperemur à vobis, felicitatem. Ita verò maximè nos quidem ſuperabimur, vos auem ſuperabitis, ſi ea ratione vitam inſtituetis, vt maiorum gloria non abutamini, neque eam vt ita dixerimus, dilapidetis, ſcientes viro aliquid eſſe ſe exiſtimanti nihil [c] turpius poſſe accidere, quàm ſeipſum honorandum non propriam ob virtutem, ſed propter gloriam ſuperiorum præbere. Gloria enim parentum natis præclarus eſt magnificúſque theſaurus. Vti verò pecuniarum honorúmque theſauro & hunc ad poſteros non transfundere propriæ poſſeſſionis gloriæque penuria, turpe, & à viri generoſitate penitus alienum. Si igitur hæc exercueritis, vitæ demum fatis exactis chari ad nos filij charos parentes proficiſcemini. Sin autem neglexeritis hæc, & improbi euaſeritis, nemo vos libens

[a] *Virtus cætera omnia ornat, quæ ſine illius cultu ſordeſcunt & iacent.*

[b] *Scientia ſine iuſtitia nõ eſt ſapiẽtia ſed calliditas.*

[c] *Turpe eſt nõ innoteſcere aut celebrari propria virtute*

excipiet. Natis quidem noſtris hęc ſunt dicta.

a Ad parentes cõſolatio pro filiis qui in prælio occubuerũt, ex ipſorũ filiorũ perſona inſtituta.

aPATRES autem noſtros, ac matres ſi qui noſtrum ſuperſunt atque conſolatione indigent, conſolari oportet, quia deceat facilè quęcunque acciderint ferre, neque cum illis vnà deplorandus eſt caſus: lamentationibus enim aliorum non indigebunt: ſatis enim ſors triſtitię illis inferet. Mederi profectò lenitéque oportet, & in primis illud commemorare, quòd maxima eorum quę exoptare ſolent, exaudientes dij iam tribuerunt. Neque enim immortales ſibi filios dari, ſed bonos & illuſtres optabant. Cuius quidem voti compotes effecti ſunt, quod maximum exiſtimãdum eſt bonum, omnia verò mortali viro ad votũ in vita ſuccedere, haud facile eſt. Atqui ſi ſortem forti animo tolerabunt, videbuntur reuerà fortium filiorum parentes ipſiſque fortes eſſe. Sin autem dolori ſuecumbent, ſuſpicionem hominibus inferent, ne fortè aut parentes noſtri minimè ſint, aut qui nos laudibus efferunt, mentiantur. At horum neutrum euenire oportet, imò verò laudatores noſtros re ipſa præcipuè illos eſſe, oſtendentes ſe reuera parentes viros eſſe virorum. Enimuerò vetus illud prouerbium, Ne quid nimis, ſcitè dictum videtur. Nam bcui verè ex ſeipſo aptà ſunt omnia quę ad bene viuendum fuerunt, nec ſuſpenſa aliorum aut bono caſu, aut contrario pendere ex alterius euentis & errare coguntur, huic optima viuendi ratio comparata eſt. Hic eſt ille moderatus, hic fortis, hic ſapiens, hic & naſcentibus & cadentibus cum reliquis commodis, tum maximè liberis, parebit & obediet præceptor illi veteri, Neque lęta-

b Cui ex ſe ipſo omnia apta ſunt, is felix.

lætabitur vnquam, neque mœrebit nimis, qui semper in seipso omnem spem reponet sui. Tales esse & nostros debere iudicamus, & volumus. Atqui & in præsentia nos ipsos tales penitus exhibemus, haud certè perturbatos, vel nimio metu perterritos, si nunc vita decedere nos oporteat. Oramus quoque patres nostros ac matres, vt similiter affecti vitã futurã agant, scientes quòd non lamentationibus eiulationibúsque maximè nobis gratificabuntur: verũ siquis est his qui defuncti sunt sensus viuentium, ita maximè nobis molesti futuri sunt, si seipsos perdiderint, & iniquè sortem tulerint: si autem moderatè ac leniter, nobis summopere obsequentur: nostra porrò eum iam finẽ habebunt, qui hominibus est pulcherrimus. Quamobrem collaudanda sunt potius quàm defienda. Profectò si vxores nostras filiósque tuebuntur, & nutrient, & his incũbent, ita maximè casus obliuioni mandabunt, pulchriúsve & rectius nobíscũ gratius vitã agẽt. Hæc igitur nostro nomine nostris prædicare sufficiet. Ciuitati verò mandamus, vt parentum nostrorũ filiorúmque curam habeat, & hos quidem honestè erudiat, illorum verò seniũ dignè foueat. Scimus autem vos, etiã si hęc minimè perceperimus, optimè curaturos. Hæc igitur, ô filii defunctorum atq; parentes, vt moneremus illi mandarunt: ego verò quantum possum, diligentissimè moneo, eorúmque nomine obsecro, iuniores quidem, vt præclarè horum res imitentur: seniores autem, vt de se optimè sperent. Nempe senectutem vestram priuatim publicéque alemus: & quemcunque ex illorũ progenie nacti fuerimus, summa beneuolentia complectemur. • Ciuitatis verò prouidentiam

• *Athenis quanta publicè curage rebatur parentum, liberorum & cognatorũ eorum qui pro patria in bello occubuerant.*

ipsi minimè ignoratis, quæ statutis legibus, pa-
rentes & filios eorum qui in bello interiere
tutatur, & ante alios ciues summo magistratui
taliũ cõmittit cutã, ne vlla prorsus iniuria pa-
rentes horum afficiantur. Filios autem educat
ipsa, studétque vt illis ignota sit orbitas. Nam
ipsa parentis geriț vicem & dum pueri sunt, &
cum ad maturam ætatem venerunt, ad officia
sua transmittit, omni armatura ornat, patris
studia ostendit, & memorat, dum paternæ
virtutis tribuit instrumenta. At simul auspi-
cii gratia iubet tunc primùm domum pater-
nam ingredi filium quasi imperaturum, & ar-
mis cum robore ornatum. Eos præterea qui
decesserunt è vita, honorat ceremonias quo-
tannis lege decretas communiter cunctis in-
staurans, quæ priuatim vnicuique propriè
peragi solent. Gymnica item certamina e-
questriáque instituit, musicósque ludos va-
rios. Ac profectò quod ad defunctos spectat,
hæredis & filii subit conditionem: quò ad fi-
lios, patris: quò ad parentes cæterósque huius-
modi, curatoris, omni diligentia semper omni-
bus prouidens. Quarum rerum cogitatione,
res aduersas æquo animo ferre debetis. Nam
hoc pacto & mortuis, & viuentibus eritis gra-
tiores, faciléq; curabitis, & facilè curabimini.
Nunc verò vos, ac cæteri oẽs qui cõmuniter se
cundũ legem eos qui naturæ cesserunt iam lu-
gubribus expiationibus prosecuti estis, abite.
Hic est, ô Menexene, Aspasiæ Milesiæ sermo.
ME. Per Iouem, ô Socrates, beatã dicis Aspasiã,
si cùm mulier sit, tales potest orationes com-
ponere. SOC. At si minus credis, sequere me,
dicentem ipsam audies. MENE. Sæpenume-
ro cum Aspasia fui, Socrates, & qualis sit, noui.

SOCR. Cur igitur eã non veneraris? Cur non habes propter hanc orationem illi gratiã? ME. Ingentem equidem habeo gratiã mulieri huic seu viro, quisquis tibi orationem hanc tradidit. Ac præ cæteris multis narranti gratiam habeo. SOC. Benè quidé. Sed ne me prodas, vt deinceps multas eius præclaráſq; de ciuilib. rebus orationes tibi recéteã. ME. Bono animo es. Nõ prodã. Referas modò. SO. Fiet vt postulas.

ARGVMENTA MARSILII FICINI IN EPIstolas duodecim Platonis.

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM PRIMAM.

DIO Syracusanus vir profectò magnus, Platonis non auditor solum, sed etiã imitator à tyranno expulsus, & magno animo pecuniam quam miserat tyrannus festinum remisit: & vtpote Platonicus pro summa virtute, summo quodam Dionysium afficit beneficio, tribus scilicet præceptis salutaribus admonens. Primum est, principes non pecuniarum sed amicorum diligentes esse. Secundum, nullam potentiam maiorem esse bonorum prudentia

tiúmq; cõsensu. Tertium oportere errata præteritaue cognoscere, & quanto nobis detrimento sint: augurari, quò à futuris delictis absterreamur.

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM SECVNDAM.

IN hac epistola quam Plato scribit ad Dionysium iuniorem post primum ab eo discessum, & expulso Dione, quatuor sunt præ cæteris obseruanda. Primũ quidem, quòd ait magnam potentiam naturali quodam instinctu, atque sapientiam sese inuicem petere quò in vnum congrediantur. Atque hoc quidem primum est huius epistolæ mysterium; Secundum verò quòd bonorum virorum animis insita est sempiterna gloriæ post mortem cupiditas. Quum verò sempiterna gloria studeant posteritati prodesse, sperantes videlicet, sicut nunc, ita & tunc splendore & hoc beneficio se gauisuros, profectò id se post hanc vitam persensuros vaticinantur. Naturæ siquidem diuinioris instinctu ad tantum beneficium instigantur, non tam quia hoc ipso gaudent, quàm vt gaudeant. Ac si multæ animalium species in ipsa nidorum escarúmque opera instigante natura non frustra futuro vsui consulunt: multò minus diuinos animos sperantes se sempiterno quodam officio gauisu os, frustratur euentus. In quibusdam verò animis à sua diuinitate degenerantibus, veræ gloriæ studium vel extinguitur, vel in vanam gloriam pervertitur. Tertium epistolæ huius mysterium surgit latius. Sed quoniam in theologia, & in libro de Amore latius exposuimus, satis fuerit in præsentia leuiter delibasse. Quando diligenter formas ab artifice factas consideramus, paulatim quæ ratione facta fuerint, animaduertimus: & quo-

& quomodo rationes per quas efficit formas apprehendimus, facilè per eas ad ipsas ideas artificiosa mentu accedimus, ad quarum exemplar rationes suas ad formas direxit efficiendas. Quemadmodum verò in artificijs à formis ad rationes, ab his ad ideas, id est exemplaria proficiscimur: sic in ipso rerum ordine contemplando, pulcherrimas rerum formas cognoscimus artificiosissimis rationibus esse compositas: ac si rationibus, ergo ideis, id est exemplaribus, ad quorum similitudinem ipsa ratio formas producit in ordinem. Tres ergo in vniuerso sunt ordines formarum scilicet & rationum & idearum. Ordo quidem formarum quæ patent sensibus, ad animam ipsam mundi reducitur: quæ vtique velut principium motus formas in materia generat, generat autem alias alijs rationibus atque seminibus. Hunc verò ordinem in anima rationum ad mentem redigimus anima altiorem, à cuius ideis anima gubernandarum rerum suscipit rationes. Ordo denique idearum in mentem ab immenso & simplici diuini boni splendore descendit. Siquidem vna hominum idea bonorum, id est ipse deus, alias aliorum bonorum menti angelicæ ideas infundit. Quamobrē tres rerum ordines ad tres principes fonteſque reducuntur. Ordo quidem formarum ad mundi animam, ordo verò rationum ad mentem angelicam, ordo denique idearum ad ipsum bonum. Et quia per ideas cuncta referuntur ad bonum, ideò Plato inquit: Circa omnium regem cuncta sunt, id est circa ipsum bonum sunt ideæ primæ ideæ omnia. Circa secundum, id est mentem sunt secunda, id est, rationes quæ sequuntur ideas. Circa tertium verò tertia, id est circa animam mundi forma. Significauit autem Deum esse rerum causam exemplarē, vbi dixit, Circa. Item finalem, vbi ait, Eius gratia. Rursus efficientem, quando subiunxit, Ipse causa est pul-

chrorum omnium, quòd enim nonnulla sint deformia non ob id habent quòd ab ipso sunt, sed quatenus ab eo degenerant. Neq; mirũ Platonici videri volunt, quòd Plato quodlibet illorum trium principium nominauerit, nominasse enim similiter, sed non æquè. Deũ quidem per se vnũ bonũq; existere. Cùm verò vnitas bonitásq; amplissima sint, sequitur vt Deus p se sit omnino. Mentẽ verò summam Deo proximam per Deũ esse, quatenus vnum quiddã est & bonum: præterea & per se, quatenus mens est & ordo naturæ secundæ. Mundi denig; animã productã quidem & ipsam à primo deo, quà vnum atq; bonũ. Productam quoq; ab ipsa mente, quà mens. Sed quà per se mobile est, à se ipsa productã. Hucusq; ait Plato procedere diuinorũ origines, rerúmq; principia. Præterea animũ nostrum esse diuinũ, quando addidit affectare diuina: verũ non cõprahẽdere quãdiu aspicit in ea quæ sibi cognita sunt, id est, vel sensus & sensibilia, vel formas horum obiectu cõcoptas ab anima. Hæc enim omnia à diuinis lõgè diuersa sunt, vnde animus in hæc aspiciens cogitur de diuinis aliter sentire & pronuntiare quàm sint. Sequitur quartum mysterium de diuinorum perceptione. Primò quidem ait inuestigationem diuinorum non rectè factam, id est nõ debitã, tum purificationis, tum disciplinarũ gradib. instructã, malorum esse omniũ causam. Quia videlicet qui sic inuestigant deum, tandem eò perueniunt, vt vel negent deum esse, vel de deo affirment quæ non sunt dei. Hinc vera perit religio: extincta religione mala omnia cõfluunt. Deinde ait stimulum inuestigandorum diuinorum esse malorum causam, id est si huc abutamur, & omnino quomodocunq; vtamur, nõ permittit præsentibus oblectamentis frui, & hac in vita quiescere, altioribus anhelantes. Verùm quid sibi vult, vbi ait, Nisi quis hunc ex animo stimulum eruat, veritatem nunquam assequetur? Profectò

negat

negat veritatem rerum à deo dependentium haberi posse, nisi ipsa de dea veritas habeatur. Praterea ea illa quæ mox subiungit, scito Platonẽ ipsum assiduè in diuinorum inuestigatione versari consueuisse, & qui Platonem primò audiebant diuina contemplantẽ, solitos sub nimio diuinorum splẽdore protinus caligare, diúque vexari, donec videlicet mentem demque, tum ab affectibus sensuum, tum à phantasia imaginibus segregarent, quo quidem facto diuina quadam sorte, id est luce veritatem non prius inuentam reperiebant. Propterea Pythagoras quem Plato noster in omnibus veneratur, sacra doctrinarum mysteria ab exactissima expiatione mente exordiebatur, præcipiebátque, & Plato similiter præcipit, ne efferantur in vulgum, ne vulgus accepta peruersè vel contemnat, vel incidat in errores. Si enim in vulgum ediderit, deum nihil ex ijs quæ sentiuntur in se habere, vel ridebunt, vel Deum esse negabunt. Accedit ad hæc quòd si quis etiã tranquillo & erudito ad deum intellectu se conferat, ita fermè ab ista intelligentia circa deum decipitur, quemadmodũ & vulgus sẽsu imaginationéque sollitur. & plerique docti perturbationibus repelluntur. Intelligentia enim pro natura sua iudicant, compellit nos deum ipsum, vel intellectum quendam, vel intelligibile quiddam asseuerare: Immẽsum verò bonum, neque intellectus est, qui velut egenus ad intelligibile se vertit, tanquam bonum quo illustrante proficiat: neque intelligibile est dicendum, quod quidem communem quandam cum intellectu naturã habet, per quam etiam proportionem habet cum intelligentia congruam. At nulla est immenso beno ad finita bona natura communio, nulla proportio. Hinc in Parmenide probat nos nẽque nomen, neque definitionẽ, neq; scientiã habere de deo, utpote qui sit super intelligentiæ limites. Idem ante ipsum

Mercurius asserit. Idem post ipsum Dionysius Areopagita probans deum non esse dicendum ens atque intelligibile, sed super utrumque. Quāobrē cùm deus intellectū atq; intelligibile infinito superet interuallo, nemo vlla intelligētia actione diuinā substātiam potest consequi potest tamen quandoque assequi passione. Passione inquam benigna, per ipsam beneficam infinita bona actionem nobis illatā. Illatam inquam in vnitatem ipsam nostræ mentis caput, quando videlicet mens in vnitatem suam, qua expressa est diuinæ simplicitatis imago totam vndiq; se collegerit. Verùm quod mentis vnitatē hanc indura sub diuino Sole subrutilat, tunc fermè abit, cùm vnitatem exuta rursus induit multitudinē. Ex his vtique patet ex Platonis nostri sententia, diuina à nobis non inueniri, sed potius desuper reuelari, neque mente cōprehendi posse substantiā proprietatémque diuinorum, nedum verbis & literis explicari. Idróque de his ea mente differendum describendumq;, vt per verba & literas exhortari & preparare animos ad diuina speremus, potius quàm demōstrare. Sic & Plato de substantia proprietatisq; diuina definitione scribit nihil. Scribit tamē multa, quæ vel per negationes, vel per relationes, vel exhortando vel instruendo ad eū mentis statum quandoque perducant, cui tandē ex alto panditur domus omnipotentis Olympi. Vbi postquàm se & ab inferioribus recipiens ad seipsam, & à seipsa ad superiora cōtulerit, statim vno quodā statu simplicis quā vnitatis stabilitatem, simplicitatēs vt ita loquar, attingit. Sed quæ attigerit, nō licere putat Plato scribere. Cùm verò neque verbis neque literis in diuinorū explicatione confidat, tutius tamen cōmittenda verbis censet quàm literis, literarúmque cum his cōmunia faciunt. Atqui & quàm electissima discenda permittit. Omnino verò iudicat diuinorum dignitatē exigere, vt ex mente in mentem verbis potius quàm scri-

scribendo in exteriores materias traducantur. Pythagorici certè id obseruabant, & Plato seruauit. Nam & hic pollicetur nonnulla per Archedemum potius quàm per literas se missurum. Asserit autem quæ ab ipso scribuntur esse Socratis, cuius proprium in purificando erat officium. Sed cur additum est Socratem etiam & in iuuentute fuisse pulchrum, id est diuinitus illustratum? Vt intelligamus Socratem tam educationis primæ perfectione, quàm à naturæ felicitate à deo per familiarem dæmonem mox accepisse quæ cæteri vix tandem multis laborib. assequuntur. Rursus mysteria eadem per diuinam reuelationem accepta in Platonem transfusa fuisse, & per Platonis exhortationes in homines similiter affectos possit transfundi. Ne quis me in hac expositione existimet somniare, audiendus est Proculus hæc ita confirmans. Hi qui ad summum bonum peruenire cupiunt, non scientia & exercitatione ingenij opus est, sed firmitate, quiete, tranquillitate. Quæ quidem diuina fides est, quæ nos ad summum bonũ diuinaque omnia ineffabili ratione trahit atque cõiungit. Profectò non per scientiam, aut actionem vllam ingenij exquirere summũ bonum, aut ad ipsum aspirare debemus, sed offerre commendareq; nos diuinæ luci, & præclusis sensibus in illa incognita & occulta entium vnitate quiescere. Hoc enim fidei genus omni doctrina antiquius est. Hæc Proculũ à Plotino accepisse constat. Siquis autè hæc diligenter cõsiderauerit, non exigat à Platone in dialogis suis cõsuetum illum apud humanos disputatores ordinẽ doctrinalem, sed eo duntaxat stylo contentus erit, qui rectiori tramite perducat ad deum. Eiusmodi verò stylus siue ordo in purgando & conuertendo consistit. Oportet enim mentis oculum & purgare à caliginosis materiæ sordibus, & purgatũ in ipsum diuini Solis lucem ritè dirigere. Vlterius verò perquireres

aut contendere non oportet. Immensa enim lex vbique præsens sua prorsus natura, creato ad ipsam mentis oculo, cum primum in eam puris ritè respexerit, se infundit. Ac si ad suscipiendum deum intellectus assiduè actione vtatur propria, qua & accidens quiddam est & multiplex, & modo quodam suo mobilis, profectò per ipsam à dei substantia simplicissima, & ab omni motionis imagine remotissima, quodammodo disiungetur. Sat ergo fuerit post commentem inquisitionem purificasse mentem, atque direxisse. Reliquum Mercurius sacro mentis silentio tribuit. Deum enim à mente sua quodam silentio potius quàm sermone suo censet pronuntiari. Omnes itaque Platonis dialogi in hoc ipso versantur, & alij quidem in purgando solùm, alij verò solùm in conuertendo, alij in vtroque consistunt. Mysteria verò hæc in epistola ad Syracusanos iterum confirmantur. Atque hæc confirmata mirum in modum præcepta euangelica comprobant.

ARGVMENTVM IN TERTIAM EPISTOLAM.

HÆc Platonis epistola scribitur ad Dionysium iuniorem post secundũ Platonis ab eo discessum. Et primò quidem ad Dionysij quæsita respondet: deinde calumniam in se à Dionysio conflatam dissoluit. In responsione igitur ad quæstionem docet nõ esse in Deo voluptatem. Illam scilicet quæ dolorem habet oppositum, & in motu quodam vel indigentiæ expletione versatur. Esse autem in Deo totum id bonum, cuius causa bona videtur voluptas, non negat. Addit voluptatem, scilicet mobilem, esse causam detrimenti, scilicet in pecuniis & honore. Item doloris in corpore. Rursus auferre acumen, memoriam, iudicium, grauitatem. Post hæc contra Dionysij insinuationem

lationem probat se iustissimu de causis in Siciliam profectum de restituendis urbibus olim diruta, ac de aequa gubernandi forma consilium manifestè dedisse.

ARGVMENTVM IN QVARTAM EPISTOLAM.

POst Dionysium expulsum Tyrannide, scribit ad Dionem in patriam iam reuersum, admonēs eum atque etiam Heraclidem & Theodotum ceterósque amicos, penes quos rerum potestas erat, vt procul à tyrannide viueret, formámque gubernandi teneret ex optimatum gubernatione plurimùm atque ex populari quodammodo temperatam. Sunt hic præcepta quædam memoriæ commendanda. Primum quidem ad principes propriè pertinere, iustitia excellere veritate, iustitia, magnificentia, temperantia. Omnino autē prudentia tantū cæteros superare, quātum viri pueros prudentia superant. Secundum verò, oportere tales præstare seipsos, quales videri volunt. Tertium, circunspicere oculos omnium in se esse conuersos, vt meminerint neque vitia sua latere posse, neque mediocri duntaxat virtute se expectationi maximæ satisfacturos. Quartum probatissimos imitari legumlatores, & discordiam inter collegas quasi pestem vitare. Quintum, meminisse communem beneuolentiam esse ad res agendas summopere necessariam. Hanc verò sola humanitate comparari posse atque seruari.

ARGVMENTVM IN QVINTAM EPISTOLAM.

ETsi quintam hanc consuetudo quadā Platoni inscribit epistolam, videtur tamen potius esse Dionis Platonem in seipso totum pro viribus effingentis.

Instruit autem Perdiccam principem constitutum in monarchia, vt meminerit se iuuenem esse ideóque consilio ac ministerio seniorum indigere, non quidem omnium, sed probatissimorum, non quauis in re, sed in gubernandi forma, qui intelligant quid potissimùm gubernationis cuiusque sit proprium, siue gubernet vnus siue pauci siue multi. Voco verò gubernationis esse vnius spiritũ vitamq; eius, id est legẽ, qua officia & erga deũ & erga homines congrua instituere debet & exequi. Alioqui salua esse non possit. At quoniam significat se & Euphraeum disciplina Platonis imbutos, tenere quae ad ciuilem pertinent disciplinam, idcirco ne Perdiccas hac de re diffideret: propterea quòd Plato ipse nunquam populo suo in ciuili disciplina profuerit, subiungit Platonem cognouisse populum suum morbo insanabili laborare, ideóque medicorum prudentum more noluisse frustra, & cùm sui discrimine bestiam insanabilem curandam suscipere.

ARGVMENTVM IN SEXTAM EPISTOLAM.

PLato diuinus, Hermiam, Heraeum Coriscum, finitimos inter se principes, ad verissimam concordiam cohortatur, hac sola saluos fore vaticinans, perque hanc aspirante deo, qui vnione gaudet, bona omnia consecuturos, praterea eò denique peruenturos vt rebus ritè compositis diuinam sapientiam propensiori studio quàm humanam, vt par est, prosequi valeant. Concordiam verò stabilem firmari inter illos posse tradit pacto duntaxat atque lege: pacto inquam legitimo sacris ritè peracta inuicem stabilito, ac iureiurando interposito deum ipsum testando atque obsecrando tanquam vnionis autorem atque seruatorem.

ARGV-

ARGVMENTVM IN SEPTIMAM EPISTOLAM.

Septima epistola Platonis est ad propinquos amicósque Dionis scripta, tam liberata per Dionem patria, & iniquè occiso Dione. Verùm vt multa ad historiam pertinentia, tum in hac epistola, tum in aliis planè intelligantur paulò altius repetendum. Plato ter Syracusas profectus est. Semel quidem superiore Dionysij tempore quadraginta ætatis annos natus. Bis verò postea iuniore Dionysio tyrannidem obtinente. Quid autem in singulis profectionibus egerit, aut qua de causa profectus sit, partim in ipsa eius vita à nobis scripta, partim in his apparet epistolis. Dio verò ex eadem familia qua & Dionysius fuisse videtur: affinitate insuper cum illo variè implicatus. Quoniam Dionis sororem Aristomachen superior in matrimonio Dionysius habebat. At ipse Dionysij filiam, nomine Aretam, habebat vxorem. Dionysius autem iunior non ex sorore Dionis, sed ex alia vxore natus erat, nomine Doride. Prima profectione Dio auditor Platonis effectus, vitam ad virtutem traduxit, & concupiscere cœpit publicum patriæ bonum. Ita defuncto Dionysio seniore, quum iunior Dionysius in tyrannidem successisset, ac puer adhuc ferè consilio Dionis gubernaretur, optans Dio ipsum in philosophicæ vitæ cupiditatem traducere, Platonem multis precibus Syracusas vocauit, ac Dionysium vt accerseret, induxit. Paruit ergo Plato hac in primis spe ductus, se suis consiliis effecturum vt illic ex tyrannide respublica fieret, aut regnum. Sed quarto ferè post Platonis accessum mense Dionysius falsis adductus calumniis, Dionem quasi tyrannidi insidiantem expulit. Platonẽ tamen libenter amplectebatur. At Plato indignatus re infecta in patriã redit. Tertio accessit Dionem Dionysio reconciliaturus, & ab-

vtrq; iterũ atque iterũ obsteratus, regatus etiã ab Archyta & Archedemo Pythagoricis, nobilibúsque permultis. Tunc & Dionis reuocationẽ pollicitus est Dionysius, & optimam insuper gubernandi formam se seruaturum. Sed nihil eorum quæ pollicitus fuerat præstitit. Cùm verò Plato palàm Dionysium redargueret quòd fefellisset fidem tum sibi de reuocando Dione, tũ Theodori suo de Heraclide seruãdo: ipse sum deinde habuit Dionysiũ. Itaq; in summo vixebat discrimine, ne à militibus interficeretur. Sed Archytas Tarentinus Salmoscũ oratorẽ misit ad Dionysium vnà cũ naui, rogans vt Platonem dimitteret. Ille cum dimisit, ac præbuit cõmeatum. Plato in patriam rediit sospes. Dionysium paulo pòst Dio etiàm collecto exercitu Syracusâs profectus expulit: Syracusanis reddita libertate. Ipse verò paulò pòst dolo suorũ inuidiâq; interficitur. Post hæc Hipparinus Dionis filius, & Hipparinus Dionysij frater, Dionis ex sorore nepos, Syracusas tenentes consilio nobilium ciuium de honestiori gubernandi forma deliberabant. Interea Dionysius hostib. coniunctus redire in principatũ conabatur. Plato igitur ad hos scribit, cohortans eos & instruens ad optimã speciem gubernãdi, id est, regnũ parẽs legib. & optimatum autoritate suffultũ. Sparsim verò præcepta eiusmodi ex hac epistola colligunt. Non est alienum à bono ingenio optare gubernacula Reipub. præsertim quando necessitas postulat: à bono ciue alienum est optare hæc cũ omni licẽtia obtinere. Non est prudentis temerè publicis se negotiis implicare: præsertim vbi absque salutis publicæ spe periculum subeatur. Sola philosophia in re tam publica quàm priuata quid bonum iustumq; sit, quid non sit eiusmodi potest discernere. Humanum genus non prius desinet in malis versari, quàm aut philosophi dominentur, aut qui dominantur Deo illustrante philosophentur. Delicata luxuriosáque educatio ingenia

vel

vrbdiuina depranat. Nullus intemperans potest esse prudens. Ciuitas in qua ciues incontinentes sunt, nulla legum potentia contineri potest, quin frequentes mutationes, ac semper in deterius patiatur. Violentia neque patriæ, neque parentib. inferenda, sed vtrisque procul à violentia consulendum. Autoritas antiquorũ sacro úmque sermonũ cæteris opinionib. anteponenda est. Bono viro nihil mali potest contingere. Anima ab hoc corpore sæuiẽtia sub diuini iudicij sententia scelerũ luit pœnas. Præstat grauissimas iniurias pati quàm inferre. Auari atque intemperati ad res diuinas cæci surdíque sunt, adeò vt neq; ipsi videãt, neq; ab aliis vel audire sustineãt, vel auditas percipiãt. Impietas omnib. peccatis mixta est, atq; vicissim. Impietas ipsa mixta peccatis, stimulus est quo præcipuè peccatores tũ in hac vita solicitãtur, tum in altera cruciantur. Post hæc vbi de consuetudine sua cum Dionysio, ac de philosophia studio scribit, probat neminem in philosophia aliquid profecturum, nisi amore sapientiæ accensus, omnes eius gratia & labores sustineat, & oblectamenta contemnat. Tum verò quoniam sapientis est contemplari diuina, opportunè ostendit diuina, neque literis vnquam vulgo, neque verbis exprimi posse, imò etiam non debere. Non posse quidem, quia, quod maius est, neque etiam mente omnino comprehenduntur. Non debere etiam, quia & qui in plebe infimi sunt, tanquam monstrosa riderent: & qui paulò in plebe superiores, his auditis vel in hæresim falsam incideret, vel ob leuem quandam aliorum rerum opinionem vani supra modum contentiosíque euaderent. Non inquit Plato, vsquam nihil veri certúque de diuinis intelligi posse: sed neque posse exprimi, quòd de his intelligitur: neque propriam horum veritatem intelligi eadem ratione qua cætera. Forma quidem alia omnino sunt contracta

corporibus aliæ penitus segregatæ. Illæ naturales, hæ diuinæ vocantur. Sunt & mediæ coniunctæ quidem quodammodo, & quodammodo separabiles, id est rationales animæ, inter diuinas & naturalis mediæ. Quæ quatenus corporibus coniunctæ sunt, eatenus à diuinis necessariò disiunguntur. Coniungi enim formis à materia separatis, nisi separatione non possunt. Separantur autem in materia duobus præcipuè modis, tum morali purgatione, tũ resolutione contemplatiua, Philosophiæ studium vtrunque facit: & quemadmodum qui humidũ lignum exsiccat, prius solis deinde admouet ignis occasionem quidem ligno præbet, vt accẽdatur, neque tamen ipse sed ignis accendit lignum: ita studium philosophicum & per moralem disciplinam, & purificando præparat animam ad diuina, & per contemplatiuam resoluendo admouet mentem diuinis atque coniungit: neque tamen ipsum diuina veritate formatmentẽ, sed deus ipse ignis instar mẽtem quasi materiam philosophiæ beneficio paratam, & propinquantem veritatis sua luce perlustrat. Plato igitur cum dixisset diuina neque literis, neque verbis exprimi posse, significauit præterea, neque posse doceri, vel inueniri eadem ratione qua cæca erat. In aliis enim percipiendis inquisitio nostra intellectum & parat & formatiam tamen in diuinis percipiendis inquisitio vel purgatissima atque eminentissima paret quidem, sed non formet. Idcirco inquit opus esse diuturna cum diuinis consuetudine, significans speculationis assiduitatem: item vitæ coniunctione, siue communione, significans purificationem moralis disciplinæ perfectam. Addit in mentẽ denique sic affectã non paulatim quidẽ humano quodã amore, sed subitò lumen veritatis accendi. Sed vndénam? ab igne, id est deo, prosiliente siue scintillante. Per scintillas designat ideas exempla rerũ in mente diuina. Designat &

formulas

formulas idearũ nobis ingenitas. Quæ per desidiam olim consopitæ, excitantur ventilante doctrina, etq; velut oculorum radij emicantes, ideis velut steliarũ radiis collustrantur. Subdit eiusmodi lumen non accendi solum, sed sieri in animæ, vt ostẽdat tũ formulas esse innatas animæ, tum splendorẽ eiusmodi familiarem euadere. Ac ne putet in eo statu mentem ambiguam solicitámque esse, addidit: Seipsum iam alit, id est lumen hoc primùm diuinitus in mẽte accensum, deinceps sua virtute diuinorũ hausit copiã radiorum, atque almo mentem gaudio complet. Hic animus se ipsum nutrit, id est nihil quærens extrinsecus viuit seipso contentus, & quàm beatè intus afficiatur, si velit, nouit tamen, & nescit exprimere. Plato quinque in hac contemplatione meditatur gradus, quos in theologia legito diligentius à nobis expositos. Iubet enim cupidum veritatis, tum per auditum ab ipso rei nomine, tum per visum aliósque sensus à rei ipsius accidentibus ad ipsam rei definitionem procedere, per hanc ad formulam rei innatam menti, per formulam denique ad ideam tam formularum quàm rerum procreatricem. Docétque interea ideam à reliquis lõgè differre, quatuor præcipuè modis. Quia scilicet idea substãtia est, simplex, immobilis, cõtrario nõ permixta. Reliqua verò quatuor, id est, nomẽ & accidẽtale, simulacrũ & definitio & formulæ notio, à substantia simplicitate, stabilitate, puritate ideæ degenerans. Ideirco haud sufficienter ideã nobis imprimũt, sed ad diuinã impressionem nos, vt cunq; possunt, accommodant. Denique mens impressa diuinitus, si quando studeat idearum characteres verbis literisque exprimere, pulcherrimarum rerum deformes reddet imagines. Verùm si crediderit Pythagoricis, non tam contendet vt depingat ideas, quàm vt audientiũ animos excolat, ac velut tabellas expoliat, quibus tandẽ diuina forma

diuino digito depingantur. Ipsa sanè cœlestes sufficiens radios, non conabitur apud cæcos radiorum formas frustra describere, imò si insanabiles sint, dimittet: si sanabiles, duntaxat purgare aciem aggrediturr, sursumque erigere ipsi te qua intelligat alio se pacto frustra laboraturum.

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM OCTAVAM.

IN superiori epistola principes Syracusanos instituens, latius in connubiis, præceptis & in rebus à se Dionéque gestis versatus est. In hac verò propria iam institutæ breuioribus comprehendit, medium semper inter vnius ac populi gubernationem obtinens, maximè verò omnium studens, vt concilientur ciues potius quàm expellantur, & quantū fieri potest sine aliena iniuria respublica statim ritè stabiliatur. Mox in principio asserit homines impio scelere pollutos insanabiles esse, neque his vllū consilium profuturum. Itē omnibus in rebus & dicendis, & cogitandis à deo principium faciendum. In tota verò epistola obseruabis quàm catum simul & clemens gubernator sit Plato quámve diligēs animorū conciliator. Comprobat vt suis morus est, gubernationem Lacedæmoniæ similem. In qua plurimū sit optimatum, sit quoque regiæ quædam forma, sit & populare nonnihil. Damnat extremam seruitutem, per quam omnes libidini humanæ subduntur. Improbat & extremam libertatem siue licētiam, in qua quilibet fermè absque delectu sortitur respublica gubernacula. Medium verò probat. Nota aureum dictum, Moderata seruitus est, qua seruitur deo, immoderata qua hominibus. Temperatu quidē hominibus lex deus est, intemperatū verò lupus.

ARGV-

ARGVMENTVM IN NONAM EPISTOLAM.

IN epistola ad Architam philosophum publicit rebus occupatissimum, consilium dat contemplanti, ne honestam simul & necessariam deserat actionem. Prodesse enim hominibus & publicè & priuatim, actionem honestam vocat & necessariam. Honestam quidem, quia quemadmodum quodlibet corporis membrum non suiipsius tantùm est, sed aliorum etiam, maximè verò totius, ita homines alij aliorum sunt, ac potissimùm speciei. Necessarium verò, quia & nisi aliis vixeris, non potes tibi viuere, & nisi domesticis patriæq; succurreris, res profectò familiaris & publica vel destituta gubernatore mutabit, vel à deterioribus gubernata persolutabitur, ac denique faciet naufragium.

ARGVMENTVM IN DECIMAM EPISTOLAM.

ARistodemum Dionis familiarem elegantia morum in primis philosophantem in sua opinione & vita confirmat, asserens sufficientiam quidem philosophiæ moralem virtutem esse, quod & nomẽ ipsum declarat, amore quodam cultúque definitum. Speculationes verò humanas esse vel ornamenta quædam philosophiæ extrinsecas vel vias ad ipsam mentis firmam puritatem quæ ad mores pertinent, comparandam. Qua comparata diuina potiùs quàm humana: & infusa desuper potius quam acquisita, sequitur contemplatio: ad quam speculatio illa prior si conferatur, ludus quidam à Platone cognominatur. Id autem Pythagoræ Socratisque maximum est præceptum. Vbi verò ornamenta tradximus. Græcum vocabulum ornamentum significat

argutæ cuidã vanitati & superbiæ mixtum. Quasi dicat, Scientia inflat, charitas ædificat. Item, In malevolam animam sapientia non intrabit. Synceritatem quidem siue sanitatem ponit in animo simplici & tranquillo: fidem verò in verbis: firmitatem denique in gestibus atque actionibus.

ARGVMENTVM IN VNDECIMAM EPISTOLAM.

PRincipi Laodamanti de gubernatione optima consulenti consuetum illud suum dat consilium, leges quidem omnes fore vanas, nisi præterea probatissimi viri per quos viuunt leges ingentem in republica habuerint potestatem, ac nisi cõstitutus sit magistratus quidam in ciuitate, & is quidem maxima cum autoritate, qui morum censor per exploratores singulorũ actiones diligenter obseruet, ad id semper intentus, vt quotidiana ciuium vita animos ad fortitudinem temperantiámque perducat.

ARGVMENTVM IN DVODECIMAM EPISTOLAM.

EPistola duodecima nobis argumento est, quàm liberalis & simplex Plato fuerit: vtpote qui secretiora quædam commentaria sua nondum absoluta Architæ crediderit. Argumentum quoque id est, Architam non minus moribus quàm verbis philosophantem, dignum fuisse cui charissima quaque commodo traderentur. Fortè verò commentaria hæc ad exemplum Critiam non absolutum, & ad conscribendum Hermocratem nondum compositum pertinebant. Epistolam verò ad Dionysium quæ abignorantibus his adiungitur, ideò non traduximus, quia & ipsa epistolæ verba, & docti omnes negant esse

esse Platonis. Est autem operæpretium in his epistolis animaduertere, quàm magno & constanti animo Plato noster, præsertim in amicorum rebus fuerit, & quàm grauia sæpe discrimina pro amici salute subierit. Præterea quàm liberè atque benignè tyrannum sæpius corripuerit, ab adulatione quidem maximè omnium alienus, charitate verò atque officio nemini cedens, vt non minus vita & moribus quàm disputationibus conducere nobis possit ad bene beatéque viuendum.

LIBER TRIGESIMVS SEXTVS Platonis epistolarum tredecim.

DIO DIONYSIO BENE AGERE. EPISTOLA I.

EGo dum apud vos diu multúmque versarer, & ita imperiũ vestrum fideliter administrarem, vt inde præ cæteris vtilitatem perciperetis, graues calumnias sustinui. Noui enim quòd me vobis adstipulante crudele nihil omnino factum videbitur. Omnes autẽ qui in eadem gubernatione versati sunt, testes mihi esse possunt. Quorum ego permultos summo conatu à multis & pœnis non mediocribus liberaui. [Eis verò propriis consiliis & laboribus, ciuitatem vestram sæpius seruaui, nihilominus tamen, tandem]

Ignominiosus à vobis expulsus sum, quàm mē dicum aliquem expelli conueniat, iustius à vobis abire, qui tam diuturnam operam vestris sum commodis impertitus. Igitur posthac cogito degere vitam solitariam. Tu autem talis tyrannus [habitabis] solus. Pecuniam verò illam egregiam abs te in viaticum missam, per Bacchium hunc vnà cum his literis ad te remitto. Neque enim ad viaticum sufficit: neque ad cæteram vitam satis est vtilis: tibíque danti dedecus illatura maximum & mihi non multò minus accipienti. Itaque illam accipere nolui. Tua verò nihil interest, & dare & accipere tantundem: sed illa recepta tuorum quempiam alterum honorabis, quemadmodum me honorasti. Ego enim abs te satis iam sum honoratus. Et mihi opportunè nunc Euripidis illud in mentem venit [quum aliorum negociorum ingruet necessitas. *Adesse tibi virum velut huiusmodi.*] Meminisse autem te volo, & alios tragicos plurimos, cum tyrannum aliquē pereuntem inducunt, huiusmodi illi voces attribuere. [a] *Heu miser, pereo nullis fultus amicis.* Auri verò defectu pereuntem aliquem nullus adhuc finxit poetarum. Illud quoque poeticum mentem habentibus valdè probatur. [b] *Non aurei fulgor in misera mortalium vita rarissimi, non adamas, non argentea mensa quæ apud homines habentur in pretio, ita oculis coruscant nec lati fundi, aut pinguia culta tantum valent ad vitam, quantum mens bonorum virorum inter se consentientium.* Valeatque confidera tantum erga nos peccatum, quò erga cæteros rectius te geras.

[a] *Amicorum non auri penuria pereūtes inducunt* [illegible] *à Poetis.*

[b] *Quā excellens & eximia possessio sit amicus.*

PLA-

PLATO DIONYSIO BENE AGERE.

EPISTOLA II.

AVDIVI ex Archedemo te censere non solum me, sed familiares etiam meos praeter vnicum Dionem nihil mali aduersus te loqui debere vel agere. Hoc autem quod Dionem excipis, ostendit me in familiares meos imperium non habere. si enim haberem eum in alios, tum in Dionem ac te imperium, tam vobis quam exteris Graecis bona, vt arbitror, plurima prouenirent. Nunc autem hoc duntaxat magnus sum, quòd meipsum praesto rationi meae obedientem. Quae ideò dico, quia nihil synceri Cratistolus & Polyxenus ad te detulerunt. Quorum alterum dicere ferunt, audisse Olympiis multos eorum qui mecum erant obtrectantes tibi. Forsitan acutius quam ego, ille audit. Ego enim tale nihil audiui. Videtur autem mihi posthac quoties huiuscemodi aliquid ad te defertur, te ita facere oportere, vt scribas ad me & rem ipsam perquiras. Ego enim verum fateri nec formidabo, nec erubescam. Mihi autem & tibi ita se res inuicem habet, vt neque nos vlli (vt liberè dicam) Graecorum incogniti simus: neque familiaritatem nostram huius seculi homines conticescant: certum quoque illud habeto, neque posteros racituros. Tales sumus nos qui eam [susceptimus & contraximus inuicem] vtpote neque paruam, neque obscuram. Quorsum haec? Statim aperiam, altius rem aliquanto exorsus. Naturae quidem lege sapientia, potentia summáque [in vnum concurrere & sociari amant.] Sempérque ista duo se inuicem affe-

a *Naturae quadã visa pientes cum potentib. cõiunguntur & consociãtur.*

ctant persequuntur, congrediuntur. Deinde etiam istis homines admodum delectantur, quoties siue in carminibus poetarum, siue priuatis colloquiis huiusmodi quædam referũt, aut audiunt: ceu cùm de Hierone & Pausania Lacedæmonio loquuntur homines, gaudent Simonidis familiaritatem quæ cum illis fuit, commemorare: & quæ apud eos dixit, fecítque referre. Similiter Periandrum Corinthiũ, & Thaletem Milesium vnà celebrare consueuerunt, Periclem & Anaxagoram, Crœsum atque Solonem, vt sapientes: & Cyrum, vt potentem. Atqui hæc imitati poetæ Creontem & Tiresiam simul inducunt: Polydámque & Minoa: Agamemnonem & Nestorem: Vlyssem & Palamedem: atque vt mihi videtur, eadem ratione prisci homines Ioui Prometheum cõiunxerunt. Horum verò alios consentientes, alios dissentientes inducunt: alios autem quãdoque concordes, quãdoque verò discordes. Eorúmque tam dissensiones quàm consensiones canunt. Cuncta verò hæc ideò dixi, vt illud ostenderem, quòd etiam cum mortui fuerimus, de nobis homines non silebunt. Quocirca non est negligendum à nobis: sed cura habenda temporis subsequentis. b Fit enim natura quadam, vt ignauissimi homines nihil curent quæ si de ipsis futura opinio: probatissimi autem viri cuncta faciant, quò in futuris seculis bene inter homines audiant. Quã ego coniecturam facio, esse aliquem sensum iis qui mortui sunt, rerum quæ in vita geruntur. Quoniam optimi sic fortè diuinant, deterrimi autem nequaquam. Validiora verò sunt diuinorum virorum præsagia, quam aliorum. Puto autem, si liceret superioribus illis defunctis,

a Simonides, Hieronu & Pausaniæ familiaris fuit

Boni viri dant imprimis operam, vt bene audiant post mortẽ, & immortalitatis animæ signi & præsagiũ in illis.

ſcis, de quibus loquor, ſuam conſuetudinem emendare, plurimam operam adhibituros, vt meliores de ſe quàm nunc opinionem circumferrentur. Hoc nobis quidem etiam nunc fauente deo, facere licet: & ſi quid in ſuperiori familiaritate noſtra eſt peccatum, tam factis quam dictis emendare illud atque corrigere. Equidem hoc dico, veram fore opinionem, (præſertim quàtum ad philoſophiam attinet) de nobis vt ſi boni ſimus, bonam: ſi mali, malam exiſtimationem habituri ſimus. Atqui nos iſta curantes, nihil magis pium agere poſſemus: & negligentes, nihil æquè impium & prophanum. Quemadmodum autem & hoc fieri conueniat, ac iuſtè fieri poſſit, ego iam dicam. [a] Quando in Siciliam veni fama erat me permultum inter eos qui tunc philoſophabantur, excellere. Cupiebam etiam cum Syracuſas veniſſem, opinionis illius teſtem te habere, vt etiam apud multitudinem in honore mihi philoſophia eſſet. Verum non ſatis proſperè mihi res illa ſucceſſit. Cauſam verò huius non illam fuiſſe dico, quam plerique exiſtimarent, ſed illam fuiſſe cauſam aſſero, quòd tu non ſatis mihi credere viſus es, ſed me quodammodo dimittere velle, alios verò vocare, & quid mihi eſſet negotij inquirere, diffidens ſcilicet vt mihi videbatur. Et qui de iis loquebantur permulti erant: affirmantes quod me quidem contemneres, atque ad alia animum intendiſſes. Hæc igitur tunc fama increbuit. Quid autem poſt hæc fieri oporteat, iam audi vt ad illud quod interrogaſti reſpondeam, quo pacto nos inuicem gerere debeamus. Si tu quidem omnino philoſophiam ſpernis, valere iubeamus. Si autem vel ab alio audiſti, vel ipſe

[a] *Primo aduentu in Siciliam, quomodo acceptus fuerit à Dionyſio, Plato.*

per te inueniſti meliora quàm ea quæ à me traduntur, illa complectere. Quòd ſi noſtra tibi placent, nos quoque maxime honorare debes. [a] Nunc autem, tanquam ab initio, tu præito, ego ſequar. Honoratus enim à te, honorabo: non honoratus autem conquieſcam. Præterea ſi tu honorare prius me cœperis, philoſophiam videberis honorare: idque apud multitudinem quod tu in primis cupiebas, tibi gloriam pariet, tanquam ſapientiæ amatori. Sin autem ego te honorauero me minimè honorantem, diuitias admirari videbor & ſequi: hoc verò quàm turpe ab omnibus cenſeatur, non ignoramus. Vt autem ſummatim dicam: te honorante, ambobus honor erit: me autem honorante, ambobus infamia. Et de his quidem ſatis. Sphærula verò ipſa non recte ſe habet. Narrabit verò ipſe tibi Archedemus, cùm ad te redierit. Illud autem pretioſius & diuinius, de quo per illum me interrogas, accuratè ipſi eſt oſtendendum. Ais enim, vt ille refert, non ſufficienter tibi à me de prima natura demonſtratum fuiſſe. Dicendum eſt igitur tibi nunc per ænigmata quædam, vt ſi quid huic tabellæ vel mari vel terra contingat, qui eam legerit, intelligere non poſſit. Eſt autem ita [b] Circa omnium regem cuncta ſunt: ipſius gratia omnia: ipſe pulchrorum omnium cauſa: circa ſecundum ſecunda: tertia circa tertium. Humanus animus affectat qualia illa ſint, intelligere: aſpiciens in ea quæ ſibi cognata ſunt. Quorum nihil ſufficienter ſe habet. Sed in rege ipſo, & in his quæ dixi, nihil eſt tale. Quod autem poſt hoc eſt, animus dicit. At enim qualis hæc tua interrogatio eſt Dionyſij & Doridis filii quæ malorum omnium cauſa

Plato petit à Dionyſio vt prior ipſum honoret, & cur.

[b] Deus omnium cauſa ſi malu efficiēs & exēplaris *vid. argum. Ficini, qui hunc locum explicat.*

causa est? Imò verò [dolor quidam circa huius cognitionem, tanquam parturienti animo nostro ingenitus:] quem nisi quis tollat veritatem certè nunquam assequetur. Tu hoc ad me in hortis cùm essemus sub lauris, excogitauisse dixisti: ac tuam fuisse inuentionem. Atque ego respondi, si hoc ita se habere tibi videretur, fore vt multis me disputationibus liberasses: nec alium vnquam qui id inuenisset reperisse: plurimúmque me in eo inuestigando liberasse: verum tu forsan audito aliquod diuina quadam sorte eò progressus es. Demonstrationes autem eius rei nunquam firmas tenuisti: [nec vinculis constrinxisti, sed modò in hanc, modò in aliam partem prosilis, circa id quod tuæ imaginationi se offert.] hoc autem nihil est tale, & hoc non tibi soli contigit. Sed certè scio neminem quando primũ me audit, aliter affici. Et alius quidem magis, alius verò minus defatigatus vix tandẽ à labore cessant. Oẽs autẽ fermè laborant nõ parũ. Hęc autẽ cũ ita sint & fuerint, ferè inuenimus, vt opinor, ꝙ tu per epistolam petisti: quemadmodum oportet inuicem nos habere. Postquã verò hæc & per te discussieris, & cũ aliorum opinionibus comparaueris, modò rectum examen peregeris [cũ ipsa tibi adhæresceant, tũ te nobis propriũ & pene domesticũ totũ trades.] Quónã igitur pacto nõ hęc & alia quę diximus, cõtingẽt? Rectè tuqdẽ ea de causa Archedemũ ad nos misi sisti. Ac postquã ad te reuersus sententiã tibi meam retulerit, dubitationes aliæ te forsitan capient, tu verò si rectè tibi consules, mittes iterum ad me Archedemum, ille rursus quasi mercator, non sine lucro redibit: quòd si bis aut ter feceris, atque illa quæ mittimus, diligenter examinaueris, mirabor

equidem si non multò melius quàm nunc ad ea quæ dubitas, te habeas. Audacter igitur id agatis. Neque enim vel tu, vel Archedemus negotiationem vllam suscipere potest, quæ aut honestior sit, aut deo acceptior. Caue tamen ne accidant hęc vnquam in aures hominum disciplinæ eruditionisq; expertium. Nulla sunt enim, vt mea fert opinio, quæ dicta ad populum magis ridicula, videantur: neque quę apud nobiles & generosas naturas prolata, magis mirabilia & diuina. Sæpe verò dicta sempérque audita & multis annis, vix tandem velut aurum cum magno labore purificantur. Nam quod in hac re mirabile contingere cõsueuit, id audi. Sunt complures homines qui ista iam audierunt: pollentes docilitate pollentes memoria, in examinando & iudicando solertes prouecti iam ætate, neque minus triginta annis hęc audierũt. Hi tamen affirmant quę auditu quondam incredibilia maximè videbantur, ea sibi nunc primum valde credibilia videri atque perspicua: & quæ tunc probabilissima, ea nunc sibi contrà videri. Hæc igitur intuens, caue ne quando te pœniteat eorum quæ tibi indignè ac temerè nunc exciderint. Maxima verò huius rei custodia est, nihil scribere, sed addiscere. Nam quæ scribuntur, contineri non possunt: hac de causa nihil ego de iis scripsi vnquam neque est Platonis opus præscriptum ali quod neque erit. Quæ autem modò dicuntur, Socratis sunt: qui vir etiam dum iuuenis esset, virtute claruit. Vale: & nobis crede. Atque hanc epistolam, cùm sæpius eam legeris, statim combure. Et de his quidem satis. Miraris autem quòd ad me Polixenum non mittam. Ego autem de Lyco-

Plato nihil sub suo nomine scripsit, sed omnia Socrati tribuit.

Lycophronte etiam & reliquis qui apud te sunt, idem quod iamdudum & nunc prorsus affirmo: te scilicet istis tum ingenio, tum disserendi arte præstare quàm plurimum: nec illorum quenquam sponte tibi in disputando, vt aliqui suspicantur, cedere, sed inuitos. Atqui videris admodum humaniter illis fuisse vsus, & honestis eos muneribus prosecutus. Sed de iis quidem perinde atque de talibus talia multa licet dicere. Philistione si vti contigerit, vtere quàm maximè. Et si fieri potest, Speusippi vtere opera, atque remittas. Eget quidem tui & Speusippus. Pollicitus autem mihi est Philistio, si abs te dimittatur, se Athenas è vestigio petiturum. Illum ex Latomiis dimisisse, laudabile fuerit. Leuis autem petitio tam de illius necessariis, quàm de Egesippo Aristonis filio. Nam & ad me scripsisti: si quis huic vel illis iniuriam velit inferre, ac tu id persenseris, te minimè permissurum. De Lysiclide præterea vera fateri decet. Nempe solus iste ex iis qui Sicilia Athenas profecti sunt, nihil in tua meáque consuetudine immutauit. Sed ea quæ facta sunt, quotidie verbis pro viribus magis honestat.

EIDEM.

EPIST. III.

PETIS [a] an rectius ponatur in salutationibus, Plato Dionysio gaudere: an quemadmodum ego solitus sum scribere ad amicos, bene agere. Tu quidem, vt aiunt hi qui tecum Delphis fuerunt, ita Deum ipsum blandè appellasti, ac similiter scripsisti: *Gaude, vitámque tyranni iucundam serua.* Ego autem ne-

[a] *Cur in epistolis apponēda sit potius hæc salutatio* εὖ πράττειν, *quàm illa* χαίρειν.

que Deum hoc modo neque hominem salutarim, non Deum: quia contra illius naturam loquar. a nam procul à molestia & voluptate diuinitas: non hominem quia sæpius detrimentum & dolorem ipsi affert voluptas, hebetudinem in animo & oblivionem, insipientiam & petulantiam pariens. Et de salutatione quidem hæc mihi dicta sunt. Quæ tu postquam legeris, sicuti voles ita capies. Ferunt verò non pauci te dicere solitum ad legatos quosdam, quòd aliquando dicentem te audiuerim, in animo habuisse Græcas ciuitates in Sicilia restituere: & Syracusanos nos alleuare, ac pro tyrannide regiam gubernationem illis inducere. audientem verò hæc me tibi ne faceres illa obstitisse, cum tu vehementer id cuperes. Nunc autem illa ipsa vt facias, Dionem docere: ac tuis propriis inuentis atque artibus imperium à nobis tuum labefactari. Vtrum sermones huiusmodi aliquam tibi vtilitatem ferant, tu ipse cognoscis: iniuria certè me afficis cùm contraria dicas quam veritas sit. Et profectò satis superque hactenus à Philistide, & aliis eompluribus inuidia mihi conflata est & apud milites & apud Syracusanos. Nam cum in arce vnà tecum habitarem, omnium malefactorum causa in me deriuabatur, asserentibus qui extra erant, te singula meo consilio facere. Cum apertè scias perpauca me tecum de gubernatione ciuili sponte mea, atque id ab initio tractauisse, dũ aliquid posse me proficere arbitrarer, & [cum alia perpauca, tum circa legum præfationes modestè quædam elaborasse:] quibus tamen postea vel te, vel alium audio quædam præter mentem meam inseruisse. quæ facilè internoscent

a *Diuinitas voluptatis & doloris expers.*

scent ij qui possunt morem ingenij nostri discernere. Sed vt modò dicebam, non egeo calumnia & apud Syracusanos, & apud alios quibus me ista dicens criminaris: sed multò magis purgatione contra primam calumniam, & contra nouam nuper exortam, maiorem quidem ac vehementiorem. Ergo aduersus duas calumnias necesse est defensionē me duplicem afferre. Primū quidem meritò noluisse me de gubernatione reipublicæ tecum agere: deinde meum illud consilium nō fuisse quod tu ais, vt suaderem tibi ne ciuitates Græcas restitueres. Et primum quidem de primo sic accipe. [a] Veni Syracusas à te vocatus & à Dione: quum esset ipse Dio magnæ apud te dignitatis, mihi iampridem hospes, ætate verò media atque perfecta: quibus omnino vel mediocriter prudens, opus esse ad res huiusmodi gerendas quales tuæ erant, existimarit. Tu verò eras admodum iuuenis: & omnium quorum oportebat te peritiam habere ignarus mihi quoque valdè ignotus. Post hæc, siue quis homo, siue Deus, siue fortuna quædam tecum, Dionem pepulit. Tu solus relictus es. An igitur communionem mihi aliquam tecum rerum ciuilium tunc relictam putas: cùm viderem prudentem quidem consultorem abs te pulsum: te autem imprudentem cum multis flagitiosis ita fuisse relictum, vt non imperares, licet imperare arbitrareris, sed huiusmodi hominibus reuera seruires? Tunc ergo quid oportebat me facere? An non id quod faciebam? Abstinere videlicet omni gubernatione, ne inuidia maleuolorum in calumnias vocarer. Et illud omnino conari, vt vos inuicem dissidentes, & longè diuisos in pristinam a-

[a] *Narratio eorū quæ cōtigerunt Platoni in prima ipsius nauigatione ad Dionysium iuniorem.*

micitiam gratiámque reducentem. Tu mihi testis esse potes quanto conatu hoc à me negotium susceptum fuerit, neque vnquam desertum. Tandem vix ita conuenimus, vt domum (quoniam bello impediti eratis) remearem, pacéque facta, ego & Dio Syracusas rediremus: tu autem nos aduocares. Hæc sunt acta in prima illa profectione ad te mea, & in patriam reditu. Facta deinde pace iterum me vocasti: non tamen vt inuicem conueneramus vnà cum Dione, sed solum Scripsisti enim vt ipse tunc venirem: Dionem verò postea te vocaturum. Ea de causa ego tunc non veni: quòd quidem Dioni displicuit, qui præstare putabat vt paterem tibi atque venirem.

a Secũdi ad ætatem Platonis in Siciliã ad Dionysiũ causa.

a Transacto post hæc anno triremus vnà à te missa est, & simul cum illa literæ tuæ. Quarum caput erat: si venirem Dionis res ita fore, vt ego maximè optabam, contrà verò, si non venirem. Pudet referre quam multæ tunc epistolæ scriptæ sunt tam abs te quàm ab aliis tua causa, ex Italia atque Sicilia ad me & ad multos propinquorum familiariúmque meorum: quæ omnes exhortabantur, precabantúrque vt tibi obsecutus accederem. Visum est igitur omnibus, & in primis Dioni eundum esse neque me molli otio dedendum, quanquam ego ob ætatem me excusabam: & de te asseuerabã, quod ne quires obtrectatoribus maleuolísque meis dissidiũ inter nos quærentibus resistere.

b Opes tam priuatorum quàm principum alũt adulatores detestandũ hominũ genus.

b Conspexerã enim iam pridem, & nunc etiam perspicio opes tam priuatorum quàm principum, quantò maiores sunt, tantò magis insidiatores, & turpium noxiarúmque voluptatũ machinatores nutrire, quo nihil pernicio sius gignit opulentia atq; potestas. Veruntamẽ omis-

omissis his omnibus, venire decreui, ne querelæ materiã alicui familiarium meorum relinquerem, quòd cùm possent eius res saluæ esse, ob negligentiã meã periissent. Quæ verò post aduentum meum secuta sint, tu optimè nosti. Censebã equidem vt secundum promissa epistolarum tuarum quàm primùm Dionem reuocares, & in pristinã familiaritatẽ reciperes, cuius ego rationẽ habendã esse putabã. In quo si mihi paruisses fortè melius tuę & Syracusanorum cæterorúmque Græcorum res, vt mea vaticinatur opinio, sese haberent. Arbitrabar deinde bona Dionis suis restitui debere: nec illis diuisoribus quos tu præfeceras, eorũ administrationem amplius relinqui. Iudicabam præterea pecuniam singulis annis Dioni solitã mitti, esse mittendã, non diminutã ob præsentiã meã, sed magis adauctã: cùm autem horum nihil abs te impetrare possem, abire constitui. Tu verò annum me vt expectarem, rogasti: affirmans te Dionis bona omnia redditurũ, ita vt media pars Corinthũ ad Dionẽ ipsum mitteretur: reliqua verò pro eius filio Syracusis maneret. Multa præterea referre possum, quæ promissa à te seruata non sunt. Sed ea ob multitudinẽ omitto. Cùm enim bonorum Dionis omniũ venditionẽ faceres, absq; vllo eius consensu: quãquã ita demum hoc faciendũ dixeras, si ille assentiretur, promissis omnibus, ô vir admirabilis, Colophonem, vt aiunt gloriosissimum imposuisti. Rem profectò neque honestam, neque honorificã, neque iustam neque vtilem machinatus, me deterrere conatus es tanquã rerum illarum nescium quò ego pecunias ad Dionem mittendas postulare desisterem. Nam cùm Heraclidem pelleres, quod

neque Syracusanis, neq; mihi iustū videbatur) egóque vnà cū Theodote & Eurybio pro Heraclide deprecater, accepta hinc quasi sufficiēti quadā occasione, iāpridem te deprehendisse dixisti, nullā mihi curā esse rerum tuarum, sed Dionis solùm, eiúsq; amicorū & propinquorū. Itaque cùm Heraclides & Theodotes Dionis amici suspicione criminis non carerēt, me omnia facere quò meritas pœnas non darent. [Atque hæc quidē ita transacta sunt in nostra circa ciuilia cōmunione: quòd si aliqua alia in re me tibi repugnantē & à te dissentientē animaduertisti sic reputa meritò id cōtigisse & ne id mireris.] Prauus enim à prudentibus viris meritò existimari possem, si potentiæ tuæ magnitudine adductus, veterē amicum & hospitē meū à te patria pulsum, nulla re, vt ita loquar, te deteriorem prodidissem atq; destituissem: te verò illum iniuria afficientem secutus esse: & omnia fecissem quæ imperates tuarum scilicet opum gratia. Certè si illum tui gratia prodidissem, nemo aliam mutationis meæ causam fuisse dixisset. Hæc igitur ita gesta, causa fuerunt [propter te, vt nostra familiaritas dissoluetetur, nullúmque iam sit amplius inter nos commercium.] Verùm mihi oportunè iam sermo in eam transit partem, de qua secundo mihi loco dicendum proposui. Attende obsecro diligenter, si verum tibi dicere videor. Dico te Archedemo præsente & Aristocrito cum esses in hortis viginti fermè dies ante discessum meum è Syracusis Athenas, dixisse mihi illa quæ nunc etiam dicis: quòd Heraclidis & aliorum omnium magis quàm tui curā haberem. Præterea me in præsentia illorum rogasti, an meminissem cùm primò Syracusas

ve-

veni, suasisse me tibi ciuitates Græcas restituere. Egóque concessi meminisse me: & addidi etiã tunc optimum mihi videri. Fatendum est, ô Dionysi, quod subinde dictum est. petii equidem vtrum id solũ tibi consuluissem: an aliud præterea. Ad hæc tu iracundè nimium, & vt putabas, contumeliosè respondisti. Itaq; contumelia illa ex insomnio, id est verbis in rẽ veram transiit. Rogasti aũt me apertè nimium, si benè quid memini, me deridens, an ista præcipiliem tibi tanquã erudito, an non. Respondi, te id optimè meminisse. At ipse ad hæc adiecisti. Vt docto in geometria, an quomodo? Tunc ego quod respondere potetam, reticui: veritus, ne verbi alicuius exigui causa nauigatio illa à me expectata, mihi prolata angusta, fieret. Cæterùm ad illud iã redeamus, quo tendunt hęc omnia. Noli inuidiam conflare mihi dicens, te prohibitum fuisse à me ciuitates Grę cas dirutas à Barbaris, restituere: ac Syracusanis gubernationem pro tyrannica regiã mutare. Nihil enim de me potes mentiri, quod à meis moribus sit alienius. Atqui si foret alicubi sufficiens huius rei iudicium, etiã alia dicerem superioribus clariora: probarémque manifestè me suasisse tibi vt illa faceres: te autem recusauisse. Nequaquam difficile est ostendere illa futura fuisse optima & tibi, & Syracusanis, & Siculis omnibus. Si ergo negas te ista dixisse cùm dixeris [satisfactum est mihi.] Quòd si fateris, Stesichorum sapientem puta, atq; eius palinodiam, id est cantum superiori contrarium imitatus, ex mendaci sermone te ad verum traducas.

PLATO DIONI SYRACVSANO, BENE AGERE.

EPISTOLA IIII.

PVto manifestã esse per omne tempus propensissimam voluntatem meã circa singula quæ contigerint: neque occultum esse vobis, studium conficiendi fuisse mihi non aliam magis ob causam, quàm vt in rebus honestis honorem consequerer. Censeo enim esse iustum, vt qui reuera boni sunt viri, & talia faciunt, dignam gloriã consequantur. Ac res quidem vsque adhuc, Dei beneficio, rectè se habent. De futuris verò maximum vobis propositum est certamen. Nã fortitudine quidẽ, celeritate, ac robore præstare tale est, vt aliorũ quoque esse possit: sed veritate, iustitia, magnificentia, & huiusmodi quadã honestate & dignitate præcellere ad eos qui ista gerunt, & talium sibi gloriã vendicant, præ cæteris attinet. Manifestũ sanè est quod dico. Meminisse autẽ debemus oportere nos, vt te non latet, plus aliis quàm pueris antecellere. Itaque constare omnibus debet, tales nos esse quales videri volumus: præsertim cũ deo iuuante facilè sit futurũ. Cæteris siquidẽ hoc cõtingit, vt multa loca [peruagari cogerentur, si vellent innotescere:] rerum verò tuarũ status huiusmodi est, vt ex vniuerso, vt ita dixerim, terrarũ orbe vnum in locũ, & in illo ipso in te vnũ maximè oculi omniũ sint conuersi. Tanquã igitur subiectus oculis spectatúsque ab omnibus conare Lycurgũ illum antiquũ exprimere, & Cyrũ: & siquis alius videatur vnquã moribus & publicis institutis excelluisse: præsertim quum sit multorũ ac penè omnium vestrorum opinio, post Diony-

Dionysium sublatū res esse perituras, propter tuā & Heraclidis & Theodoti cæterorúmque nobilium ambitionē & excellendi cupiditatē. Primū quidem optandum est, ne quisquā talis existat. quòd siquis talis esse videatur, tu medearis vt res in melius deducantur. Ridiculum tibi fortè videtur me ista monere, cùm tibi sint nota. Sed ego in theatris cōspicio, certatores à pueris prouocari: nedū ab amicis, qui beneuolentiæ studio cohortari putantur. Vos certè nunc tanquā in theatro quodā certatis. In quo si nostra opera opus est, certiores nos facite. Hīc autem perinde se res habent, vt quum vos aderatis. Scribite mihi quid actū sit, quídue agatur. Nā licet audiamus multa, certi nihil habemus. Multę à Theodoto & Heraclide feruntur epistolæ Lacedæmona & Æginā. Nos autē, vt dixi, audientes multa de rebus vestris, nihil aperte percipimus. Nec te lateat eā esse de te apud quosdā opinionem, quasi de homine aliquanto minus quàm decet officioso atque affabili. Memento igitur necessariā esse ad res gerendas hominū [a] beneuolentiā officiis & comitate mereri: austeritas verò solitudinem amicorum parit. Felix esto.

[a] ἀνθάδεια & τὸ ἀφίσοχειν hīc oppōuntur.

DIO PERDICCAE BENE AGERE.

EPISTOLA V.

EVphreo suasi quemadmodum ad me scripsisti, vt in rerum tuarum administratione perseueraret. Est autem meū tibi quoq; & de aliis rebus, hospitale & sacrū (vt appellatur) cōsiliū dare: & quēadmodū Euphreo vti debeas. Profectò vir ille ad multa vtilis esse potest.

Maximè verò ad id, cuius tu plurimùm indiges ob ætatem: præsertim cũ haud multi reperientur, qui de his rebus consiliũ iuuenibus cõmodè afferre possint. [a] Est enim vox quædã vnicuiusque ciuilis gubernationis, velut animaliũ quorundã. Nã aliã popularis aliã paucorũ, aliã vnius gubernatio vocẽ emittit. Has intelligere multi profitentur, sed longè absunt ab intelligendo, præter admodũ paucos. Quę igitur gubernatio propriã vocẽ erga deos & erga homines emittit, cõsẽtaneáſq; voci actiones reddit, ea viret semper atq; seruatur. q, ſi vocẽ alterius imitatur, imperitũ recipit. Ad hæc Euphreus tibi perutilis esse poterit: quãuis & ad alia vir fortis sit. Rationes enim monarchiæ, id est principatus vnius, non minus quã eos qui apud te sunt eum inuenturum spero. Ad hęc igitur illo fretus, vtilitatẽ ex eo percipies, & referes ipsi tu deinde quã plurimã. Quòd ſiquis hæc audiens obiiciat: Plato quidem profitetur quæ ad populare statum conferãt intelligere: nunquã tamen, licet occasio data fuerit, in ciuitate sua surrexit ad consiliũ populo exhibẽdum: ad hæc respondebitur. Platonẽ serò tandem fuisse in patria, populúmq; offendisse iã senectute desipientem, assuefactúmque per illos qui ante se fuerãt, multa diuersa facere à cõsilio suo. Nam libentissimè vt parenti illi consuluisset, nisi frustra seipsum periculo subiectu rum existimasset. Idem quoque circa consiliũ mihi fututum existimo. Si enim insanabiles videremur, re dimissa, omni de me meisq; cõsilio abstineret. Esto felix.

[a] Vnaquæq; Reip. forma propriam vocem habet.

PLATO

PLATO HERMIAE, ERASTO, ET CORISCO BENE AGERE.

EPISTOLA VI.

MIhi quidem videtur deorum aliquis fortunam vobis optimam, modò rectè eam recipiatis, benignè abundéque parasse. Quippe finitimi estis, & vtilitatē vobis mutuā conferre valetis maximā: Hermiæ siquidē neq; multitudo equorū, neq; alius belli apparatus, neq; auri magnitudo vsque adeò vires augeret, quātum amicorū bonorū constantia atque fidelitas. Erasto autem & Coriſco præter sapientiā istam de speciebus pulchertimam alia insuper affirmo, & si sum senex, opus esse sapientia ad improbos iniustósque cauendū, & ad resistendum potentia. Sunt enim inexperti fraudum: quia penes nos cū hominibus viuere diu consueti sunt minimè malis. Quapropter illos huiusmodi quadā indigere dico cautione, ne cōpellantur verā negligere sapientiā, & humanā hanc necessariámque sapientiā, plus quàm deceat, meditari. Rursus verò eam ipsam vim mihi videtur Hermias in primis natura vsque & arte consecutus. Quid igitur dico? Equidē Erasti & Coriſci mores ingeniáq; expertus magis quā tu confirmo tibi, ō Hermia, denuncio, testor, nō facilè magis fidos homines istis finitimis esse te reperturum. Tibi itaq; consulo, vt quoad fieri potest ac licet, omni studio hos viros cōplectaris. Vobis quoque, ō Eraste & Coriſce cōsulo, vt Hermiā vicissim suscipiatis, certantes mutuo amore & beneficio, vno maximè amicitiæ nodo vinciri. At siquis vestrūm coniunctionem istā dissoluere videatur, nā humana quidem mobilia sunt, huc ad me incōsique

mitte accusatoriam in delinquentem epistolã. Puto enim iustitia & pudore refertos, qui à nobis proficiscuntur sermones, nisi quod magnum subsit, magis, vt dicitur, omni incantatione vos in pristinã amicitiã & communionẽ copulaturos. Ita si philosophemur omnes, vtrique quantũ valebimus, & nostrum cuique concedetur, rata hæc modò edita oracula seruabuntur. Quòd si ista negligamus, nihil equidem præfabor. Omen nanque bonũ vobis prædico, atque vaticinor, hæc bona omnia nos ita demum esse facturos, si deus voluerit. Hanc verò epistolam à vobis tribus simul legendã censeo: aut saltem duobus vnà legentibus, & sæpe etiam repetentibus. Vtendúmque vobis pacto & lege certa: etiam iureiurando vt æquum est interposito, non sine eleganti studio atque huius studiis sorore disciplina, testando [a] deum rerum omnium ducem præsentium & futurarum, ac ducis & causæ patrem dominũ. Quem si verè philosophemur, cognoscemus apertè omnes, quatenus felicis hominis natura pertingere potest.

[a] *Deum rerũ omniũ quæ sunt & quæ erunt imperatorem & Naturæ patrem.*

PLATO DIONIS PROPINQVIS ET AMICIS BENE AGERE.

EPISTOLA VII.

SCripsistis mihi censere vos eandem mentem in repùblica esse vobis conseruandã, quam Dio habuisset: méque rogatis in communionem accedere quantum verbo factóque viriam habeam. Ego autem si eam voluntatem opinionémque quam ille habuit, habetis, assentior vobis & in cõmunionem accedo. Si non habetis, de ea re consultandum etiã atque etiam

etiam dico. Quæ verò fuerit illius mens atque voluntas, non vt coniectans, sed tanquã sciens referre possim. Quando [a] ego primum Syracusas profectus sum, annos circiter quadraginta ætatis agens, Dio in ea erat ætate, qua nunc Hipparinus: & in ea quã tunc comprehenderat opinione semper perseuerauit, Syracusanos putans esse liberos oportere, atque optimis legibus gubernari. Itaque non sit mirandũ, siquis deorũ hunc in eadem opinione reipublicæ gubernandæ sibi perpetuò consentientem reddiderit. Qua verò ratione id fuerit faciendum, digna res est, quæ & seni & iuueni audiatur. Conabor autẽ, quoniã præsens tẽpus id poscit, rem omnẽ à principio vobis referre. Equidẽ adolescens dũ essem eandẽ quã plerique habui cupiditatẽ. Statuerã enim cùm primũ mei ipsius cõpos factus essem, ad rempub. me conferre. Interim talia quædã circa rẽpub. contigerunt. Nã [b] cùm is qui tum erat, reipub. status à multis improbaretur, secuta mutatio est. Tunc vnus & quinquaginta viri gubernatione suscepta, vndecim in vrbe, decẽ verò in piræo forẽsiũ vrbanarũq; rerũ administrationẽ habebãt: [c] sed penes triginta viros sũma erat omniũ autoritas constituta. Horũ nonnulli domestici & noti erant mihi: qui me statim ad rẽpublicã capessendã inuitauerunt. Atque ego nihil mirabile sum ob iuuentutẽ perpessus. Quippe existimabã illos ab iniusta vita ciuitatẽ ad iustos mores debere cõuertere. Itaq; diligẽter in dies quid facerent, obseruabã. Verũ animaduerti eos breui admodũ tẽpore ita se gerere, vt prior ille reipub. status fuisse aureus putaretur. Nã & alia multa iniustè fecerunt: & amicũ meũ iuniorẽ Socratem quẽ ego

[a] *Annos 40. natus Syracusas primùm venit Plato.*

[b] *Quis erat Reip. status Athenis quum iuuenis adhuc erat Plato.*

[c] *Triginta virorũ imperium Athenis.*

iustissimũ omniũ qui tunc erant appellare nõ vereor, vnà cũ aliis quibusdã ad adducendum ciuiũ quendã ad se miserunt, vt vltimo supplicio afficeretur: Socratémque ipsum vel sponte vel inuitũ quasi participẽ & sociũ consiliorũ, eorũque quæ agebãt sibi adiungerent. qui tamen parere noluit ac potius cuncta pati grauissima cõstituit, quàm impiorũ scelerũ illis socius existere. Hæc igitur cùm viderem, & alia quædã nõ parua grauiter tuli, & ab illis malis me recepi. Nec multò põst secuta horũ triginta euersio est: totáq; respublica mutata. Rursus igitur quãquã moderatius, cupiebã tamẽ adire rẽpub. Sed agebãtur tũc etiã, vtpote turbata republica, quæ improbares permulta. Nec sanè mirũ fuerit in huiusmodi mutationib. inimicos quosdã pœnas dare grauiores, quãquã qui redierant, magna vterentur clementia. [a] Iterũ forte quadã accidit, vt Socratẽ hunc amicũ nostrũ potentes in republica quidã accusarẽt impiũ crimen obiicientes, ac minimè omniũ ipsi conueniens. quasi enim nõ rectè de diis sentiret, alij quidẽ in iudiciũ traxerũt: alij sententiã in eũ dixerũt, condẽnauerũntque: & eũ hominẽ necauere, qui superiori tẽpore quò nihil impiè faceret, vnũ ex ipsis tunc exulantẽ ducere, atq; rei impię nullo modo particeps fieri sustinuerat. [b] Cũ hęc igitur animaduerterẽ, & homines qui in reipublicæ gubernatione versabantur, legésq; & mores, quãto magis cõsiderarẽ, quantóq; magis ætate progrederer, tãto difficilius arbitrabar esse rectè rẽp gubernare. Neque enim hoc fieri potest absq; amicis sociisq; fidelibus. Quos tũ reperire haud facilè erat: (nõ enim amplius patriis morib. institutisque ciuitas nostra gubernabatur:) & parare nouos impossi-

[a] *Socrates abolito imperio triginta virum accusatus & damnatus.*

[b] *Quid Platonẽ à Rep. capessenda deterruerit.*

impossibile erat sine summa difficultate, vtpote simul legib. moribúsq; penitus corruptis. Itaque ego ille qui primus exarsera incredibili cupiditate me ad rempublicã conferendi, intuens cuncta in præceps deferri, tandẽ quò me verterem, nesciebã. Et ab inuestigatione quidem nequaquam desistere placuit: si quid fortè melius eueniret & circa hæc ipsa & vniuersam rempublicam: agendi verò opportunitatẽ aliquam expectare. Tandem verò compertum est mihi, respublicas omnes quæ nunc sunt, improbè gubernari. Nã quantum ad leges attinet, insanabiles fermè sunt, nullo instituto egregio, sed fortuna quadã viuẽtes. Quapropter dicere adductus sum, laudans rectam [a] philosophiã, quid iustum sit & quid non, tã in republica quàm in priuata per eã duntaxat discerni. [b] Itaque non prius desiturũ humanũ genus in malis versari, quàm aut homines rectè veréque philosophantes rerumpub. gubernationẽ adepti fuerint: aut hi qui gubernant, diuina quadã sorte verè philosophẽtur. Hac ego mẽte Italiã Siciliámque adiui, hæc fuit prima in ea loca profectio mea. Quò cùm venissem, vita illa beata, quæ ferebatur, plena Italicarũ, Syracusanarúmque mensarũ, nullo modo mihi placuit, bis id die saturum fieri, nec vnquã pernoctare solum cæteraque comitantur huic vitæ. Nemo enim omnium qui sub cælo sunt, si in huiusmodi moribus ab adolescentia nutriatur, quamuis natura & ingenio excellenti præditus, vnquam tamen prudens euadet. Temperatus esse certè nunquam curabit. Eadémque erit de cæteris virtutibus ratio. [c] Ciuitas autẽ nulla legib. acquiescere poterit, si cuncta in superfluos sumptus eroganda ciues existiment:

[a] *Philosophia sola discernit iustũ ab iniusto tam in publica quàm in priuata vita.*

[b] *Beata Resp. quum aut philosophi principes erũt, aut principes philosophi.*

[c] *Luxus, otium, voluptates immodica possunt ciuitates.*

exteríſque poſt habitis omnibus, conuiuiis duntaxat & venereis oblectamentis obnixè putent operam impendendã. Neceſſe eſt huiuſ modi ciuitates modò in tyrannidẽ, modò in paucorum potentiam, modò in popularem ſtatum mutari: neque vnquam quieſcere: iuſtæ verò æquabiliſque gubernationis, eos qui in his ciuitatibus potentes ſunt, ne nomen quidem ipſum audire velle. Hæc ego vnà cum ſuperioribus illis conſiderans, Syracuſas profectus ſum: fortè quidem fortuna quadam. Videtur autem alicuius eorum opera qui ſupra nos ſunt, principium tunc fuiſſe datum omnibus quæ nuper Dioni Siracuſiſque contigerunt: ac vereor, ne pluribus inſuper, ſi vos mihi nunc iterum conſulenti nequaquam aſſentiamini. Quemadmodum verò dicã omnium fuiſſe principium, profectionem tunc Syracuſas meam accipite. Ego cum Dione tunc iuuene conuerſabar frequens, & quæ hominibus optima fore arbitrabar, quibus poteram rationibus ſuadebam, & vt faceret conſulebam. Sed his dicendis videor latenter & præter intentionem tunc eã tyrannidis ruinã quæ ſequuta eſt, parauiſſe. Dio enim cùm eſſet acerrimo ingenio, cum ad cætera omnia, tũ ad ea quæ tunc dicebantur à me perdiſcenda, ita celeriter ac vehementer illa arripuit, vt nemo ex omnibus iuuenibus, quos vnquã conuenerim. Ac reliquam vitam ducere ſtatuit multò præſtantius, quàm alij multi Italicorũ atque Siculorum, virtutẽ potius quàm voluptatem deliciáſque ſectatus. Itaque moleſta & grauis erat vitæ ipſius ratio illis qui in tyrannicis inſtitutis degebant, atque hoc vſque ad Dionyſij mortẽ. Poſtea verò animaduertit eã ſententiã quã

ipſe

ipse rectis conceperat rationibus, nō in se vna solùm, verumetiā in aliis quibusdā licet non multis existere posse, in quorū numero Dionysiū iuniorē diis bene iuuātibus sperabat fore: quod si accideret, & ille ipse & cæteri Syracusani mirificā felicitatē nancisterentur. Quapropter censuit me quàm celerrimè Syracusas debere accedere, vt horū socium adiutorēque me adiungerem: memoria tenens quàm facile dudū mea consuetudo ipsum in cupiditatē vitæ pulcherrimæ atq; optimæ traduxisset. Quā cupiditatē si in Dionysio vt aggressus erat perficeret, magnā spem habeat [a] absque cædibus & sanguine, & absque iis quæ nunc euenerunt malis, veram viuendi rationem ac beatam vitam in vniuersa illa regione constituere posse. Hęc Dio rectè considerans, Dionysio suasit, vt me vocaret: & ipse quoque rogauit vt accederem cunctis posthabitis festinarem, prius quàm vili alij Dionysio adhærentes, neglectis optimis vitæ institutis ad alia illum deflecterent. Cohortationem insuper precibus longam adiunxit. Quódnam, inquit, tempus aliud iam expectamus ad agendum opportunius, quàm quod nunc nobis est diuina quadam fortuna concessum? Narrabat præterea magnitudinem imperij Dionysij per Italiam atque Siciliam, eiúsque in his ipsis locis potentiā, inuentam quoque, atque cupiditatem eius ad philosophiæ & disciplinæ studia vehementissimam. Quinetiam quàm propensi forent eius necessarij atque domestici cùm ad eam quā suaderē disciplinā vitæ recipiendā, tum etiam quā in ipso quoque Dionysio ad hoc prouocādo valerent. Itaq; si vnquā alias, nunc certè maximam adesse spem, eosdē fore & philosophos & ma-

[a] *Platonis prima profectio Syracusas.*

gnarum principes ciuitatum. Ille igitur his me rationibus aliis generíſque eiuſdem permultis adhortabatur. [a] Ego verò quò tandem affectus iuuenum euaſurus eſſet formidabã. Taliũ enim cupiditates & veloces ſunt, & ſæpe ſibimet contrariæ feruntur. Dionem tamen tum natura grauem, tũ ætate iam ſatis maturũ eſſe ſebam. Itaque cogitanti ambigentíque mihi vtrum eundum parendúmque foret, nécne: ſubiit tandem, obſequendũ eſſe. Atque ſiquis vnquam ea quæ de legibus & republica cogitauerat perficere velit, nunc fore tentandum. Quippe cùm iudicarẽ ſi vni duntaxat perſuaſiſſem, me bona ſufficienter omnia perfecturum. Quamobrem hac ſententia fiduciáque domo abiui: non qua opinabantur quidã: ſed quadam verecundia in primis adductus, ne quando mihi ipſi viderer verba ſolùm habere: effectum verò officiúmque nullum ſponte præſtare: proderéque primùm Dionis hoſpitalitatem amicitiámque non paruis ſubiecti periculis. Cui ſiquid aduerſi accideret vel pelleretur à Dionyſio cæteríſque inimicis, atque profugus ad nos his verbis confugeret: O Plato venio ad te patria pulſus: cùm neque militibus, neque equitibus carerem, quorum viribus reſiſterem inimicis: ſed verbis perſuaſionéque indigerem: qua maximè ſciebã te poſſe, iuuenes ad probitatẽ iuſtitiáque exhortando in amicitiã neceſſitudinéque deuincire. Quarũ defectu rerũ modò per te factũ eſt vt ego Syracuſis expulſus huc aduenerim. Et mea quidẽ fortuna abs te deſerta, minus tibi vituperationis affert. At verò ipſa philoſophia, quã ſæpe laudas, quámve apud alios carere honore cõquereris, nónne abs te nũc vnà mecũ prodita eſt?

[a] *Secunda profectio Platonis, Syracuſas, cauſa.*

est? Quòd si Megaris fuissem, venisses vtiq; mihi adiutor, cũ te vocassem, alioquin te omniũ ignauissimum iudicauisses. Nunc autem ob itineris longitudinem, periculúmque nauigationis atque labores, te excusans infamiam cuitare te putas: permultùm certè aberit. Si inquam, hæc ille diceret quęnam mihi esse probabilis responsio? Certè nulla. Quas ob res rationibus quoad fieri potest probabilibus atque ipso iure adductus accessi, relinquẽs exercitationes meas satis quidem honestas, vt subirem tyrannidem neque meis sermonibus, neque mihi conuenientem. Veniẽs autem me liberaui, ne vel hospitalis Iupiter, vel philosophica fors accusare me posset. Certè philosophiæ dedecori fuissem, si ob mollitiem timiditatémque infamiæ notam subiissem. [a] Cæterùm cùm eò venissem (neque enim oportet longius euagari) omnia apud Dionysium seditionis plena offendi, atque calumniarum in Dionem, quasi tyrannidẽ affectaret. Defendi igitur quantũ valui, sed parũ potui. [b] Quarto enim ferè mense post aduentũ meum Dionysius accusans Dionẽ quasi tyrannidi insidiaretur, in paruum coniecit nauigium ac turpiter expulit. Amici verò Dionis, quot eramus, cuncti formidabamus, ne fortè aliquem nostrum Dionysius quasi socium illius criminis supplicio afficeret. Rumor autem exortus est Syracusis, me occisum esse à Dionysio, quasi omnium quæ tunc acciderint, autoré. [c] At ille sentiens nos omnes sic affectos, veritus ne ex metu nostro aliquid forsan accideret grauius, benignè admodum omnes recepit. Me certè ipsum consolatus bona habere spem iussit, atq; vt permanerem, omnino rogauit. Erat

[a] *Quæ in Italia res circa Dionysium & Dionem inuenerit Plato, vt venit Syracusas.*

[b] *Dion expellitur à Dionysio.*

[c] *Dionysius licet pulso Dione Platonem retinet.*

enim ipsi in fuga quidem mea nihil laudis: sed me permanēte. Atque idcirco precari me maxime simulabat. [a] preces autē tyrannorū necessitati permixtas esse non ignoramus. Cùm verò ne abirē machinaretur, collocauit in arce: atque his locis habitare voluit, vnde nullus post hac nauta non modò prohibēte illo, sed nisi iubente atque mittente foret abducturus: neque quisquā siue mercator, siue alicuius oræ maritimæ præfectus, me solū exeuntē conspexisset, qui non me captum ad Dionysium repentè reduceret: præsertim cùm iam contrà quàm prius vulgatum esset, Dionysium rursus Platonem vehemēter complecti. Et quodammodo ita erat. Neque enim tacendū est verū. [b] Complectebatur ille quidem in dies me magis atque magis, & gaudebat moribus nostris atque cōsuetudine. Cupiebátq; à me laudari magis quàm Dionē: & amicū longè magis existimari. Et ad id quidē maximè, contendebat. Rationem verò qua id optimè fuisset factum, si modò id fieri potuisset, neglexit. Hæc enim fuerat, vt mihi videlicet in audiendis addiscendísque philosophiæ rationibus liberius adhæreret, mecúmq; conueniret. At verò ad hoc ille diffidentior erat: timés ne quēadmodū assérebant calumniatores, si rationibus illis implicaretur, Dio, quæ cupiebat, iam esse omnia consecutus. Ego autē omnia pertuli, in eadem sententia perseuerans, qua ab initio profectus eram: tentans siquo pacto fieri posset vt in cupiditatem vitæ philosophicæ perueniret. At ille contrà nitens me vicit. Et primū quidem tempus meæ profectionis [c] in Siciliam, actionúmq; illic mearū per hæc omnia traductum est: posteris verò tēporibus in Siciliam iterum

sum

a Preces tyrannorū necessitati permixtæ.

b Dionysius Platonem amore complectitur.

c Sub Dionysio iuniore nimirum.

sum reuersus: quo me omni studio Dionysius reuocabat. Quā verò ob causam rursus accesserim, quídve illic egerim, neq; id quidē absq; ratione, tunc demum vobis referam, cùm vobis quid potissimum rebus sic se habentib. agendum sit, consulero. Referam inquam eorum gratia qui interrogant quónam consilio secundò redierim. Sed ne quæ accessoria sunt præcipuis anteponantur, ad consiliū iam deuenio. [a] Reor equidem hominem consulentē ægroto, & circa victum intemperanti, in primis hoc suadere debere, vt modū viuendi mutet: ac si ægrotus in hoc obediat, tunc alia iam illi ad medelam conferre. Ac si parere nolit, tunc consultorem ipsum virū putabo & medicum, si à cōsilio dādo destiterit: quòd si cōsulendo vlterius perseuerauerit, contrà putabo ignauū scilicet atque artis expertē. Idē quoque de ciuitate, siue vnus eā gubernet, siue plures, existimo. [b] Si enim probabili quadā ratione rectáque via incedenti, populo vile aliquid consulatur, id quidē agere, sapientis officium arbitror. Sin autē penitus à ciuili ratione desciscat, neq; vestigia quidē eius sequi velit, dicátque consultori præstare vt rempublicam omittat, neque quicquam in ea cōmoueat, vtpote si cōmouerit perituro: voluptatibus autem libidinibúsque ipsorū inseruiat: atque ea ratione cōsulat, qua facillimè semper celeritér que satis eorū voluptatib. fiat: equidē eum qui eiusmodi cōsilia dare sustineat, nequaquā virum putabo: sed eum potius qui ab illis abstineat. In hac ergo sententia cōstitutus, quoties aliquis me de rebus grauioribus consulit, siue ad diuitias, siue ad corporis, vel animi purgationem pertineant, si quotidiana illius vita

[a] *Quibus cōsilium dandum sit, quibus minimè.*

[b] *Inuito repugnanti, & nullo modo parere volenti cōsiliū non est dandum.*

modum aliquem seruare posse videatur, vel saltem consulenti mihi videatur obtemperaturus, libenter cõsulo, neq; prius desino quàm initium pro viribus ad finem vsque perduxerim. Si autem omnino non petat à me consilium: aut qui petit, manifestè appareat consulenti mihi nullo modo obtemperaturus: vltro quidem non accedo ad consultandũ: per vim verò, ne si meus quidẽ sit filius. Seruo tamen etiam inuito consulerem, ac vi adhibita compellerem. At patrem vel matrem per vim cogere nefas esse arbitror, nisi propter morbum mente alienatos. Quòd si suo quodam more viuant, quia mihi nequaquam probetur, neq; infensus aduersarer frustra monendo, neque rursus blandiendo eorum cupiditatibus assentarer, ea porrigens quibus ego si indulgerem, viuere nolim. Hæc eadem mente circa patriã vir prudens esse debet: vt ita reprehendat ciuitatis errores, si neque frustrà sit reprehensurus, neque ob reprehensionis studium perit-

[a] *Patria laboranti grauiter, nunquam per vim remedium adferet vir sapiens.*

rus: [a] vim autem patriæ per reipublicæ mutationem afferet nunquam, quando absque expulsione & cæde ciuium emendari nõ possit. Sed quietè aget, votóq; precabitur optima & sibi & patriæ. Hoc igitur pacto ego vobis cõsulerẽ. Cõsulebã similiter Dionysio vnà cũ Dione: ea videlicet ratione quotidie viuere, qua suipsius cõpos maximè redderetur: amicósque

[b] *Dionysius senior perit quod sibi nullum amicum fidum comparare nouisset.*

& familiares fidos haberet: ne idem sibi quod & patri accideret. [b] Qui cùm multas in Sicilia magnásque vrbes suscepisset, quondam à Barbaris deuastatas, eásque restituisset: non potuit in singulis illarum gubernatores rerumpublicarum cõstituere fidos, neque ex domesticis suis, neque ex aliis vndecúmque compa-

ratis

ratis, neque ex fratribus suis quos ipse à pueris educauerat: sed tũ ex priuatis hominibus magistratus, tum ex pauperibus admodũ diuites fecit. Horũ tamen nullum fidum sibi gubernationis sociũ potuit adhibere, vel suadendo, vel docendo, siue largiendo, siue in necessitudinem recipiendo: septies deterior Dario, qui neq; fratribus cõfidens, neque his qui sub eo educati fuerant, sed [illis duntaxat quos socios habuerat & ministros in Smerde, Medo & Eunucho capiendis] imperii partes diuisit septẽ, singulas maiores tota Sicilia: assignauitq; singulis. Atq; eos fidos nactus est regni socios, neq; vel sibi, vel inuicẽ infidiãtes. Præterea exemplũ dedit, qualẽ oportet seipsum legumlatorem regémq; bonũ præstare, quippe cùm leges tulerit, quibus adhuc Persarũ seruatur imperiũ. Accedit ad hæc, quòd Atheniẽses cũ multas Græcorũ vrbes non à se quidẽ, sed ab aliis cõstitutas, deinde occupatas à Barbaris in potestatem suam recepissent, annos septuagintá in iis tenuerunt imperium, vtpote qui amicos sibi in singulis ciuitatibus comparauerant. [a] Dionysius autẽ cùm in vrbem vnam vniuersam Siciliã congregasset, ob sapientiã nulli cõfidens ægrè seruatus est. Carebat enim amicis fidísque hominib. quo nullũ maius est argumentũ, vel improbitatis si desint, vel probitatis si adsint. Hæc igitur Dionysio ego ac Dio consulebamus, postquã paternæ res sic se habuissent, quòd neque eruditorũ virorum familiaritates, neque decentes haberet consuetudines. [b] Admonebamúsque, vt animum ad hæc intendens, in primis amicos sibi alios ex domesticis & æqualibus cõparet, ad virtutémq; cõcordes. Maximè verò vt seipsum nosi

[a] *Dionysius senior in vrbem vnam vniuersam Siciliã congregauit.*

[b] *Darius legib. Persarũ imperiũ stabilitauit.*

b. Dionysium iunior inconstans & sibi nunquam consentiens.

consentientem cōstantémque præstaret? huius enim rei defectū apud eum esse quàm maximum ostendebamus, non apertis quidē nūc verbis, neque enim tutum fuisset, sed ratione quadam latentiore, idem tamen significante, docentes ita demum vnumquenque hominū tam se quàm illos quibus imperat posse seruare, si hæc obseruauerit: sinautem contrà se gesserit, contrà prorsus accidere. Quòd si ita vt dicebamus se compararet, séque ipsum prudentem temperatúmque præstaret: si rursus deuastatas vrbes Siciliæ restitueret, aclegibus institutísque ad rempublicam pertinentibus eas muniret, vt & sibi beneuolæ, & inter se innicem contra vim Barbarorum auxilio forēt, non duplicaret modò regnum paternum, verumetiam multiplicaret. Fore quidem si ita se gereret, vt Carthaginēses multò magis faciliúsque illius potestati subiicerētur, quàm Geloni subditi fuissent: contrà quàm patri accidit suo. ille enim pendere tributum Barbaris coactus fuerat. Hæc erant quæ dicebamus præcipiebamúsque Dionysio, nos videlicet infidiantes, ipsi, vt multi diuulgauerāt. qui & cùm nos apud Dionysium superauissent, Dionem quidem expulerunt, nos autem in formidinē coniecerunt. Verùm vt non pauca paucis cōprehendamus, Dio profectus ex Peloponneso atque Athenis, rebus iam ipsis Dionysiū commonefecit. Cùm ergo liberasset ciuitatem Dio, eámque iam bis ciuibus reddidisset, eodem pacto affecti fuerunt aduersus Dionem Syracusani, quo & antea Dionysius. Nam olim Dionysium Dio educare atque erudire contenderat, quò eum regem regno redderet dignum, talémque se illi per omnem vitā præ-

stare

stare statuerat. Obtrectatores autem calumniatoréſque Dionyſio perſuaſerunt, Dionem quaſi tyrannidi inſidiantem in eo tempore hæc omnia machinari, vt mens Dionyſij diſciplinæ ſtudiis irretita, dominationem negligeret, eámque Dioni totam relinqueret. Dio verò gubernationem dolo vſurpans, illum expelleret. Quemadmodum verò tunc apud Dionyſium, ita poſteà inter Syracuſanos hæc eadem dicta iactatáq; peruicerũt, infami prorſus turpíque victoria his ipſis qui vicerant. Sed quale id fuerit, audire vos oportet, qui me ad res nunc veſtras componendas vocatis. Veni ergo Athenienſis homo Dionis amicus atque adiutor eius aduerſus tyrannum, vt pro bello amicitiam facerem, at pugnans contra calumniatores, ſuperatus ſum. Cùm verò Dionyſius conaretur non verbis ſolũ, ſed pecuniis etiam & honoribus me ſibi cõciliare atque detinere, vt mea cum ipſo familiaritas teſtimonio foret Dionem non iniuria expulſum fuiſſe, nihil apud me hac in re tanto ſuo conatu cõſequi potuit. Poſteris verò tẽporib. Dio tediés domũ fratres duos Athenienſes ſecũ duxit: nõ ex philoſophia ſic amicos, [a] ſed ex hac communi vulgaríq; familiaritate: quæ hoſpitalitate quadã & frequenter inter ſacra ſpectaculáque conſuetudine, amicitiã contrahere conſueuit. Similiter illi tum ex his quæ dixi, tum quia redeunti obſequia præſtiterunt, amicitiã cum Dione conflauerant. Hi ergo cũ in Siciliã profecti eſſent, intelligerẽtq; calũnias inter illos ipſos qui ab ipſo liberati erãt, in Dionẽ cõiectas, quaſi tyrannidẽ affectaret, [b] non prouiderunt modò amicum & hoſpitem, ſed ferè propriis manibus ipſi percuſſores fuerũt.

[a] *Vulgaris & trivialis amicitia.*

[b] *Dion quomodo perierit, & quib. authorib. & adiutoribus cadis.*

Arma enim tenentes interfectoribus palàm auxiliati sunt. Et facinoris quidem illius turpitudinem impietatémque neque prætereo equidem, neque enarro. Multi enim hæc diligentius celebrant, ac in posterum celebrabũt. Sed aduersus infamiam ciuitatis nostræ respõdeo. Nam si Athenienses fuerunt illi qui prodiderunt, ille quoque Athenienſis fuit, qui neque pecuniarum neque honorum pollicitatione, vt proderet illum adduci vnquam potuit. [a] Non enim per vulgarem mercenariámque beneuolentiam factus erat amicus: sed per liberalis disciplinæ communionem. Cui certè vni qui sapit, plus adhibet fidei, quàm vlli & animorum coniunctioni & corporum consanguinitati. Itaque non tanti æstimandi sunt illi, vt dedecus ciuitati ob Dionis cædem afferre potuerint: quasi alicuius pretij vnquam fuerint. Hæc dicta sunt omnia, quò Dionis amicis propinquísque consuleretur. Consulo autem præterea & tertiò vobis quoque iam tertiis idem prorsus eadémque ratione: ne Sicilia, néue ciuitas vlla aliquibus hominibus, [b] sed legibus duntaxat subiiciatur, vt nostra fert sententia. neque enim dominantibus ipsis, neque seruientibus id vtile est, neque eorum filiis, aut natis natorum: sed pernicioſorum omnino hominum est id aggredi. Angusti verò & illiberalis animi est eiusmodi lucra præripere: nihil vel in præsens vel in futurum tempus bonorum iustorúmque vel diuinorum humanorúmue intelligentis. Hæc ergo Dioni primum persuadere conatus sum: deinde Dionysio: tertiò verò nunc vobis. Ergo pareatis mihi Iouis tertij seruatoris gratia.

[a] *Quantus thesaurus vera an ficta virtute senilitate.*

[b] *Legib. non hominib. ciuitates subiicere oportet.*

Præterea Dionysij Dionísque exitum a-

ni-

animaduertite. Dionysius quidem non obtemperans consiliis meis, viuit etiam nunc non honestè: Dio verò cùm obtemperauisset, honestè interiit. Ei namque viro qui præclarissima sibi patriæque affectat, nihil vnquam nisi rectum & honestum potest accidere. Nec verò quisquam nostrum natus est immortalis: neque sicut id contigerit, esset is propterea felix, vt vulgo videtur. Rebusquidem carentibus anima nihil vel bonum est, vel malum existimatione dignum: sed vnicuique animæ id accidet, aut dum est cum corpore, aut à corpore separatæ. [a] Credendum est reuera semper antiquis sacrisque verbis, quæ nobis nunciãt immortalem esse animam, iudicéque habere, suppliciáque pati maxima: postquàm à corpore fuerit separata. Quamobrem minus malum existimandum est, perpeti grauissimas iniurias à delinquentibus illatas, quàm inferre. [b] Quæ quidem homo cumulandæ pecuniæ deditus, & hebeti ingenio non audit, ac si audiuerit, quasi suo iudicio deridenda contemnit: atque imprudenter rapit vndique quicquid existimat sibi veluti bestiæ, voluptatesventris suppeditatui um, oblectationémque veneream: seruilem certè atque ingratam & absurdam, nec veræ voluptatis nomine dignam: & quasi cæcus non cernit se frustra contendere inexplebilem explere concupiscẽtiam. Neque rursus cernit quantum sit impietas malum, quibúsque insit rebus semper iniustitiæ mixta. Quam quidem necesse est animam quæ perpetrauerit iniusta, secum habere, & dum per terram reuoluitur inter homines, & dum sub terram passim turpiter omnino atque miserè circumfertur. Cùm igi-

[a] *Immortalitatis animæ pœnarũque quæ à nocentib. apud inferos luũtur, opinio ad antiquos & sacros sermones refertur.*

[b] *Miseria hominũ impietati, iniustitiæ, & voluptatib. inseruientium describitur.*

tur hæc aliáque generis eiusdem Dioni dicerem, persuasi. Interfectoribus autem eius iustissimè quidem irascerer, eodem quasi modo atque Dionysio. vtrique enim & mihi & aliis, vt ita dixerim, omnibus damna grauissima intulerunt. Illi quidem cùm interficerent eum qui volebat iustitia vti: Hic autem cùm nullo pacto vellet iustè agere: in vniuerso regno maximam potentiam iam habens. In quo si philosophia vnà cum potentia verè in idem quasi domicilium concurrisset, per omnes homines Græcos & Barbaros elucentem verámque opinionem sufficienter omnibus ostendisset: neque ciuitatem neque hominem vnquam fore felicem, nisi & cum prudentia, & sub iustitia vixerit, siue per se illas possideat, siue sub sanctorum principum moribus ritè educetur atque erudiatur. In his quidem nocuit Dionysius. Cætera verò si ad hæc comparentur, damna perexigua mihi videntur. At enim qui Dionem interfecit, non intellexit idem, quod Dionysius se fecisse. Equidem certè scio, quantum homini de homine affirmare licet, [a] Dionem si rerum gubernacula diutius tenuisset, nunquam in aliam dominádi formam fuisse Remp. conuersurum, quàm cùm ab initio patriam suam Syracusas, expulsa seruitute in suo iure constituit libertatis iã splendore lætissimam: deinde omni studio ciues congruis optimísque legibus ornaturum: præterea omnem diligentiam adhibiturum fuisse, quò tota inhabitaretur Sicilia, liberaretúrque à Barbaris, aliis quidem expulsis, aliis verò subactis facilius quàm fecerat Hieron. Cùm verò hæc per virum iustum, fortem, temperatum, vel philósophum gesta fuissent, ea-

[a] *Dió qualis fuisset, si diutius illi expulso tyrãno rerũ potiri contigisset.*

dem

dem apud multos virtutis floruisset opinio: quę & salua re apud omnes, vt ita dixerim, homines viguisset, si Dionysius nobis ab initio paruisset. Nunc autem siue quis dęmon, siue pernicioſus aliquis his seſe obiiciens, iniquitate & impietate, & quod peſſimum eſt ignoranti audacia: ex qua mala omnibus omnia & radicibus hęrent, & pullulant & in poſterum producunt fructum auctoribus ſuis amariſſimum: cuncta hęc peruertit rurſus & perdidit. Sed nunc tertiò felicium auſpiciorum gratia, bona duntaxat ominęmur. Conſulo igitur vobis amicis, vt Dionem imitemini: amorem illius in patriam vitęque temperantiã magis magiſque complectentes. Boniſque auſpiciis conſilia eius perficere conemini, quę qualia fuerint, apertè quidem ex me audiſtis. At ſi quis eſt inter vos, qui Doricè nequeat viuere ſecundum patriæ inſtituta, ſequatúrq; Siculum viuendi morem, & eos qui Dionem occiderunt, neque eum recipere, neque exiſtimare velitis vlla in re fidelem atque ſyncerum. Cęteros autem adhortari potius debetis ad habitationem totius Siciliæ diſponendam, legúmque æquabilitatem ex ipſa Sicilia, tum ex omni Peloponneſo: nec Athenas horrete. Sunt enim & ibi viri virtute omniũ præſtantiſſimi, & qui odio habeant eorum crudelitatem, qui hoſpitum cæde ſe polluant. Verùm ſi hæc tardiora iam ſunt, vrgéntque vos quotidianæ, multiplicéſque ſeditiones atque diſcordię intelligere vnumquenque oportet, cui modò vel paulum rectæ opinionis ſors quędam diuina largita ſit, nullum fore finem ſeditionum, malorúmque ex ſeditione naſcẽtium, prius quàm illi qui vicerint prælio, à

a *Quib. cõsiliis & factis, seditiones ciuiles & domesticas cõpescere possint, qui rerũ gubernacula opibus & potentia sua freti occuparunt.*

cædibus pulsionibúsque ciuium, atque etiam iniuriarum commemoratione vindictæque cupiditate temperantes inimicis concilientur, suíque ipsius compotes fiant: præterea leges ferant communes nihilo magis ad voluptatẽ suam quàm eorum quos vicerint: cogántque illos his legibus vti. Cogant inquam, gemina necessitatis via: metu scilicet & pudore: metu quidem, propterea quòd potentiores sint suam vim demonstrantes: pudore verò ex eo, quòd rursus potentiores promptiorésque appareant tum in voluptatibus superandis, tum in legibus obseruandis. Aliter autem nulla prorsus est via finiendorum malorum ciuitatis in seipsa seditionibus laborantis: sed seditiones, inimicitiæ, odia, proditiones in republica, vt in ciuitatibus ita se habentibus intra se atque vicissim fieri consueuit, semper exorientur. Quamobrem qui tanquam potentiores rempubl. tenent, si salutem exoptant, ipsi inter se eligere atque in honore præferre eos debent, quos esse audiuerint optimos: primũ quidem senes qui filios & vxores habeant, atque domicilium: ac maiores eorum quàm plurimos, & probatos, & insignes, sufficiénsq; omnes patrimonium possidentes. Ciuitati verò decem millium virorum, quinquaginta eiusmodi sufficiẽt. Hos ergo precib. honoribúsq; quàm maximis domo euocare debent: euocatos autem precari, atque iureiurando astringere, vt leges condant, quæ neque victoribus, neque victis plus tribuant: sed ius vniuersæ ciuitati æquum atque commune. Latis denique legibus in hoc iam omnia consistunt. Si enim victores sub esse legibus voluerint, magis etiam quàm illi qui victi sunt, omnia iam erunt sa-

lua

lutis felicitatísque plena: malaque omnia procul aberunt. Sin minus, nec me, nec alium in commune consilium ad eum vocare oportet, qui præceptis eiusmodi non acquieuerit. Hæc vtique germana sunt eorum quæ iam diu ego ac Dio Syracusis efficere recto iudicio aggressi sumus: posteriora tamen. Nam prima quidem illa fuissent quæ apud Dionysium ipsum primo, bona omnibus communia agere conati sumus. Sed fortuna quædam hominibus potentior illa dissoluit. Nunc autem vos ista conemini bona quadam sorte diuinaque fortuna fortunatius agere. Atque hic finis epistolæ de consilio, déque prima in Siciliam ad Dionysium nauigatione mea.

[a] QVOD autem sequens profectio & nauigatio mea, neque ab re, neque temerè suscepta fuerit, sicui id curæ sit, audire iam licet. Primũ quidem habitationis in Sicilia meæ tempus mihi transactum fuerat, quemadmodum suprà dixi prius quàm amicis necessariisq; Dionis consilium darem: postea verò quantum potui Dionysio persuasi, vt me abire permitteret. Conuenerat autem inter nos, vt cũ pax facta esset ex bello, quod tunc in Sicilia erat, statúsque illius tutius confirmatus Dio reuocaretur, atque ego simul accederem. Voluit autem Dionem intelligere atq; existimare se nõ quasi in exilio, sed in secessu quodam constitutum esse certo tempore rediturum. Ego verò consentiens recepi me ita facturum. Sed cũ postea pax secuta esset, me quidem accersiuit Dionysius: Dionem verò ad annum insuper hortatus est absentiam tolerare. Me autem, vt omnino ad se properatem, rogauit. Dio igitur,

[a] *Secunda Platonis ad Dionysiũ in uiorẽ profectionis in Siciliã causa.*

vt illuc accederem,& iubebat, & precabatur. Increbuerat enim in Sicilia fama, Dionysium miro quodam rursus philosophiæ desiderio affici. Quare commotus Dio,ne profectionem omitterem, magnopere flagitabat. Ego verò quanquam sciebam iuuenes plerunque erga philosophiam affici ita solere, existimaui tamen tutius fore, vt rem totam dimitterem, neque Dionysio, neque Dioni parerem. Odiosè igitur vtrique respondi: me videlicet idcirco non profecturum, quia senex iam essem, & eorum quæ in præsentia fierent, nihil ita vt conuenerat, fieret. Audiui autem Architam Tarentinum interim ad Dionysium accedisse. Ego enim illum ante discessum meum nonnullósque alios Tarentinos in Dionysij familiaritatem adduxeram. Erant & alij quidam Syracusis nonnunquam Dionis auditores: atque inter hos alij quidam, qui alia plurima in philosophia audiuerant, qui mihi visi sunt contendisse de rebus huiusmodi apud Dionysium disputare: quasi ille omnia quę excogitauerim, audiuisset. Ille verò nec hebes est ad perdiscendum: & honoris cupiditate vehementer incensus. Placuerunt igitur ipsi fortè quę dicebantur: manifestéque erubescebat, nihil à me cum ad eum profectus essem, audiuisse. Itaque partim amor planius audiendi eum inuaserat: partim cupiditas gloriæ stimulabat. Quam verò ob causam in prima illa peregrinatione mea non audiuerit, in superioribus enarraui. Cùm ergo domum ego sospes rediissem: atque illi iterum reuocanti negauissem, vt dixi, visus iam mihi est Dionysius honoris sui cura prorsus ardere: veritus ne sic acciperent homines negationem meam, quasi illum

prior-

prorſus contemnerem, cùm eius ingenium moréſque & vitam ipſa experientia cognouiſſem(iuſtum eſt autem me verum fateri)ferrémque æquo animo, ſi quis quæ contigerint audiens, meam quidem ſpernat philoſophiam,tyrannum verò mentem putet habere. Miſit enim Dionyſius tertiò ad me triremẽ, qua facilè nauigarem. Miſit & Archedemum: quem ex omnibus Architæ in Sicilia familiaribus plurimi à me fieri exiſtimabat,atque vnà alios ex Sicilia nobiles. omnes iiſdem mihi verbis affirmarunt Dionyſium mirum in modum philoſophiæ deditum eſſe.Miſit ipſe præterea pergrandem epiſtolam, cùm ſciret quẽadmodum ipſe & erga Dionem afficerer, & Dionis cupiditatem id prorſus expetere, vt Syracuſas me conferrem. Ad hæc igitur omnia compoſita epiſtola fuerat, tali quodam exordio.Dionyſius Platoni. Legitima & conſueta ratione in his præfatus:*Nihil deinceps prius*(ait) *tibi fuerit, quàm quòd in Siciliam pro noſtra voluntate veneris. Primùm quidem de Dione ita fiet vt ipſe volueris.Voles autem,vt arbitror,moderata:atque ego concedam.At verò niſi veneris, nihil impetrabis eorum, quæ pro Dione optas: neque in rebus aliis,neque in iis quæ ad perſonam ſuam ſpectantia in primis deſideras.*Hæc ita inſcripſit. Cætera verò prolixia forent: neque ſatis opportuna relatu.Venerunt aliæ quoque epiſtolæ ab Archita,aliiſque Italis & Tarentinis,laudantes in Dionyſio ſapientiæ ſtudium, præterea his addebant: niſi proficiſceretur amicitiam illam quam ipſis cum Dionyſio conflaueram, neque paruam quidem, quantùm ad ciuilia ſpectat, me omnino calumniis ſubiecturum.Cùm igitur eo tempore ſic accerſeretur,

aliis quidem ex Sicilia atque Italia me trahentibus, aliis verò precibus Athenis quasi me impellentibus, tarióque mihi dictaret non decere Dionem Tarentinósque hospites & amicos prodere: atque mihi ipsi succurreret, non esse mirum siquis ingeniosus iuuenis cùm prius sermones de rebus magnis audire noluerit, mutata deinde sententia ardore quodam vitæ optimæ accendatur: oporteréque ipsum euidenter explorare, vtram in partem declinet: nec ipsum prodere: nec me ipsum causam illi præbere tantæ vituperationis suæ, si modò res eius reuera ita vt fertur, sese habeant: harum inquam rationum patrocinio protectus iter ingredior, multa quidem timens, multáque fore diuinans nec valde felicia, vt apparuit. [a] Profectus denique sum tertiò, sub Seruatore. Id enim reuera consecutus sum: nam rursus feliciter sum seruatus. At horum post Deum Dionysio habeo gratiam, quoniam cũ plerique me interficere cuperent, restitit ipse, partémque aliquam pudoris sui meis in rebus exhibuit. Cum itaque ad eum peruenissem, operæpretium in primis fore censui hoc ipsum examinare, vtrum reuera Dionysius amore philosophiæ accensus velut igne flagraret: an vanus de eo rumor Athenas vsque fuerit peruagatus. [b] Est modus quidam experientiæ circa hæc sumendæ non inelegans, sed tyrannis reuera conueniens, iis præcipuè [quorum aures contraria suadentibus patuerunt] quod quidem ego statim veniens persensi prorsus Dionysio contigisse. Ostendendum est itaque illis quàm magna res philosophia sit, quantóque studio egeat, & quantis laboribus cõparetur. Qui igitur hæc audierit, si reuera sapientiã amet

[a] *Tertius ad uentus Platonis in Siciliam.*

[b] *Modus explorandi, nũ uera philosophiæ quispiam sit studiosus nécne*

amet eíque natura cognatus, atque ipſius poſſeſſione ſit dignus, quaſi qui diuinus ſit, viam ſibi mirabilem eſſe putat oſtenſam, pérque eam ſibi omni conatu exiſtimat gradiendum, alitérque facienti viuendum eſſe nõ cenſet. Itaque ſeipſum atque etiam huius vitæ ducem impenſius cohortatur: neque prius deſinit, quàm vel finem omnium fuerit conſecutus, vel ſaltem eam ſibi comparauerit facultatem, per quam ipſe ſe iam ſine duce ad terminũ perducere valeat. Hæc igitur, atque huiuſmodi rationibus ille conſiderans, per vniuerſam vitam, quicquid omnino agat, ante omnia eſt philoſophiæ ſemper intentus victúque quotidiano vtitur, quo maximè queat ingeniũ & memoriam, & iudicium conſeruare, ſeſe ſobrium præſtans, contratiúmque huic victum ſemper odio habens. At verò qui non ſunt reuera ſapientiæ amatores, ſed [a] opinionibus dũtaxat extrinſecus colorati & tincti inſtar eorum qui ſub ſole vruntur atque colorantur, cũ audiuerint quot diſcenda ſint, quanto labore, qua quotidiani victus tẽperantia philoſophiæ ſtudiis neceſſaria, rem protinus ſibi dutam impoſſibilémque rati, vt operam illi dent adduci non poſſunt. Plerique verò ſibimet perſuadẽt, ſufficienter ſe omnia iam audiuiſſe, neque ſtudio prorſus vllos vlterius indigere. Hæc vtiq; faciẽdi periculi ratio perſpicua eſt, & minimè fallax aduerſus eos qui proſequi præ mollitie nequeunt, vt crimen in præceptorem reiicere nunquã poſſint ſed ipſi iam ſeipſos ad ea quæ philoſophiam decent peragenda redarguant, vt impotentes. Hac vtique examinis ratione apud Dionyſiũ tunc vſus ſum, cuncta verò nec ego percurri, neque Dionyſius requirebat.

[a] *Opinionib. dũtaxat extrinſecus tincti inſtar eorum qui ſub ſole vruntur atq; colorãtur opponuntur veræ ſapientiæ amatoribus.*

Nam erant permulta & maximæ, in quibus se satis doctum ob ea quæ ab aliis audiuerat, existimari studebat. [a] Audio verò ipsum de his quæ tunc audiuit scripsisse posteà, quasi artem propriam componentem, & nihil eorum quos audiuit. De his verò nihil certi scio. Alios tamen quosdam noui rebus eiusdem scripsisse. quicunque verò hi fuerint, nec ipsi quidem seipsos cognouerunt. Tantum verò dicam de his omnibus qui aut scripserunt, aut scripturi sunt, se scire affirmantes quæ sint ea quæ ipse tanquam seria studiosè meditor, siue à me, siue ab aliis audiuerint, siue tanquã inuẽtores ipsi fuerint, nihil eos ipsa de re meo iudicio percipere posse. nec. n. de [b] ipsis scripsi vnquam, neque scribã. Id enamque nullo pacto verbis exprimi potest, quemadmodum cæteræ disciplinæ, sed ex diuturna circa idipsum consuetudine, vitæque ad ipsum coniunctione, subitò tandem quasi ab igne micante lumen refulgens in anima seipsum iam alit. Atqui tantùm equidem scio, scripta à me vel dicta optimè dicta esse: malè verò scripta, non minimam mihi afferrent molestiam. Quòd si scriptis vel voce proferenda mihi in vulgum viderentur, quidnam pulchrius nobis in vita fieri posset, quàm rem valde vtilem hominibus afferre, atque naturam omnibus proferre in lucem? [d] At verò studium in his edendis, vtile esse non reor hominibus, nisi admodum paucis: qui videlicet exiguis antè vestigiis demonstratis, ad inueniendum ipsi sagaces sint. Alios verò partim contemptu nefario, partim elata spe vanáque impleret, quasi præclara quædam iam didicissent. Proinde longiora de

a Dionysium iunior fertur à nonnullis philosophica quædã scripsisse de rebus diuinis.

b Plato negatur se nec scripsisse, nec scripturũ esse quicquã de diuinis.

c Diuina quomodo cognoscantur.

d Quib. vtile sit proponere res diuinas.

de ipsis dicere cogitaui. Fortè enim si hæc dicantur, nonnihil de his quæ dico clarius apparebit. [a] Est namque ratio quædam vera, obstãs illi qui de rebus eiusmodi quodcunque tandẽ audet scribere, sæpe quidem à me aliàs dicta, & nunc, vt videtur, dicenda. [b] Vnicuique ipsorũ quæ sunt, tria sunt, ex quibus scientiam fieri necessarium sit. Quartũ ipsa scientia est. Quintum verò oportet ipsum ponere, quo quid est cognoscibile, id est quod agnosci potest, atque verè existit: horum vnum est nomen: secundũ definitio: tertium imago: scientia quartum. De vno quouis igitur accipe, cupiens quod modò dictum est discere, déque omnibus similiter cogita. Circulus aliquid dicitur, cui nomen id est, quod modò pronunciabamus. Sequitur autem eius definitio ex nominibus, verbisque composita. Quod enim ab extremis ad medium æqualiter vndique distat, illius definitio est, quod rotundi, & circunferentiæ, & circuli nomine designamus. Tertium verò est, quòd pictus circulus sit, vel deletus, aut torno factus, vel destructus. Quorum nihil ipse circulus circa qué hæc omnia sunt quæ modò commemorata sunt, patitur, vtpote aliud quid dam existens. Quartum autem scientia est & intellectus, atq; vera circa hęc opinio. Hoc rursus totũ tanquã vnũ est ponendũ, quod nec in vocibus, nec in corporum figuris est, sed in mente & intelligentia. Ideoque manifestum est, aliud esse quàm sit ipsa circuli natura, rursúsque aliud quã illa tria quæ suprà diximus. Horũ verò ex numero, intellectus, cogitatione similitudinéq; quinto proximus hæret, cętera remotiora sunt. Idẽ quoque de recta & curua dici potest figura, atque colore: déq; bono &

[a] *Non posse conuenire & tradi scriptis veram rerũ præsertim diuinarum scientiam ostẽdit Plato.*

[b] *In rerum cognitione quaque cõsiderãtur, Nomen rei, Definitio, Imago, Scientia, tum Res ipsa qualis est perfecta in sese, pura, & alteni expers: quæ singula quadam exemplo subiecto demonstratur.*

pulchro & iusto. rursus de quocunque corpore, vel manu facto, vel naturali, siue igni, siue aqua, cæteríſque huiusmodi, similiter de omni animali, ac de morib. animorũ, atq; de actionibus passionibúsq; vniuersis. Nisi enim quis in his illa quatuor quodãmodo capiat, nunquam scientiæ circa quintum perfectè particeps erit. Proinde illa non minus quale sit vnumquodque, quã quid sit aggrediuntur ostendere, propter rationum debilitatem. Quapropter nemo mentis compos audebit [ad ipsum illud quintum, hoc est immobile & incõcussam rei natură referre, quę intelligẽtia cõpræhendit.] Quod vtiq; patiuntur, quę designãtur figuris. Id verò quod nunc dicimus, rursus est cõsiderandũ. * Sanè circulus quilibet horum qui inter hominum manus vel pinguntur vel torno fiunt, planè illi quinto est contrarius. Recti năq; vndequaque fit particeps. Ipsum verò circulum affirmamus neq; minus neq; magis aliquid, id est nihil omnino habere in se naturæ contrariæ. Præterea nullum horũ nominis firmitatem dicimus vllã habere. Nihil enim prohiberet quæ nunc rotunda nominamus, recta vocari, rectáque rotunda: nec firmitatem vllã minorem fore nominibus in contrarium permutatis. Eadem quoque de definitione ratio est, cũ ex nominibus verbísq; cõponatur, nullam omnino habentibus firmitatem. Multipliciter rursus probari potest, nullum horũ quatuor certum firmúmque esse. Maximũ verò omnium, quod paulò antè dicebamus, quòd cũ duo sint, essentia & qualitas, quando animus non quale, sed quid sit quærit, [vnumquodq; horum quatuor proponens animo, id quod non quæritur, quódque & ratione & sensibus

Tria illa prima quæ inseruiunt scientiæ quã longè absint ab ipsa rei essentia & natura.

ex

ex effectis facilè deprehendi potest prębęsq; id quod nominatur, & propè digito demonstratur ambiguitate & obscuritate vt ita dicã omni,oęs implet.] In quib. igitur haud quaquam cõsueti sumus ob prauã educationẽ verũ perquirere,sed satis nobis factũ putamus,si apposita simulacra attigerimus, nõne derisui sumus inuicẽ interrogati interrogantib.[qui possint quatuor illa quasi ventilando refutare & arguere?] In quibus verò cogimur quintũ illud respondere & declarare,ibi qui volet, eos qui quiduis norunt & possunt euertere disputãdo vincet faciẽtq;] vt qui exponit aliquid sermonibus vel literis vel disputationib.apud audiẽtiũ multos nihil eorũ quæ vel dicere vel scribere aggreditur,intelligere videatur, qua in re sæpe ignoratur nõ animũ scribẽtis vel dicẽtis redargui,sed naturã potius cuiuslibet illorum quatuor se malè habẽtẽ. [a] Traductio verò per oĩa illa sursũ deorsũmq; in vnũquodq; discurrẽdo peruenies,vix tandẽ scientiã parit intrinsecus.scientiã inquã eius quod benè se habet in animo ad ipsum quoq; percipiendũ benè se habente. At siquis malè affectus sit natura,qualis naturaliter animæ habitus ineſt multis, tũ ad illa quę discẽda sunt,tũ ad mores,corruptáque illi sunt,nel ynceus quidẽ,vt eiusmodi animus videat efficere posset. Atq; vt summatim dicã, neq; acumẽ,neq;memoria faciet vnquã,vt qui rei ipsius qua de agitur,nõ est cognatus,ipsam inspiciat. Principium etenim in habitibus alienis illa non sortitur. Quamobrem quicunque iustis aliisque quotcunque sunt pulchra, non sunt apti natura atque cognati,licet alii ad alia ingenioſi simul & memores:rursus quicunque cognati sunt quidem, sed hebetes & memoria

[a] *Ad rei alicuius, et præsertim virtutis scientiã cõparandã duo necessaria sunt docilitas & memoria, tum cognatio quædam animi cum ea re quæ docetur.*

parum validi, nunquam ad ſummam diſcendi veritatem peruenient vel virtutis, vel vitii. [a] Neceſſe enim eſt ea ſimul perdiſcere, & falſum ſimul & verum totius eſſentiæ cum omni exercitatione atque longitudine temporis, quod & ab initio dixi. [b] Poſtquam verò ſingulatim ipſorum nomina, definitiones, viſúſque & ſenſus agitata inuicem tritáq; fuerint, benigníſque redargutionibus redarguta, & abſque inuidia interrogando reſpondendóq; diſcuſſa, vix tandem refulget circa vnũquodque prudentia atque intelligentia, ad ſummũ omnino pro humana facultate cõtendens. Quãobrẽ permultũ abeſt, vt vir ſtudioſus & grauis de iis quæ reuera digna ſunt ſtudio, ſcribens hominibus, ſe ſimul & ſua inuidiæ ambiguitatíq; ſubiicere debeat. [c] Vno verò ex his ſermone id intelligere licet: quoniã videlicet qui alicuius ſcripta cernẽs, ſiue legumlatoris in legibus, ſiue in quibuſlibet aliis aliorũ, animaduertat illa non eſſe illa tanquã omnino ſeria ſtudioſiſſimè pertractata: ſiquidem ſit ipſe ſtudioſus: iacent [enim illa quę ſeriò ab ipſo de aliis rebus percepta ſunt in loco ipſius pulcherrimo nempe in animo recondita.] Sin aũt reuera ipſi hęc tãquã ſeria ſtudioſè literis tradita ſunt dii quidem minimè, ſed homines mentẽ erupuerunt. Hãc vtiq; rationẽ digreſſionémque quicunq; ſequitur, planè intelliget, ſiue Dionyſius aliquid de ſummis & primis naturæ ſcripſerit, ſiue quiuis alius aut minor, aut maior, nihil eũ ſyncerũ audiuiſſe vel didiciſſe eorũ quæ ſcripſit, vt mea fert opinio. Alioquin pariter atq; ego ipſa veneratus fuiſſet, neque auſus fuiſſet vnquã temere edẽdo abſurditati indecẽtięque ſubiicere. Neque verò quaſi in memoriæ ſubſidium

[a] *Qui rem verè ſcit, is ſimul verũ & falſum circa rem illam nouit.*

[b] *Quo modo & qua via vera & perfecta rei vniuscuiusque ſcięti a, qualis in humanã mentem cadere poteſt, comparetur.*

[c] *Scripta animi gratia ſed nõ quæſi naturam & eſſentiam rerum exprimere poſſint debent eas in lucem.*

fidiũ illa ſcripſit. Nõ enim hac in re memoriæ diffidẽdũ, ſi id ſemel animo fuerit compræhẽſum. Nã id totum breuiſſimè omniũ eſt collectũ. Fortè verò turpi quadã ambitione id fecit, vel tanquã ſua hæc aſſerẽs, vel tãquã particeps doctrinæ, qua indigꝰ erat, gloriã quærens. Verùm ſi ex vno duntaxat colloquio id Dionyſio cõtigit, eſſet id forſan concedendũ. Sed proh Iupiter (vt inquit Thebanus.) Expoſui equidem hæc illi, eo quo dixi modo, ſemélque tantùm, poſtea verò nunquã. Poſt hæc autem conſiderandum eſt, ſicui cura ſit inuenire eius quod nobis circa illa accidit, cauſam, cur videlicet & ſecundò, & tertiò, & ſæpius ea nõ pertractauimus: Vtrum Dionyſius, ipſis ſemel duntaxat auditis, adeò ſufficienter ea ſe ſcire putauerit ſatiſve nouerit, ſiue inuenerit ipſe, ſiue ab aliis antè didicerit: an friuola quæ dicebantur exiſtimarit. An fortè præter hæc tertium quiddam acciderit, videlicet vt ipſa haud ſuis æqualia virib. ſeu maiora cenſuerit, ac reuera [ſupra ſuas vires eſſe, vt prudẽtię virtutiſque curam gerens, viuat.] Si enim friuola exiſtimaſſe dicatur, multis certè teſtibus pro cauſa noſtra contrà pugnabitur, qui in rebus eiuſmodi iudicandis longè maiorem quàm Dionyſius autoritatem habeãt. Quod ſi inueniſſe vel didiciſſe, atque ipſa quidem digna videri, quæ liberali animo in diſciplinam adhibeantur, quis non id mirum putet, Dionyſiũ ſic affectum horum aliquando ducem & autorem tam facilè contempſiſſe? [a] Quo autem pacto contempſerit, iã dicã. Profectò non multo pòſt hoc tempore interpoſito patrimonium Dionis, quod prius eũ liberè poſſidere, fructúſque inde percipere permittebat, iam vetuit omnino per-

[a] *Contempſit Dionyſius præcepta ſapientiæ, quæ ex Platone acceperat.*

eius procuratores attingi, pecuniáſque vt conſueuerāt ad ipſum in Peloponeſum mitti, quaſi epiſtolæ illius prorſus oblitus, quàm mihi ſcripſerat. Aſſerebat enim res illas non Dionis eſſe, ſed filii: qui cum eſſet ex ſorore nepos eum ex lege ſub tutela ipſius eſſe. Hæc igitur vſque ad illud tempus acta fuerunt, quæ ego conſiderans iam planè perſpiciebā quo pacto erga philoſophiā Dionyſius fuiſſet affectus, conturbabárque, vellem nollem. Erat iam tunc æſtas, & frequenter nauigabatur: videbatúrque mihi non tam de Dionyſio quàm de meipſo conquerendum, & de his qui me impulerant vt in fretum Scyllæ tertiò deuenirem, Charybdímq; remetirer pernicioſam. Coactus itaq; ſum Dionyſio dicere, non poſſe me vllo modo apud ſe fore, Dione tam ignominioſè contempto. at ille me [comibus & blādis verbis affabatur] rogabárque vt maneré, non putans ſibi honeſtũ vt ego ipſe tam citò horum à ſe factorum nuncius irem. Cùm verò mihi vt maneré perſuadere nõ poſſet, ipſe mihi ſe paraturum ait, ad reditum neceſſaria. Ego autem in vectoriis nauigiis traiicere conſtituerā indignabundus, omnia eſſe perferenda ducens, ſi abire me prohiberet, quippe cùm manifeſtè ipſe nulla Dionyſium iniuria afficiens, ab eo iniuria affectus fuiſſem. At ille cùm me nullo modo manere velle cognoſceret, quò nauigationem tunc meam impediret talia machinatus eſt. Poſtridie ſermonem ad me habuit gratioſum, atque ad perſuadendum accommodatum. Mihi & tibi inquit, Dio Dioníſque res, quatenus diſcordiæ noſtræ cauſam prębent, tollantur è medio. Dioni equidem tui gratia id faciam. a Decerno Dionem recipiẽtem ſua habitare in Pelopo-

a Quibus conditionib. de rebus Dionis iterum conuenerit cum Platone Dionyſius, violato priore pacto & promiſſo de reſtituendo ipſo Dione.

Peloponneſo, non tanquã exulem, ſed tanquã cui liceat huc proficiſci, quãdo illi & mihi vobiſque amicis communiter videatur, dummodo nihil aduerſus me tentet. Huius autem rei fideiuſſores mihi eritis tu, familiaréſque tam tui quàm Dionis qui hîc habitant. Dion [verò data ſecuritate vobis caueat.] Pecunię verò omnes quas ille acceperit, in Peloponneſo, & Athenis deponantur penes quos vobis viſum fuerit: harum quidem pecuniarum fructus accipiat Dio, ſed ipſarum ſortem tollere niſi vobis concedentibus nequeat. Non enim confido, ſi pecunias ſuſceperit, eũ mihi fidẽ ſeruaturũ, cũ nõ paucæ futuræ ſint. Maiorem verò tibi tuiſque habeo fidem. Conſidera igitur an tibi hęc placeant, manéque horum gratia hîc annum, quo peracto, ſuſceptis his pecuniis abibis. Dionem equidem ſcio magnam tibi gratiam habiturum, cùm hæc ſibi perfeceris. Cùm hæc igitur audiuiſſem, quanquam ægrè omnino ferebam, reſpondi tamen hac in re me conſultaturum, tempúſque reſpondendi in craſtinum ſumpſi. Atque in hoc conſentientes tum diſceſſimus. Conſultabam itaque poſthac ipſe mecum valde quidem ambiguus & perturbatus. Occurrebat autem quaſi conſilii dux prima mihi eiuſmodi ratio. Age vtique, etſi Dionyſius nihil eorum quę promittit, ſeruare cogitat, ſi tamen abeunte me, per ſe ac per amicos probabiliter ad Dionem ſcribat, quæ mihi dicit, ſe quidem obtuliſſe vtrò, me verò noluiſſe, réſque ſuas penitus neglexiſſe. Præterea his addebam. Si Dionyſius me volens dimittere, ideóque nauigium nautáſque non det: imò facilè cunctis ſignificet, ſe nolle me diſcedere, quiſnam me naui aſportare

ex ædibus ipsis Dionysij audeat: hoc enim accedebat ad alia mea infortunia, quod habitabam, in ipsis qui circa ædes erant, hortis. vnde ne ianitor quidé nisi iubente Dionysio egredi permississet. Quòd si annũ permansero, habeo equidem quid Dioni significem, notúmque faciam in quibus sim constitutus, quídve agam. Ac si Dionysius nonnihil eorum quæ promittit, seruauerit, operæ tolerantiáque hæc mea non omnino deridenda videbitur. patrimonium nanque Dionis non pauciorũ quàm centum talentorum, siquis rectè æstimare velit, censebitur. At verò si ita res cadant, vt eas verisimile est casuras, quò me vertam nescio. Veruntamen fortè necesse est me annum adhuc tolerantem machinationes Dionysij re ipsa pro viribus redarguere. Cùm ita mecum consultauissem, sequenti mox die ad Dionysium retuli videri mihi manendum. Sed addidi, ne existimaret me posse apud Dionem prorsus omnia quasi dominum, ideóque operæpretium esse, vt vnà mecum ipse quoque ad eum scriberet, significans hæc nostra consilia, atque interrogans vtrum sibi hæc satisfaciant, néne, & nunquid aliud præterea quiddam exigat. Idque quamprimum, inquam scribendum esse. Interea verò nihil in re Dionis ab eo noui esse tentandum. Hæc inter nos dicta sunt. In his ferme, vt nunc dico, conuenimus. Post hæc autem cùm iam naues abiissent, ideóque nulla mihi foret vlterius nauigãdi facultas, [a] Dionysius quasi nonnihil prætermissi reminiscens, Dimidia, inquit, bonorum Dionis pars filio iure manere debet: dimidia verò ad Dionem mitti. hanc ergo vendi curabo. Qua vendita, pecuniarum dimidium tibi

[a] *Secundò à pactis & promissis turpiter discedit Dionysium.*

tibi tradam, quod ad Dionem perferatur: reliqua verò pars penes nos pro filio reseruabitur: ita enim ius ipsum exigit. His ergo illius dictis perculsus, ridiculum putaui amplius ea de re loqui. Dixi tamen decere nos expectare à Dione responsum, atque rursus hæc ipsa ad illũ rescribere. At ille pòst nimis audacter patrimoniũ Dionis totũ quanto libuit pretio, & quo pacto hæc & quibus placuit vendidit. Mihi verò ea de re verbũ omnino fecit nullũ. at ego similiter posthac de re Dionis nihil vlterius locutus sum, quippe cũ nihil amplius me profecturũ existimarem. Hactenus hac ratione & philosophiæ & amicis auxilium præstiti. Post hçc autẽ ego & Dionysius ita viximus, vt ego quidem semper extrà spectarem, quasi auis quædã alicundè cupiens euolare: ille verò assiduè, quo pacto me cohiberet, machinaretur, de rebus quidẽ Dionis concedens nihil. In cæteris tamen negotiis per vniuersam Siciliã amicos inter nos esse fatebamur. Eo autẽ tempore Dionysius veteranis militibus stipendia minuere tentauit, præter parentis consuetudinẽ. Irati verò milites in vnũ conuenerunt, neque id se toleraturos cõminabantur. Itaque ille clausis arcis ipsius portis, coercere illos conabatur. At illi repentè aduentarũt ad mœnia, clamorẽ quendã barbarũ ac bellicũ attollẽtes. Quo metu conterritus Dionysius, cuncta illis consueta, atque etiã plura cetratis tunc collectis cõcessit. Rumor autẽ fuit Heraclidẽ tumultus omnis causã extitisse. Quod Heraclides quidẽ persentiens, clàm fugã arripuit. Dionysius verò cũ illũ capere affectaret, neq; inueniret, Theodotẽ ad se in hortos accersiuit. Erã fortè tũc & ipse in hortis perambulãs. Cętera quidẽ,

quæ inter illos tractata sunt, neque scio, neque dum colloquerentur, audiui: sed quæ me præsente dixit Dionysio Theodotes & noui & memini. O Plato, ait. Dionysio persuadeo huic, si Heraclidem huc adducere potero, ipsum criminibus in se delatis responsurum: ac si nolit deinde eũ Dionysius in Sicilia permanere, saltẽ permittat vxorẽ filiúmque suscipere, atque in Peloponnesum abire, ibique habitare, nihil ibi molientem contra Dionysium, & bonorũ quæ hic possidet, fructus percipientem. Hac ergo fiducia Heraclidẽ iam vocaui, atque iterũ vocabo. Siue igitur ex prima vocatione, siue ex secunda huc ille venerit, cum Dionysio cõstituebam, rogabámque ne quid mali Heraclidi inferatur vel extra vrbem, vel in vrbe, tantũ verò si videbitur, extra fines mittatur, donec aliter Dionysio videatur. Hæc inquit Dionysi concedísne? Concedo, respondit, neque etiam si quando in ædibus tuis appareat, aliud quicquam mali esse passurum. Sequenti verò die in ipso crepusculo Eurybius & Theodotes ad me mirum in modũ perterriti conuolarunt. Confestímque Theodotes, ô Plato, inquit affuisti heri conditionibus in quibus de Heraclide Dionysius mecum tecúmque conuenit. Affui, inquam. At ille, nunc, inquit, discurrunt satellites ad Heraclidẽ comprehendendũ, atque periculũ est, ne ille probè alicubi sit. Sequere ergo nobiscũ omni studio ad Dionysium. Iuimus itaq; & ingressi ad ipsum, illi quidẽ silentio stabãt lacrymãtes: ego verò, inquã, verentur hi Dionysi, ne tu cõtra quã heri cõuenerit, noui quicquã agas aduersus Heraclidẽ. Nã videtur ille mihi propè alicubi diuertisse, manifestéq; adesse. Dionysius verò his auditis exarsit in

& in iras, in varióſq; ſe mutauit colores, quales ira conſueuit afferre. Et Theodotes ad pedes eius procũbens, manu eius apprehẽſa multis cũ lachrymis ne quid tale faceret, deprecabatur. Tunc ego ſermonem ſuſcipiens eũ conſolaturus, Bono ſis animo, inquam ô Theodotes. Non enim aliter facere audebit Dionyſius quàm heri promiſit. At Dionyſius tyrannico nimiũ vultu me intuitus, Tibi, inquit, promiſi nihil, ſiue magnum ſiue paruum. Imò verò per deos, inquam, promiſiſti non facturum te hæc ipſa, quæ nunc ne facias hic deprecatur. Hæc ego locutus egredior. Poſt hæc Dionyſius quidẽ Heraclidẽ capere conabatur. Theodotes autem hæc per nuncios illi ſignificans, vt fugam arriperet admonuit. Miſerat quidem Dionyſius, & Tiſiam quendam cum ſatellitibus, iubens paſſim Heraclidem inſequi. Sed ille, vt fertur, anticipans, & paruo quodam diei ſpatio ſatellites deuitans, intra Carthaginenſium fines ſe recepit. Iam verò ex inimicitiis contra me exortis probabilem Dionyſius occaſionem, quam per inſidias diu captauerat, ne videlicet ad Dionem pecuniæ mitterentur, aſſecutus fuiſſe videtur. Ac primum quidem ex arce me emiſit, occaſionem præferens, quòd mulieres ſacra decem dierum in quibus habitabam hortis eſſent facturæ. Itaque me per eos dies extra arcem apud Archedemum manere iuſſit. Interea Theodotes me ad ſe vocans, multa circa ea quæ tunc facta erant, de Dionyſio conqueſtus eſt. Dionyſius verò cùm audiuiſſet ad Theodotẽ me profectum fuiſſe, nactus & hanc rurſus occaſionem contra me odij priori ſimilem, miſit ad me, qui percontaretur, nunquid apud Theodotem vocatus

aliquando fuissem. Atque ego adfuisse liberè confessus sum. Tunc ille: [a] Iussit ergo, inquit, Dionysius me tibi edicere, non rectè facere te, quòd Dionem, Dionisque amicos pluris quàm ipsum semper æstimes. Hæc dicta fuerũt. Nec vnquam posteà me in suas ædes vocauit, quasi manifestè Theodotis, Heraclidisque amicum, sibi verò inimicum, ac propterea infensum, quòd res Dionis iam omnino periissent. Habitabam deinde extra arcẽ inter milites mercede conductos. Adeuntes verò me, & alij quidam, & ministrorum aliqui Athenienses patria, significarũt calumnias aduersus me inter milites fuisse diffusas. Præterea quosdã cõminatos esse, sicubi me nanciscãtur interfecturos. Excogito igitur euasionem eiusmodi. [b] Mitto Tarentũ ad Architam, aliósque amicos, significans in quo essem discrimine constitutus. Illi verò occasionem quandam legationis patriæ nomine excogitãtes, Lamiscum eorum vnum, vnà cum naui ordinis triginta remorum mittunt. Qui veniens ad Dionysium, rogauit vt me omnino pro voluntate mea saluum abire permitteret. Ille autem ascensus me dimisit, commeatum præbens. Pecunias verò Dionis neque ego petij, neque quisquã dedit. Posthęc cùm in Peloponnesum peruenissẽ, ibíque offendissem Dionem ludos spectantem Olympiacos, quæ facta fuerant, enarraui. [c] Ille verò Iouẽ testatus, statim mihi meísque propinquis & amicis edixit, se pœnas à Dionysio exacturũ, tum quòd me illic hospitẽ decepisset: sic enim ille & dixit & sensit: tum quòd ipsum iniustè admodum expulisset. Hæc ego audiens, suasi vt ad hæc si videretur, amicos alios conuocaret. Me autem quoniam & sua & aliorum opera quasi

[a] *Quâ occasione facta familiaritate & coacta benevolentia Dionysij excideri Platone.*

[b] *Quemodo dimissus fuerit è Sicilia à Dionysio Plato.*

[c] *Dionis de vlciscenda sibi & Platoni iniuria illata certũ propositum.*

quasi violenta impulissent in Dionysij familiaritatem, habitationis, victus, sacrorum cõmunione astrictum, putarent quasi medium quendã, æquúmque vtrinque esse debere: præsertim cùm iamdiu multis apud Dionysium me calumniantibus quasi tecum ipsi tyrannidíque eius insidiantẽ, ipse non occiderit quidem, sed reuereritus sit. Ad hæc ætatem meam rebus bellicis ineptam esse addidi, simúlque medium quendam me inter eos esse, siquando conciliatore quodam opus sit, qui resarcire optantibus amicitiam possit. Quamdiu verò odiis certabitis, ad hæc adiutores alios aduocabitis. Hæc ego inquam, perosus errorem fortunámque in Sicilia mihi aduersam. Quoniã verò illi rationibus meis non obtẽperauerunt, omniũ quæ sequuta sunt malorũ ipsimet sibi causam præbuere. Profectò si Dionysius res Dioni suas restituisset, vel potius si omnino placatus fuisset, nihil prout conditio fert humana, accidisset aduersi. Nam Dionem quidem pro voluntate mea, consilio, & autoritate facilè continuissem. Contrà verò nunc, in se inuicé impetũ facientes, omnia calamitatibus impleuere. Dio certè eandẽ habebat volũtatem. quã ego dixerim & mihi [& aliis quicũque moderatè de sua potestate, de amicis, & ciuitate item sua cogitet, opus esse,] quo in ipsis honorib & potentiis quis constitutus præsertim in maximis, se & suos & patriã beneficiis iustis afficiat. [a] Neque verò id sit, siquis ad id duntaxat incũbat, vt diuitiis se amicósque, & vt libet ærariũ expleat, per insidias crudeliũq; cõiurationes, ipse pauper videlicet impotẽs se continere, sed præ animi angustia voluptatib. succũbens: præterea opulentos homines tan-

[a] *Quæ artes acquirendæ, potentiæ in ciuitate aliqua dãnandæ.*

quam inimicos decernens trucidet, rapiátque pecunias, atque interea sociis, familiaribúsque edicat, sibi quidē in his cū sit egenus, succēdendū nō esse. Eodē modo si quis similiter ciuitatē suā beneficiis afficiens honoretur ab ipsa, dum multis res paucorū ciuium per sua decreta distribuit, vel siquis magnæ præsidens ciuitati, pluribus minoribú que ciuitatibus imperanti, pecunias minorum ciuitatū iniustū attribuat suæ. Hoc enim pacto, neq; Dio, neque alius vnquā sponte sua ad potentiā progrederetur perniciosam & sibi & posteris perpetuò futurā. Prudens verò ad constituendā accedit Rēpublicā legésq; cōdendas iustissimas atque optimas, & id quidē absque cædib. expulsionibúsq; ciuilib. [a] Quæ modò cùm ageret Dio, constituens pati impias iniurias potius quàm facere, cauēs quoq; ne ipse pateretur, ceciderit tamē, cū iā ad summū superandorū hostiū peruenisset. Neq; mirū alicui quod accidit Dioni videri debet. Piū enim virū tēperatúmque & prudentē omnino quidē in reb. ciusmodi impij nunquam fallūt. Sed neque mirandū est si idē, quod probo gubernatori forsan acciderit, quē futura tēpestas haud admodū latet, sed insueta, & idcirco improuisa tēpestatū magnitudo latere potest, ac vi latendo submergere. Hoc vtiq; modo Dionē fors aliquantū fefellisse videtur. Quòd enim mali essent, cū non latebat: quāuis quā profunda esset in eis insscitia & iniquitas voracitásq;, latuerit. Qua quidē in re deceptus occubuit. Siciliā incredibili dolori subiiciēs. Quę igitur post hæc quæ narrata sunt vobis consulo, hactenus quidē dicta sint. Quibus autem de causis ipsis in Siciliam quasi compulsis rediecim, ostendere arbitratus sum oportere, necui

[a] *Quòd Dō liberata patria, ab impiis quibusdā & sceleratis oppressus fuerit, id omninò ipsi contrà opinionem non euenerit.*

reuersio

reuersio mea absurda, ac præter rationem susceptа videretur. Quamobrem sicui quæ nunc dixi probabiliora visa sunt, ac sufficientes extitisse occasiones cur ita fieret videntur, satis quidē sufficientérq; iā fuisse dictū putabimus:

PLATO DIONIS PROPINQVIS ET AMICIS.

EPISTOLA VIII.

QVA potissimùm viuendi ratione prosperè succedant res, reuera conabor vobis pro viribus enarrare. Spero autē non vobis solū, quæ in rem vestram sint, ac consulturū quanquā vobis quidē maximè, sed & omnib. qui sunt Siracusis, tertiò inimicis etiā vestris & hostibus, præterquā siquis illorū impio seipsum scelere polluit. Hæc n insanabilia sunt, neque expiare vnquā hæc quisquā posset. Considerate verò quod in præsentia dicā, omne iam vestrum circa Siciliam omnē dissoluta tyrānide consiliū atque studiū in his versatur. Nēpe alij quidē affectant tyrannidem iterum suscitare, alij tyrannidis memoriam omnem prorsus extinguere: consilium verò in eiusmodi rebus apud multos rectū vbique videri solet, si ita res cōstituantur, vt hostes quā maximis afficiantur malis, amicis autem beneficij plurimū afferatur. At verò nequaquam id facilè est, vt qui multa āliis intulerūt damna, ipsi non multa viciſſim ab aliis patiantur. Neque nunc opus est horū exemplalōgè perquirere, quippe cùm quæ nuper in Sicilia acciderunt, satis exemplo nobis esse possint. Cuncta enim sic accidisse videtur, dum alij quidē inferre mala, alij verò repellere & vlcisci cōten-

derent. In quib. enarrādis idonei aliorū magistri vbique esse potestis. vt in his percipiendis nulla fermè sit difficultas. Quæ verò aut cunctis tam inimicis quàm amicis vtilia sint, aut saltē quæ his quam nimium obsint, hæc certè ipsa nec facile est perspicere, neque postquàm perspexeris, ad votū perficere. Hæc igitur consultatio atque inquisitio voto persimilis esse videtur. Ideóq; sit nobis ipsa omnino tanquā votum & deprecatio quædā. Omnibus enim in rebus & dicendis & cogitandis principium semper à diis est sumendū. Votū vtiq; eiusmodi absolutum talem nobis significabit rationē, quæ vobis simul, inimicisq; cōducat. [a] Principio ex quo tēpore bellum in Sicilia gestum est, familia vna continuè dominata est: quam publicis rebus præfecerunt vestri maiores, in summo tunc periculo cōstituti, cùm à Carthaginensib. premerentur, venissētque res in extremū discrimen, ne Sicilia quæ excolebatur à Græcis, iā à Barbaris euerteretur atq; deuastaretur. Tunc igitur Dionysiū quidē elegerunt, vt iuuenē bello strenuū, qui rebus bellicis conuenientib. ipsis præesset: Hippariū verò vtpote seniorem, consilio res moderari voluerunt. Atque pro totius Siciliæ salute absolutam his autoritatem concedentes, tyrannos, vt fertur, appellauerunt. Proinde siquis fortunam quandā diuinā, deúmq;, siue eorū quib. cōmissa res est, virtutē, siue vtriūq; vnà cum tēporis illius ciuibus, salutis illius causam extitisse censeat: esto id quidē, vt quisque existimat. Salus certè hoc pacto tibi illis parta est. Quāobrem cū ita se illi gesserint, iustū erat gratiam ab illis qui seruati erant, referri. Siquid autem postea mali tyrannis ipsa munere ciuitatis abutens patrauit

[a] *Qua occasione tyrannis instituta & erecta fuerit in Sicilia.*

trauit, habet quidē sceleris sui iudices, vnde & pœnas persoluat. Sed quænā illis pœnæ ob ea quæ acta sunt, necessariò rectéque admoueri possunt? Si.n. vel vos illorū vim facilè propulsare possetis, & absq; magnis periculis laboribúsq; id facere, vel illi se dominationē facilè recepturos arbitrarentur, haud sanè possemus ea vobis quæ nunc dicturi sumus consulere. [a] Nūc verò vtriq; cōsiderare atque meminisse debetis, quoties iā alterutri in spē propè certā peruenistis cōsequendi quod optabatis, paulū deesse opinātes ad cuncta pro arbitrio consequenda. Idipsum tamen paulū ingentiū plurimorúmq; malorū vbiq; causa extitit, neq; dū peruenit ad terminū, sed continuata quadam successione, inueterati iā mali apparenti termino principiū suboritur nouū. Eiusmodi verò circuitus rerúmq; vicissitudo perditura videtur tyrannicū genus simul atque popularē: & quantū verisimili ratione formidādū portenditur, tota Sicilia in Græcę linguæ obliuionem lapsura videtur, [b] ad Phœnicum Opicorúmque potestatē, dominationémque trānsla ta. Quāobrem contra hæc Græci omnes omni prouidentia remedium afferre debent. Si quis igitur rectiùs meliúsque consilium eo quod à me dicetur, adducat in mediū, meritò Græcorum amator cognominabitur. Quæ verò quodammodo sit mea sententia, conabor nūc liberè pròrsus communi ratione, legéque fretus exponere. Ego igitur personā mihi arbitri assumens, quēadmodum iamdiu cōsueui, tam exercenti, quàm perferenti tyrannidem communiter consulam. Atque in primis omni tyranno, vt appellationē hanc, rémque ipsam fugiat, atq; in regnū, si potest fieri, trāsferat. Fieri

[a] *Difficile est Siciliam semel inuectā in ipsam tyrannide penitus liberare.*

[b] *Phœnices & Opici.*

verò posse, [a] Lycurgus vir bonus & sapiens re demõstrauit. Is .n. cùm videret cõsanguineorũ & propinquorũ genus Argis, & apud Messenios ex regno in tyrannidẽ iam translatũ, ideóque hos populos vtrosque tã seipsos perdẽtes quã ciuitates vtrinq; vtrasq; , timẽs patriæ simul & generi, remediũ adhibuit, senatũ procreans, Ephororúmq; magistratũ in regni salutẽ. Quapropter tot iam secula seruãtur cũ gloria, postquã videlicet lex autoritatis plena hominũ regina facta est, non autẽ homines legũ tyranni Ad hoc ipsum in præsentia ratio mea omnes homines cohortatur, suadẽs his qui tyrannide affectant, declinare ac fugere indefesso quodã studio eiusmodi famelicorũ stultorúmque hominũ felicitatẽ, atq; ad regiam gubernationis formã pro vitib. se transferre, legibúsque regiis obtẽperare. maximos honores ab hominib. legibúsque volentib. quandoque repottaturis. Qui verò omnib. viuendi præferunt libertatẽ , iugũ verò seruile fugiunt tanquam malum ij caueant moneo ne insatiabili importunę libertatis auiditate in maiorũ suorum incidãt morbũ. Quẽ quidem illi propterea passi sunt, quòd nulli parere volentes, libertatis amore intẽperãter abusi sunt. Qui enim ante Dionysium & Hipparinum in Sicilia gubernabant, beatè sibi viuere videbantur, libidinibus dissoluti, principibus imperantes. Præterea decẽ ante Dionysiũ exercitus dures lapidibus obruerũt, neminẽ secundũ legẽ iudicantes, quò nulli subessent homini iustè iudicãti, aut dominãti legi, sed omnino in singulis liberi forent. Qua quidẽ causa illis tyrãnides exortæ sunt. [b] Seruitus .n. ac libertas, si modũ excedat, vtraq; mala est: si modũ obseruet, vtraq; bona

[a] *Lycurgi cõsiliũ vehementer laudatur à Platone in temperanda regia potestate apud Spartanos, addito Senatu & Ephororum magistratu.*

[b] *Vt nimia seruitus, ita etiam nimia libertas mala est.*

bona. Moderata quidem seruitus est, quæ deo exhibetur: immoderata verò, quæ hominibus. Deus quidē hominib. tēperatis lex est: intemperatis verò voluptas. Cùm igitur hæc ita natura se habeant, quę cōsulo, mādo Dionis amicis ea Syracusanis omnibus promulganda, ex communi Dionis meáque sententia. [a] Equidē vobis exponam quæ ille adhuc spirans locutus est. Quā igitur rationē, quæret quispiā, circa præsentia nobis Dionis consiliū affert? hāc verò omniū primā nūc accipite. [b] Principio leges tales sint, quæ nō ad opes pecuniásque cōparandas neque ad libidines mētes cōuertant: sed cū tria sint anima, corpus, pecunia, virtutē animi maximè anteponāt: Secūdo verò loco virtutē corporis virtuti animi seruiētē: Tertio vltimóque gradu pecuniarū pretiū collocent, animo, corporíque ministrās. Quæcunque lex hæc efficit, recta est, reuera beatitudinē vtentibus afferens. Locupletes verò beatos appellare, sermo amens est, & infelix mulierib. puerísque cōueniens, atque eos qui id credūt, tales efficiēs. Quod autē ego nūc ad vera vos bona cohortor, si quæ modò dixi de legib. degustetis, opere ipso intelligetis, quæ quidē examinatio in cūctis veríssima esse videtur. Receptis verò huiusmodi legib. cùm Sicilia in discrimine posita sit, neque sufficienter vos superetis: neq; rursus admodū superemini iustū fortè atque vtile vobis omnib. erit mediā viā incedere, tū vobis dominationis acerbitatē fugiētib. tū aliis dominationē adipisci desiderantibus. Quorū maiores olim, quod maximi faciendū est, Græcos à Barbaris seruauerunt. adeò vt in præsentia liceat de Repub. consultare. Alioquin si tunc perditæ res fuissent, neque nūc de

[a] *Consilium tanquam ex ore Dionis datum in instauranda legitima Reip. forma Syracusis.*

[b] *Quales debeant esse leges Reipub. benè constitutæ.*

his loqui liceret, neq; spes vlla supereſſet. Nũc igitur aliis quidẽ libertas ſit cũ regia poteſtate: aliis autẽ poteſtas regno ſubiecta legib. dominantib. non aliis tantũ ciuibus, ſed ipſis etiã regibus, ſiquid egerint cõtra leges. In his autẽ omnibus mente à dolis aliena atque ſana, diis iuuãtib. reges create. Primũ quidẽ filium meũ duplici gratia, mei ſcilicet gratia atq; aui ſui. Ille enim illo tunc tempore patriã à Barbaris liberauit: ego verò iam bis à tyrannis. Quorũ quidẽ teſtes mihi vos ipſi eſtis. Secũdum verò regẽ create eum, qui idem quòd & pater meus nomẽ habet, Dionyſij inquã filiũ. Atque id facite præſentis eius in patriã officij memores, piorúmque eius morũ, qui patre tyranno natus, patriã ſponte liberare aggreditur, pro breuiſſima iniuſtáque tyrannide gloriã ſibi generíque cõparans ſempiternã. Tertium denique ad regnũ Syracuſanum inuitare oportet volẽtem ciuitate volente Dionyſiũ Dionyſij filiũ, nunc exercitus hoſtiũ ducem. Si velit inquã regiæ dignitatis forma cõtentus viuere, timẽs videlicet fortunæ vices, & patriã miſeratus, ſacráque & ſepulchra maiorũ, ne contentione prorſus omnia perdat, Barbaris ex patriæ infelicitate gratificans. [a] Hos verò tres reges, ſiue illis autoritatẽ candẽ quã Lacedæmonij reges habent, dederitis, ſiue quid ademeritis, cõmuni conſenſu conſtituetis tali quodam pacto, vt prius dictum eſt, atque iterũ nunc audite. Si Dionyſij & Hipparini genus voluerit pro Siciliæ ſalute his calamitatibus quę nunc vrgẽt, finem imponere, honores ipſi totíque familiæ deferentes non ad præſens ſolùm, ſed in poſterũ, hac inquã conditione, quemadmodũ & prius dictum eſt, ad regnum vocate: & legatos quos

[a] Regia poteſtas modo exerceatur bonis legibus & cuſtodiatur ab aliis magiſtratibus imperij conſortibus non eſt improbanda.

quos ipsi velint cõcordiæ gratia cum publica autoritate deligite, siue ex vestris ciuibus, siue ex alienis, siue ex vtrisque tótque præterea quot illi cõcesserint. Qui cõmuni sententia leges cõdant, atque Réspublicã ita cõstituãt, vt in ea reges esse deceat sacrorũ dominos, aliarúmque rerũ quascũque decet his concedi, quorũ beneficia in patriã extant. Proinde belli pacísque arbitriũ habeant, custodes ipsi legũ creati numero quinque & triginta, vnà cum populo atq; senatu. Iudicia verò distincta sint alia aliorũ. Mortis quidem atque exilij autoritas sit penes triginta & quinque viros, & præter eos penes alios quosdã iudices ex illis electos, qui magistratib». proximè perfuncti sunt, ita vt vnus ex quolibet magistratu eligatur, qui optimus iustissimúsque appareat. Hi sequenti anno de morte, & carcere, & exilio sententiã ferant. Regi verò his iudiciis interesse non liceat, vtpote sacerdoti, quem in ferenda necis, carceris exilij sententia contaminari nefas sit. Hæc equidẽ & dum viuerẽ cogitabã, & nunc etiam cogito facienda atque tunc, cùm inimicos superauissem vnà vobiscũ, nisi externi, furiæque obstitissent, vt decreueram, constituissem. Proinde si ad votũ res processissent, colonis reliquã Siciliam repleuissem. Barbaris quidem ex his locis quæ nunc occupant expulsis, præterquam siqui eorum pro cõmuni libertate cõtra tyrannidẽ pugnauerunt. Priores autem Græcorum locorum colonos in antiquas, patriásque sedes restituissem. Hæc igitur eadem in præsentia omnibus consulo communi consilio deliberare & agere, atque ad hæc agenda omnes cohortari: quod siqui dissenserint, eos communi sententia hostes

existimare. Neque verò hæc talia sunt, vt fieri nequeant. Quæ enim in duorum animis consistunt, atque his qui consultando perquirunt optima, mox faciléque occurrunt: ea qui impossibilia iudicat, non rectè sentit. Dico autem duos, Hipparini scilicet Dionysij filij atque insuper mei filij animos. Arbitror enim si hi consenserint, alios quoque Syracusanos, & omnes quibus patria curæ est, consensuros. Sed diis omnibus honores cũ precibus offerentes, & aliis præterea quibuscunque vnà cũ diis vouere decet, præterea cohortantes inuitátésque amicos & inimicos omnino atque benignè, nolite prius desistere, quam ea quæ à nobis dicta sunt, quasi diuina somnia vigilantibus superuenientia, perspicua quidem atque felicia perfectissimè impleatis.

PLATO ARCHITÆ TARENTINO BENE AGERE.

EPIST. IX.

VENERVNT ad nos Archippus & Philonides, ferentes epistolam quã eis dederas, ac de rebus tuis quæ oportuit nunciantes. Publica quidem ciuitatis negotia absque difficultate peregerunt. Neque enim admodum laboriosa erant. Te verò narrauerunt permoleste ferre, quod à publicis ciuitatis occupationibus liberari non valeas. Quòd verò dulcissimum vitæ genus sit agere sua, præsertim siquis talia elegerit facienda, qualia tu, omnibus fermè est manifestum. [a] Sed illud quoque considerare oportet, nullum nostrum sibi soli natum esse, sed ortus nostri partem sibi patriam vendicare, partem parentes, partem amicos. Multa insuper

[a] Quantũpatriæ quisq; debeat.

super pro temporum diuersitate nobis accidere, quibus vita nostra occupata est. Vocante igitur te patria ipsa ad rempublicam gubernãdam, absurdum forsan esset non parere: præsertim cùm simul accidat, vt aditus prauis hominibus relinquatur, qui nulla ipsius quod optimum est ratione proficiscuntur ad publica. De his ergo iam satis. Echecratis autem curam habemus in præsentia, habebimúsque in posterum, & tui gratia, & patris eius Phrynionis, & propter ipsum adolescentem.

PLATO ARISTODORO BENE AGERE.

EPIST. X.

AVDIO te ante alios & nunc familiarem esse Dionis, & per omne tempus sapientiam morum ad philosophiam spectantium in primis exercuisse. Nam [a]sinceritatem, fidem, synceritatem, veram esse philosophiam existimo. Alias verò, & ad alia declinantes scientias & facultates si quis ornamenta dixerit, rectè, vt arbitror, appellabit. Sed vale iam, & in præsentibus his perseuera moribus.

[a] *Vera philosophia qua.*

PLATO LAODAMANTI BENE AGERE.

EPIST. XI.

SCRIPSIMVS etiã prius ad te, referre multum ad ea quæ dicis omnia, vt Athenas ipse proficiscaris. Quoniam verò ais te venire non posse, secundo id loco foret, si vel ego, vel Socrates, vt per tuas literas significasti, istuc nos conferre possemus. Verum Socrates

quidem hoc tempore morbo ſtrangurię impeditur. Mihi vero iſtuc proficiſcenti dedeceus foret, ſi illa quorum gratia me vocas, nequaquam perficerentur. Quæ quidem perfici poſſe haud admodum ſpero. Si quis autem ea omnia referre aggrediatur quorum de cauſa ita diffidam, prolixa opus erit epiſtola. Præterea per ætatem non ſatis corpore valeo ad iter cóficiendum, periculáque mari terráque obeunda, qualia iter ſolet obiicere, præſertim verò hoc tempore omnia iter agentibus plena periculis ſunt. Conſulere tamen tibi & vrbium conditoribus poſſum, quod nunc me referente, inquit Heſiodus, videatur malum & difficile ad intelligendum. Nam ſi putant aliqui legum quarumlibet poſitione ciuitatem bene quandoque conſtitui poſſe, niſi ſit aliquis cũ autoritate præſidens ciuitati, quotidianæ omnium vitæ moderator, adeò vt ſit temperata & fortis tam in ſeruis quàm in liberis, non rectè putant. Proinde ſi ſint iam apud vos viri hac poteſtate digni, id fieri poſſet. Sin autem ad diſciplinam opus ſit aliquo, neque qui doceat, neque qui doceatur, vt opinor, apud vos ſunt: reliquum eſt, deos precari. Nam ferè quæ ante hoc tempus fuerunt ciuitates, ſic ab initio conſtitutæ ſunt, ac poſtea bene excultæ pro opportunitate magnatum rerum, quæ tum bello, tum pace contigerunt, quando in eiuſmodi temporibus vir clarus & probus magnam adeptus fuerit poteſtatem. Prius autem ipſa promptiſſimè curare oportet atque neceſſe eſt: conſiderare tamen ea qualia dico, neque temerè aggredi quaſi leuiter peragantur: cogitare verò quidem commodè fieri poſſit. Vale felix.

PLA-

PLATO ARCHITÆ TARENTINO BENE AGERE.

EPIST. XII.

MIRVM est quanta cũ voluptate commentaria abs te missa accepimus, eorúmq; autoris ingenio delectati sumus. Visus quidem nobis est vir ipse dignus maioribus illis iam olim suis. Ferunt virorum decem millia fuisse, qui ex omni Troianorum, qui sub Laomedonte secessere numero, vt fabula tradit, præstantissimi fuerunt. Commentaria verò quæ tu per literas à me petis, nondum absoluta sunt. Qualiacunque tamen sunt, ad te misi. De custodia verò idem sentimus ambo. Quapropter nihil cohortatione opus esse videtur.

PLATO DIONYSIO SYRACVSARVM TYRANNO bene agere.

Notatur in Græco tanquam adulterina, nec conuersa est à Marsil. Ficino, sed ab eo qui huius siue nouæ autor editionis.

EPIST. XIII.

PRINCIPIVM tibi epistolæ simúlque nota quòd hæc epistola mea sit, hæc esto. Quum aliquando Locres iuuenes conuiuio excepisses, & procul à me discumberes surrexisti, ad méque accessisti, comiter humanitérque dixisti lepidum quiddam, vt & mihi, & ei, qui proximè assidebat, visum est. Erat autem ille ex numero vrbanorum, qui tum, Maiorem sanè in modum, inquit, ô Dionysi, à Platone ad consequendam sapientiam adiu-

uaris.cui tu,Multis etiam aliis in rebus,respon disti.Etenim ex quo eum accersiri iussi,repentè ob eam ipsam causam quòd eum accersiueram, emolumentum percepi. Itaque conseruandum est hoc,vt hæc multa vtilitas perpetuò magis,ac magis inter nos augescat. Nunc igitur hoc ipsum studens, mitto tibi vnum ex Pytagoreis, & diuisionum peritum, & virum præterea cuius opera, quemadmodum, tum nobis visum est,& tu,& Architas(si ipse ad te venit)vt possitis.Ei nomen est,Helicon: patria Cyzicus, Eudoxi discipulus, cuius omni doctrina eleganter est institutus: & vsus ei interceſſit cum quodam Isocratis discipulorum, & Polyxeno Brysonis sodali: quódque præterea rarum est, comis est,& affabilis, neque malitiosus videtur,sed leuis potius,& stolidus esse iudicaretur. Cautè autem & timidè loquor,quippe de homine sententiam exponès, non de perdito animali,sed quod mutari corrigíque facilè possit, nisi in quibusdam, iísque perpaucis. Præterea id veritus ac diffidens considerabam cum illo colloquens, ac de ciuibus ipsius percontabar, neque quisquã mihi quicquam de eo mali retulit. Considerato autem tu quoque, & cautionem adhibeto. Accuratissimèque quoties tibi otium erit, ex illo discito, aliisque in rebus philosophator: sin minus,doceto, quempiam,vt per otium discens, melior & illustrior euadas neque à me iuuari desinas. Atque hæc quidem hactenus. Quod autem per literas à me vt Apollinem tibi mitterem,petiisti,id feci: Leptines tibi eum deportandum suscepit, factus est ab erudito & præstanti artifice, cui nomen est Leochares. Erat apud eum opus aliud,sanè egre-

egregium, vt videbatur. Quare illud fum mercatus, vt vxori tuæ dono darem, quoniam mei curam fuſcepit, & proſpera & aduerſa valetudine vtentis, quemadmodum vtroque noſtrûm dignum erat. Quare illi dabis, niſi quid aliud videtur. Mitto etiam pueris vini dulcis duodecim amphoras, mellis duas. Caricæ iam reconditæ fuerant, priuſquam veneremus. Myrtorum bacchæ conditæ putruerunt, ſed poſthac diligentius curabimus. De plantis, Leptines tibi narrabit. Pecuniam autem ad iſtorum emptionem & tributum quoddam ciuitati pẽdendum à Leptine accepi, dicens, quæ mihi & vtrique noſtrûm & honeſtiſſima & dictu vera videbantur. Pecunia, quam in nauem Leucadiam inſumpſimus, fere eſt minarum xvj. Eam igitur accepi, atque ea in iſtis ſum vſus, quæ ad vos miſi: iam de tuis pecuniis quę ſunt Athenis, itémque de meis quomodo ſe res habeat, audi. Ego tuis pecuniis, quemadmodum olim tibi dixi, vtar, quomodo aliorum amicorũ facultatibus, vtor autẽ quàm pauciſſimis poſſum: in iis ſcilicet, quæ neceſſaria, iuſta & honeſta videntur, & mihi & ei à quo accipio, cuiuſmodi mihi quiddam hoc tempore accidit. Sunt mihi fratris filiarum quæ tum mortuæ ſunt, cùm ego, te tamen iubente, non ſum coronatus, filiæ quatuor: prima eſt nubilis, altera annorum octo, tertia paulò amplius trium, quarta nondum eſt annicula. Iis autem quibus ego nubentibus ſuperſtes ero, tum à me, tum à meis amicis dotes curandæ ſunt: quibus non ero, eæ valeant. Si patres earum ditiores me eſſent, dos curanda non eſſet. Nũc ipſis ſum locupletior, & earum matres ego tũ ab aliis, tum à Dione adiutus collocaui nuptũ.

Vna igitur Speusippo traditur, eius ex sorore neptis. Opus est autem huic non amplius xxx. minis honestæ siquidem & conuenientes nobis sunt eiusmodi dotes. Deinde si mater mea moriatur, ad monimentum faciendum non opus fuerit amplius decem minis. Atque hæc quidem mihi hoc tempore sunt necessaria. Quod quis alius fiat sumptus aut priuatim aut publicè ob meam ad te profectionem, sicuti aliquando faciendum dicebam, meum erit contendere & pugnare, vt sumptus fiat perexiguus, quod demere non potero, tibi expensum feretur. Sed deinceps commemoremus de impensis Athenienſis tuæ pecuniæ. Primum si quid mihi expendendum fuerit in Choragium, aut tale quippiam, non est nostra quidem sententia, hospes vllus qui tibi eã reddat. Permagni autem tua refert, si quod impẽsum est, è re tua sit. Quod aute non impensum, sed vsque eò dilatum, dum abs te aliquis venerit, tibi damnum afferat, cũ præterquam quod difficile est, tibi etiam turpe sit futurum. Ego enim hæc tentaui apud Andromedem, eóque Æginetam Etastum misi, à quo iusseras, vtpote ab hospite vestro, siquid opus esset, sumerẽ, cũ maiora de quibus scripseras, cuperem mittere. Ille verò quod æquum & mihi ab homine alienum esset, respondit, se quæ anteà patris nomine impendisset, ægrè recepisse: ac nunc pauca quidem non recusaturum, multa verò maximè. Quapropter à Leptine sumpsi qui laude dignus est, non tantum quia dedit, sed quia lubenter, & promptè dedit, cæterisque in rebus tum dictis tum factis tibi amicus ac beneuolus apparet. Hæc enim, atque his cõtraria me tibi exponere oportet, quali quisque

que esse in te animo videatur. Quare de pecuniis tibi liberè id quod res est aperiam: æquũ est enim, & simul domesticos tuos expertus, de diis quoque commemorabo. Qui tibi assiduè pollicentur se de iis sumptibus, quos faciendos arbitrantur te admonituros, admonere tamen nolunt ne in offensionem tuam incurrant. Itaque illos tu assuefacias oportet, & cogas tum hæc, tũ alia tibi exponere. Debes enim tu, quoad poteris, omnia nosse, iudéxque eorum esse neque vllius rei notitiam fugere. Hæc enim est ad principatum tuẽdum, conseruandúmque vel commodissima ratio. Siquidem si sumptus rectè facies, si nomina recte dissolueris, cũ ad alia omnia, tum ad opũ possessionem conseruationémque maximam iure dices esse opportunitatem. Prouidebis etiam ne te apud homines illi calumnientur qui se tui studiosos esse iactent. Hoc enim ad tuam existimationem minimè conducere videtur. Age de Dione commemoremus. cæteta sanè nequeo adhuc exponere, nisi prius tuæ, quæ dicis, literæ ad me allatæ sint. De iis autẽ de quibus me apud illum mentionem facere nolebas, neque mentionem feci, neque commemoraui. Exploraui tamen grauiterne, an facilè, si ea fierent, toleraret, ac mihi visus est nõ leuiter stomachaturus, si ea confierent. Cæterũ mihi Dio visus est tum dictis tum factis æquo in te esse animo. Cratino Timothei fratri sodali meo, thoracem dabimus militarem ornatissimum, ex eo genere quo pedites vti solent. Cebetis filiabus tres tunicas, septem vlnarum, non ex pretiosis illis Amorginis, sed ex siculis lineis. Cebetis autem nomen tibi maximè notum est. Extat enim in Dialogis So-

cratis;& in Dialogo de animo disputat simul cum Simmia aduersus Socratem, vir omnib. nobis & familiaris, & beneuolus. Notam autem Epistolarum, quas aut seriò aut non seriò scribo, etsi opinor te meminisse, tamen attendito diligenter, animúmque aduertito. Complures enim iubent me scribere, quos non facilè possum aperte repellere. Seriæ igitur epistolæ initium est DEVS: non seriæ, DII. Legati quoque à me petebant, vt tibi scriberem, neque iniuria. Admodum enim libenter te vbique ac me dilaudant: in his non minimum Philager, qui per id tempus ex manu dolore laborabat: item Philædes, à Dario rege magno veniens de te verba faciebat, ac nisi valde prolixæ & verbosæ epistolæ opus esset, quæ ille dicebat, perscriberem. NUNC ex Leptine percontare. Si thoracem aut aliud quidpiam eorum de quibus scribo, mittas, cui ipse voles dato: sin minus, Terillo committo. Ex iis qui perpetuò nauigant, nobis est amicus, & cum aliis in rebus, tum in Philosophia minimè ineptus, Tisonísque socer est eius, qui quo tempore nauigabamus, ciuitatem gubernabat. Vale, & philosophare, aliósque adolescentes excita atque adhortare, meísque verbis tuos in pilæ ludo collusores saluta. Iube verò cum aliis, tum Aristocrito siquid à me aut verbis aut literis tibi nuntietur, det operam, vt quãmaturum ad te perferatur, tibíque in memoriã reuocet ea, quæ tibi scripta erunt, vt ea curæ habeas. Nunc verò dà operam vt Leptini sua pecunia primo quoque tempore perioluatur, vt alij in eum respicientes, promptius & alacrius nobis inseruiant. Iatrocles à me vnà cũ Myronide libertate donatus, nauigat nunc cũ iis

ilis qui à me mittuntur. Huic dabis ſtipendiũ, vtpote animum erga te beneuolum gerenti, eiúſque opera, vbi voles, vtêris. & epiſtolam aut ipſam, aut ſi ipſius exemplar ſeruatur, ute cognoſce.

AXIOCHVS PLATONIS DE CONTEMNENDA MORTE, RODOLPHO agricola interprete.

SOCRATES, CLINIAS, AXIOCHVS.

EVNTI ad Cynoſarges mihi, cum ad Eliſſum veniſſem, vox cuiuſdam allata eſt clamantis, Socrates, Socrates. Vtque conuerſus circunſpectabam vnde ea redderetur, Axiochi filium video Cliniam, ad Callirhoen currentem cũ Damone muſico, Charmidéque Glauconis filio. Horum alter quidem muſicam docebat: alter ex familiaritate amabat, ſimúlque amabatur. Viſum eſt ergo mihi recta deflectenti occurrere eis, vt quàm primũ conueniremus. Perfuſus autem lacrymis Clinias, nunc tempus eſt, inquit, Socrates vt vulgatam ſemper de te ſapientiam oſtendas. Pater enim ex aliquo iam tempore viribus de improuiſo deſtitutus eſt, & prope eſt exitum vitæ, moleſtéque fert adeſſe ſibi finem, tametſi ante hac contemneret mortem horrenda imagine exprimentes, comitérque derideret. Perge ergo, próque tua conſuetudine illum confirma, vt volens eò quo ducit neceſſitas, ſequa-

tur, vtque ille mihi ad reliqua hoc ipso etiam pie colatur. SOCRA. Nullam me Clinia moderatam & honestam rem rogaueris frustrà, quantò nunc magis cum ad hæc me voces pietatis officia. Acceleremus igitur. Si enim ita res habet, festinatò opus est. CLI. Vbi modò te viderit Socrates, rectius habebit. Crebrò enim iam euenit ei, vt exanimatus rursus reficeretur. SOCRAT. Quò citius autem perueniremus, ea quæ circa murum est, ad Itonias portas iuimus. In proximo namque habitabat portæ quæ est apud Amazoniam columnam. Inuenimus ergo eum assumptis rursum sensibus, & corpore robustum, defectum verò mente, prorsúsque indigentem consolationis, reuoluentem crebrò se, suspiriáque cũ lachrymis atque manuum crepitu cientem. Aspiciens autem illum, quid hoc, inquam, rei Axioche? Vbi nobis illa pridem magnifica verba, continentésque laudes virtutum, & maius quàm vt dici posset in te animi robur? Sicuti enim timidus athleta, cũ in gymnasio insigne præbueris, ad certamen ipsum defecisti. An non circunspectè considerabis naturam vir tanta ætate, & rationi obsequens, vtque nihil aliud, Athenienſis? quod commune videlicet hoc & ab omnibus iactatum, [a] peregrinatio quædam vita est, quódque oportet peragentes eam alacriter, & tantum non pæana canentes, ad postremam accedere necessitatem: tam molliter verò habere, se támque ægrè pueri more diuelli, nequaquam prudentiæ præ se fert altioris ætatem. AX. Rectè quidem Socrates, ista mihi dicere videris: verùm nescio quo pacto vbi propius accessit periculum, fortia illa grandiáque verba occultè subteruolant atque

[a] *Vita nostra est peregrinatio quædam.*

que negliguntur. Obortur aũt metus quidam mentem multipliciter discerpens, si hac luce, hisq; priuabor bonis, & expers mẽtis sensuũq; iacebo vbicunque demum putrescẽs, & in pulueré verméque conuersus. SOC. [a] Imperfecte coniũgis Axioche, propter imperitiã, cũ sensuũ orbitate sensum, tibiq; ipsi cõtraria facis & dicis: neque cogitas quòd simul quidem desles id, quòd sensibus carebis, simul ob putr. factionem doles, amissionémque vitę oblectamentorum, veluti morte sis in aliam vitã transiturus, neq; in omnimodã abiturus sensuũ abolitionẽ, & eandẽ in qua prius quàm nascereris, fuisti. Vt enim cũ Draco Clisthenésq; gubernabãt rẽpublicã, nihil te mali habebat (nécdũ enim cœperas esse vt malè tibi quid accidere posset) ita neque post mortẽ erit. Nullus enim vt malè tibi esse quicquã possit es futurus. Quin tu igitur hanc omnẽ discutis ineptiã, illud cogitans, quòd soluta simul hac cõpage, animóque rursus in propriũ restituto locum, relictum istud cõrpus terrenũ atque rationis expers, amplius nequaquam est homo. [b] Nos etenim anima sumus, animal immortale mortali inclusum munimento. Hoc aũt tabernaculum non sine malo nobis circundedit natura, cuius læta quidẽ abstrusa sunt & voluèria, pluribúsque doloribus admixta: tristia verò, improuisa, diuturna, prorsúsque vacua gaudiorum. Valetudines nẽpe, sentiẽtiũ membrorũ vlcera, morbi interni. Quibus necessariò (quoniam per corporis meatus sparsa est) condolens anima cœlestem & cognatum desiderat æthera, sititque cupidè supernæ illius consuetudinem gaudiáque vitæ: discessus itaque è vita, mali cuiusdã est in bonũ commutatio. A X. Cũ malũ ergo Socrates

[a] Morte sensus omnis adimitur, non est formidanda mors.

[b] Homo est anima sua & animal immortale.

vitam putes, quid ita viuere perseueras, cũ re-
[a] Ironia Socratica. rum sis indagator, & nobis, id est multitudini intelligentia præstes? SOC. Nequaquã verũ de me Axioche testimoniũ dicis. Arbitraris enim quemadmodũ vulgus Athenienſium, quandoquidem res inquiro, alicuius quoque me sciẽtiã habere. Abest autem tantũ vt recõditiora sciam, vt voto optauerim etiã vulgata me ista
[b] Sophistarũ & inter alios Prodici insectatio. nouisse. [b] Sunt autem ista quę dico Prodici sapientis tradita, alia quidem duobus obolis, alia duabus, alia quatuor drachmis redempta. Gratis enim hic vir neminẽ docet, éstque mos ei semper Epicharmi illud in ore habere, Manus manum fricat: da aliquid, & aliquid cape. Nuper ergo cùm apud Calliã Hipponici filium declamaret, tãtis differuit cõtra vitã, vt ego ad ea quæ nullius sunt momenti, adscripserim vitã. Ex eóque iã in mortem mihi animus Axioche
[c] Miseriæ & calamitates vitæ. propendit. AX. Quæ dixit autẽ? SO. [c] Dicã equidẽ tibi ea, quorũ mihi veniet in mentem. Quæ enim pars inquit, ætatis, calamitatibus vacat? Nónne statim à principio plorat, vt primũ natus est infans? vitámque à lacrymis auspicatur? Quæ tandẽ nũ premit eũ molestia? Semper enim vel penuria, vel frigore, vel calore, vel verberibus vrgetur. Antè quoq; quã loqui possit, quãta patitur? flens scilicet, hánecque solam habens anxietatis suæ querelã. Vbi septimum dehinc expleuerit annũ multósque labores exhauserit, iã custodes, hymnasticæ, magistri ludi, iam adolescenti critici, geometræ, rei militaris præceptores, ingẽs planè dominorũ multitudo Post ista vbi in Ephebos inscriptus est, prior iam metus Lyceũ, Academia, gymnasiarchia, virgæ, nullá q; prorsus malorum mẽsura. Omne adeò adolescentis sub moderatoribus

est

est tempus, qui ex Areopagi delecti concilio præsunt iuuentuti. Deinde cum fuerit istis exolutus, iam curæ palã emergunt, reputatióque quod viuendi potissimũ instituat iter, præque sequentib. incõmodis priora illa puerilia vidẽtur, & infantiũ reuera territamẽta: expeditiones enim & vulnera, perpetuíque certaminum labores. Hinc iam fallax subrepit senectus, in quam confluit quicquid est infirmũ fragilẽq; naturæ. Quòd nisi ocyus quis vitã velut æs alienũ reddiderit, astans supra caput natura tãquam fœnerator reposcit vsurã. Ab alio quidem visum, audiũm ab alio, persæpe vtrunque: at si quis diutius cunctetur, debilitat eũ, excruciat, & artuũ morbo afficit. Alii itaq; ad multã senectutẽ perueniũt, tũcq; proverbio lo est bis pueri fiũt senes. Dii ergo propter hoc ipsũ (vt quib. notissimæ sint res humanę) quos plurimi faciũt, eos citius auferũt è vita. [a] Agamedes itaq; & Trophonius cũ Pythii Apollinis ædificassent tẽplũ, orãtes dari sibi quod optimũ esset, quũ obdormiuissẽt, nũquã deinde surrexerũt. Sic etiã Iunonis Argiuę sacerdotes, precante matre eorũ, vt gratiã eis aliquã Iuno pietatis illorũ referret, cũ enim cunctarentur iumenta, succedentes ipsi vehiculo matrem ad templum vsque pertraxerant. Post preces ergo nocte decesserunt. Longum foret autem poetarum dicta recensere, qui diuinioribus poematis ea quæ ad vitam pertinent nostram, velut ex oraculo decantant, quemadmodum deplorent illam. Vniúsq; solùm memoratu dignissimi sat habeo meminisse: qui inquit: *Quàm sæpe miserum flamen mortalibus aui Nenere, vt vitæ desiendæ per omnia durent.* Iterúmque: *Et cunctis, hominum generi sors pessima vitæ*

* Prouerb. Bis pueri senes.

[a] *Agamedẽ & Trophonium ob ædificationem templi sui Apollo morte remuneratus est.*

Stat, quæcunque supra terram spirãt, & meãtque. De Amphiarao verò quid dicit? *Iupiter hunc totis animis, hunc magnus Apollo Diligit, & nulli metas non attigit ævi.* De illo quoque qui ita iubet: *Nascens fleat, qui tanta vitæ intrat mala:* quid tibi videtur? Sed finem facio, ne cõmemorando alios, rem contrà quàm instituí longius ducã. Quod autem vitæ quisquã institutum, quámve artem deliget, vt non queratur de ea, neque præsentibus offendatur: [a] Opifices, mercenariásque recensẽamus artes, ex nocte in noctem vsque laborantes, & vix tolerantes vitæ necessarios sumptus, complorantes seipsos, omnémque vigiliam suam mœrore lacrymisque complentes. [b] At nautam dicamus, per tanta penetrantem pericula, quíque, quemadmodũ Bias ait, neque inter mortuos est neque inter viuos. Terrestris enim homo, velut ambi gui generis, ipse in mare sese proiecit, totúsque arbitrii factus est fortunæ. [c] Verùm dulcis est agricultura. Est sanè. nónne tota tamen est, quod aiunt, vlcus, semper paratam doloris habens causam, nunc quidem siccitatẽ, nunc pluuias, nunc vredinem, nunc rubiginem, nunc vel æstũ intempestiuũ, vel frigus conquerens? [d] Illa quoque honorata in primis reipublicæ administrandæ prouincia, multa enim præterea: per quantas rapitur anxietates? Quę gaudiũ quidem habet futunculi in modum [palpitans & subsultans] repulsas verò acerbas & millies morte peiores. Quis enim beatus esse possit vulgi viuens arbitrio? tametsi faueatur ei plaudatúrque populi scilicet lúdicrũ, iactatus, exibilatus, damnatus, mortuus & tum miserandus vlsus. Vbi nanque Axioche tu qui in republica versatus, vbi Miltiades, vbi Themistocles, vbi Ephial-

[a] *Omnium vitæ generũ & conditionum miseriæ & calamitates recensentur.*

[b] *Nautæ neque inter mortuos est, neque inter viuos.*

[c] *Agriculturæ incõmoda.*

[d] *Reip. administrandæ munerũ incommoda.*

Ephialtes abiit, vbi item qui nuper reges & duces fuerunt? quãdo ego quidẽ nõ fum rogatus ſententiam (neque enim honeſtum mihi videbatur, vt inſanienti populo dominationis particeps fierem.) Theramenes autem & Callixenus [poſtridie iudices ſubornarũt, qui præſidentes concioni indicta cauſa homines illos capitali ſupplicio condemnarent] túque cum Euryptolemo reſiſtebas illis ſolus è triginta millibus in concionem coactis. AX. Sunt iſta Socrates vt dicis: itaque ex eo ſuggeſti me ſatietas cepit, neq; mihi quicquã acerbius reſpublica viſum eſt. Perſpicuum id quidem illis qui in ipſo ſunt negotio verſati. Tu namque dicis hæc, velut qui de ſublimi ſpectaueris: nos verò qui fecimus periculum, quanto exactius ſcimus. [a] Populus enim chariſſime Socrates, ingratus eſt, morioſus, crudelis, inuidus, impetuoſus, vt qui ſit ex colluuie turbę & ſtultis inſolentibus collectus. Huic autem qui aſſentatur, multò ipſe miſerior eſt. SOCRAT. Quando igitur Axioche, hanc quæ liberalis maximè omnium eſt artium, omnium maximè abominandam putas, quid reliqua vitæ genera? an non putabimus prorſus eſſe fugienda? Audiui etiam Prodicum quandoque dicentem, [b] quòd nihil quicquam neque ad viuentes mors, neque ad defunctos pertineret. AXIO. Quomodo dicis iſta Socrates? SOCRAT. Quoniam neque circa viuentes eſt: hi verò qui obierunt, non ſunt amplius. Itaque neque apud te eſt, nondum enim obiiſti: neque ſi quid tibi accidat, eſt circa te futura, non enim eris. Stultus eſt igitur dolor de Axiocho, qualis neque eſt, neque futurus ſit, Axiochum mente torqueri: ſitque ſi-

[a] *Qualis ſit vulgus populi in Rep. declaratur.*

[b] *Mors neq; ad viuentes neq; ad defunctos pertinet.*

mile, veluti si Scyllam, aut si quis Centaurum reformidet, quæ neque iam imminent tibi, neque sint vnquam ad exitium tuum affutura. Existentium enim rerum est metus: quæ non sunt autem, nemo est qui pertimescat. AX. Tu quidē docta hæc verba ex ea quę nūc pullulat garrulitate protulisti. Illinc enim hæ sunt verborū ineptiæ, illicidæ iuuentuti apparatæ. Me verò amissio bonorū quæ sunt in vita tristem reddit: etsi Socrates probabiliorem etiam hac quam modò dixisti, crepueris orationem: non enim errabunda iam mens ducitur aptè cohærentibus verbis, neque contingunt mentem ista, sed in ostentationē splendorémque orationis parata multum absunt à veritate. At animi ægritudo captiosis nequaquā sistitur verbis, sed illis acquiescit solùm, quæ valeant ad mentem vsque penetrare. SO C. [a] Coniungis imprudenter Axioche, & bonorum priuationi malorum substituis sensum, oblitus quod tunc mortuus sis futurus. Eum namque qui bona amittit, contraria lædunt quæ patitur mala: at qui non est, nihil in eius quo priuatur, locum recipit. Quomodo ergo esse posset vllus in eo dolor, quod nullam lædentium notitiam exhibebit? Quòd si non ab initio Axioche per imprudentiam vnum aliquem sensum cum morte componeres, nequaquā metueres eam. Nunc ipse te subuertis, timens amissum iri animam, aliámq; animam illius amissioni circundas. Et turbaris quòd sis sine sensu futurus, hócque ipsum non sentire alio te sensu comprehensurum putas. [b] Ad hæc multa sunt, perpulchraque de animi immortalitate rationes. Neque enim mortalis natura in tā varias res attollere sese posset,

[a] *Mortem timere & mortē animos interire putare sunt contraria.*

[b] *Rationes quæ animæ immortalitatem euincunt.*

set, vt contemneret ingentium ferarum vires, maria transmitteret, conderet vrbes, respublicas constitueret, respiceret etiam in cœlum, & astrorum videret reuolutiones, cursúsque solis & lunæ ortus item & occasus, defectus, celeritatem, distantias, æquinoctiáque, & duplices conuersiones, Pleiadum etiam & hyemis atq; æstatis ventos, imbriúmque casus & horrendos turbinum raptus, vt comprehensos quoq; mundi labores seculis traderet, nisi diuinus quidam mentibus nostris spiritus inesset: quo complexum notitiámque tantarum attingeret rerum. Transis itaque non in mortem Axioche, sed in immortalitatem, non in amissionem bonorum, sed in synceriorem eorum perceptionem, neque ad voluptates mortali confusas corpori, sed ab omnibus prorsus molestiis purgatas. Illuc enim ex hoc solutus carcere proficiscetis, vbi requieta lætáque omnia, & nulla fatiscentia senecta: tranquillámque illic perages vitam, ab omnibus liberam incommodis, & serena placidam quiete, rerum contemplans naturam, atque philosophiæ non ad turbam, neque in speciem, sed ad puram germanámque deditus veritatem. AX. In contrarium me Socrates hac oratione distuliſti. Non enim metus iam me, sed desiderium tenet mortis. Vtque ego rethores imitatus grandius aliquid dicam, iamdudum superna mente cõcipio, & immensum illum diuinúmque recenseo cursum, collegíque ex infimitate me, súmque iterum quasi nouus effectus. SOC. Si vis autem aliã etiam rationem cape, quam retulit mihi Gobryas Magus. Is dicebat secundum Xerxis in Græciam trãsitum auum suum sibi cognominẽ missum

a *Iudicium animarum post mortẽ.*

esse in Delum, quo eam tueretur insulam, in qua bina sunt numina prognata. Ibi illum ex æneis quibusdam tabulis quas attulissent ab Hyperboreis Opis & Hecaergus, didicisse animam postea quàm à corpore sit exoluta, in ignotum quendam locum subterraneo discedere recessu, in quo Plutonis sit regia nihilò minor quàm aula Iouis Terra etenim mundi medium tenente, ambitum eius esse globosum, cuius alterum quidem semiorbem dij superi acceperint, inferi alterum: atque hi quidem fratres illorum, hi verò filij fratrum. Vestibula autem qua aditus ad Plutonis est regnum, ferreis esse claustris atque clauibus affirmat. Aperientem illa fluuius excipit Acheron: post quem Cocytus est. Eos vbi quis traiecerit, ad Minoem & Rhadamanthum est accedere necesse. Vocant hunc campum veritatis, inque eo iudices sedem, recognoscentes eorum qui aduenerint vniuscuiusque vitam, & qua quisque ratione corpus inhabitans ætatem peregerit. Nec mentiendi illic vlla facultas. Quibuscunque autem in vita melior aspiranerit daemon: ij sedes incolunt piorum, vbi omnes anni tempestates scatent omnigena fructuum vbertate, fontes puris labuntur aquis, variis prata omnimoda floribus vernant, concentus sunt philosophorum, theatra poetarũ exultantium coronæ musicíque concentus. Adhæc, instructa diligenter conuiuia, & ipsa sese suppeditans affluentia victus immortalis hilaritas, ratióque vitæ iucundissima. Non enim frigus illis, non æstus est grauis, sed temperatus aer funditus mitibus solis radiis illustratus. Hic etiam initiatis est dignatio quædã, & religiosa ibidem quoque peragunt sacra.

Quo-

Quomodo ergo non hîc tibi honor habebitur cognato deorum? Herculem nanque Liberúmque patrem descendentes ad inferos priscus est sermo hîc initiatos fuisse, & fiduciam quò illuc irent, ab Eleusinia conceptam esse. At illi quibus per scelera vita fuerit peracta, per Tartarum à Furiis ad erebum chaósque rapiuntur, vbi impiorum est locus, inexplebilésque Danai filiarum vrnæ, vbi Tantali sitis, præcordia Tityj, Sisyphi inexplicitum saxum, cuius finis ab alio incipit rursus labore. Ibi circumlambentibus eos feris, indesinenter lampadibus adusti, & omnium pœnarum affli cti cruciatu tormentis laniantur immēsis. Ista quidem ex Gobrya ego audiui, tuum vero de eis erit Axioche iudicium. Illud namque ratione adductus solùm scio constanter, quòd omnis immortalis est anima quæcunque ex hoc loco transfertur, & prorsus expers dolo-tis. Siue sursum ergo Axioche, siue deorsum beatus sis oportet, qui probè piéque vixisti.

AX. Pudet me Socrates dicere tibi quiddam. Tantùm abest vt timeam mortem, vt nunc eius etiam tenear amore, vsqueadeò & hæc mihi, & illa persuasit quasi cœlestis oratio. Contemno etiam vitam, vt qui sim in melius domicilium transiturus, núneque paulatim ea quæ dicta sunt, ipse mecum recensebo. Tu verò meridie fac adsis mihi Socrates. SOCR. Faciam vt dixisti, Ego quoque ad Cynosarges, vnde huc vocatus sum, redeo ad deambulationem.

PLATONIS

DIALOGI SEX, QVI QVASI ADVLTERINI, ADHVC IN HOC VOlumen recepti non fuerant à Sebastiano Corrado nunc primùm è Græco in Latinum conuersi.

SEBASTIANVS CORRADVS SYLVESTRO MAVROCENO IOANNIS S.P.D.

CVM *Platonis operibus sex dialogi circumferuntur: qui si à Platone non sunt, vt multi putant, scripti, ita sunt tamen ab autore, quicunque is fuit, Platonici & sententijs, & verbis perpoliti, vt merito iam Platonici possint appellari, debeántque vel ob eam rem cum Platonicis, sicut adhuc factum est, describi. Eos ego dignos ratus, qui à nostris etiam hominibus, qui Græcas literas nescirent, legerentur, superioribus annis, Venetijs quum essem apud te, è Græco in Latinum conuerti, cum vt id otium, quod tum mihi dabatur, in his potissimum scriptis consumerem, tum vt eos tibi dicarem, quò tibi pro tot tuis in me beneficijs gratiam si non parem, & quam deberem, at aliquam, & quam possem, donec occasio commodior daretur, referrem. Sed postea Senatus nostri literis, atque adeò totius per è Reipub. nostræ voce reuocatus, ei negotio sum præfectus, in quo vt multum sit honoris, ego tamen vnus in eo tantum oneris semper sustinui, vt nunquam neque hanc interpretationem, neque rem vllam priuatam*

hoc toto tempore curare potuerim. Nunc Accensi, qui Regienses sunt Academici, iuuenes virtutis amore verè accensi, mei que & tui atque tuarum virtutum, quæ plurimæ sunt, non minus, quam literarum omnium, & doctrinarum studiosi, quum de dialogu hisce nescio quo modo intellexissent, eósque legere magnoperè cuperent, dederunt illi operam, & quidem sedulò, vt Augustus mensis totus mihi vacuus à Senatu concederetur, & eos paulò accuratiùs videre, & considerare possem. Ego verò, etsi post hanc vacationem impetratam maiorem mensis partem abfui, rus, Bononiámque profectus, vidi tamen, vt in tam breui tempore licuit, studiosè & quàm diligentissimè potui, mea manuscriptos ad te misi, vt, si tibi digni videbuntur, qui in tuo nomine appareant, eos tu istic edendos curei, & me, Accensosq; omneis, qui te venerantur, quique in are tuo esse tam cupiunt, quàm quod maximè, ames. Vale. III. Calen. Septembr. M. D. XLII. Regis Lepidi.

DE IVSTO.

I.

SOCRATES, HOSPES.

PO. Potes nobis dicere, quid sit Iustũ? an id tibi indignum videtur esse, de quo verba facias? HOSP. Mihi verò dignũ videtur, & quidẽ valde. SO. Quid est igitur? HOS. Quid aliud esse dicã, nisi illa omnia, quæ iusta cẽsentur? SO. Nolim ira mihi respõdeas, sed quẽ admodũ, si tu me roges, quid sit oculus: dicam tibi, id esse, quo videmus: & si me præterea iubeas ostẽdere, ostendã. Et si me interroges cuínam rei Animus sit nomen: ei, tibi dicam, qua

cognoscimus. Rursus autem si quæras quid sit vox: id tibi esse respondeam, quo diximus. Tu quoque sic velim dicas: Iustum id esse, quo vtamur ad aliquid agendum, vt dictum est de iis, quæ nunc ego quærebam. HOS. Haud equidem ita facile tibi possum respondere. SOC. Quandoquidem igitur non ita facile potes respondere, id ipsum fortè facilius hac ratione inuenire poterimus. Age, Maiora, & Minora, quónam potissimum considerantes discernimus? nónne mẽsura? HOS. Sanè. SO. Præter mensuram autem, qua deinde arte? nónne metiendi? HOSP. Ita sanè. SOC. Quid Leuia & Grauia? nónne statera? HOS. Etiam. SOC. Post stateram qua deinde arte? nónne appendendi? HOS. Maximè. SOC. Q[illegible] id? Iusta & Iniusta intelligis quo tandem instrumento, quáque præterea arte secernamus? an neque adhuc id est tibi manifestum? HOSP. Non hercle. SOC. At rursus hoc modo. Quando de Maioribus, & Minoribus ambigimus, quinam ea de re inter nos diiudicant? nónne metiendi artis periti? HOSP. Ita. SOCR. Quando de multis, & paucis contendimus, quinam iudicant? nónne Supputatores? HOS. Verum. SOC. Quando verò de Iustis, & Iniustis inter nos litigamus: dic, quæso, ad quos accedamus, qui, qua de re lis est, sententiam ferant. HOSP. Num iudices dicis, ô Socrates? SOC. Inuenisti rectè. Age iam, illud quoque dicas: Artis metiendi periti quid faciunt, quũ Magna, Paruáque discernunt? nónne metiuntur? HOS. Quippe. SOC. Quid? qui de Grauibus, & Leuibus iudicant, nónne appendunt? HOS. Appendunt. SOC. Quid iam de his dices, qui de Iustis, & Iniustis pronuntiant? respondè. HOS. Haud equidem possum.

SOCR.

soc. Nónne ratiocinari eos recte dicas? HOSP. Opinor. soc. Iudices igitur, qui inter nos sententiam ferunt, ratiocinantur vtique, quando de Iustis, & Iniustis iudicant. HOS. Assentior. soc. Parua verò, & Magna metiuntur, qui metiendi artem exercent. Diximus enim id esse mensurã, quo talia iudicantur. HOS. Diximus. so. Sed Grauia rursus, & Leuia appendunt, qui studium suum in appendendi arte posuerunt. Nã statera nobis id ipsum fuit, quo solent ista discerni. HOS. Fuit profectò. soc. Verùm Multa, & Pauca numerant, qui numerandi studio tenentur. Id enim numerum esse posuimus, quo res huiusmodi distinguuntur. HOSP. Posuimus. SOCR. Iudices autem, vt modò consensimus, ratiocinantur, quando de Iustis, & Iniustis inter nos iudicant. Etenim Ratio id est, quo res istæ secernuntur. HOS. Bene dicis, ô Socrates. soc. Et vera quidem. Ratio igitur id esse prorsus videtur, quo Iusta, & Iniusta iudicantur. HOS. Videtur. SOCR. Iam verò Iusta, & Iniusta definienda sunt: vt, si quis ita nos interrogaret: Quando mensura, ársque metiendi, & vir illius artis peritus Maius ipsum, & minus diiudicant: quid est tandem Maius, & Minus? diceremus profectò, id esse Maius, quod superet: Minus verò, quod superetur. Ité, quæreret: Quando Graue, & Leue, statera si ársque appendendi, & vir eius artis studiosus discernunt, quid est Graue, & Leue? responderemus, Graue esse, quod in libra positum propendeat: Leue autem, quod sursum feratur. Sic iam, si quis nos roget: quandoquidem Iustum & iniustum ratioque, & ars iudiciaria atque iudex iudicant, quid est Iustum & Iniustum? aliquidne, quod illi respondea-

mus,an adhuc nihil habebimus? HOSP. Nihil. SOCR. Vtrũ existimas homines iniustitia præditos esse voluntarios, an inuitos? sit autẽ dico: Vtrum credas,homines iniuste agere,& iniustos esse voluntarios, an inuitos? HOS. Voluntarios,ô Socrates:sunt enim improbi. SOC. Improbos igitur tu, & iniustos homines voluntarios esse arbitraris? HOS. Arbitror equidem. Tu verò non arbitraris? SOC. Non equidẽ si modò quid oportet Poetæ credere. HOS. Cui Poetæ? SOCR. Qui dixit,Nullus malus lubens, nec inuitus bonus. HOS. Atqui ô Socrates rectè habet prouerbium vetus, Poetas in multis mentiri. SOCR. Minum sanè, si ea in re Poeta hic mentitus sit. Quare, si tibi est otium, videamus, falsáne, an vera dixerit. HOS. Est otium. SOC. Age iam,vtrum ducis iustum esse, Mentiri, an Vera dicere? HOSPES. Vera dicere. SOC. Mentiri igitur iniustum? HOSP. Iniustum. SOC. Vtrum Decipere putas iustum, an Non decipere? HOSP. Non decipere vtique. SOC. Decipere, an iniustum? HOS. Iniustum. SOC. Quid verò Nocere, iustum, an Prodesse. HOS. Prodesse. SOC. Nocere, nónne iniustum? HOS. Iniùstum. SOCRA. Vera vtique dicere: & Non decipere: & Prodesse, iustum: Mentiri verò & Decipere, & Nocere iniustum. HOS. Ita est mehercule. SOCR. Eadémne de hostibus sentis? HOS. Nequaquam. SOC. Sed nocere hostibus, iustum esse: Prodesse verò iniustum. HOS. Ita sentio. SOCR. Estne igitur iustum, nos vel decipientes hostibus, nocere? HOSPES. Quídni? SOC. Quid autem Mentiri, vt hostes decipiamus, offendamúsque, nónne iustum? HOS. Iustum. SOCR. Quid? Non iustum

ducis

ducis esse, Nos amicis prodesse? HOSPES. Duco equidem. SOC. Vtrum, Non decipienteis, an propter aliquam illorum vtilitatem decipienteis? HOSP. Atque etiam Decipienteis. SOC. Sed Decipienteis quidem iustum est prodesse: Non mentienteis tamen, an & Mentienteis? HOSP. Et Mentienteis. SOCRAT. Mentiri igitur, & Vera dicere, nónne vtrúnque videtur esse & iustum, & iniustum? HOSPES. Videtur. SOCRAT. Et Decipere, iustum, & iniustum? HOSP. Illud quoque. SOCRA. Hæc omnia, quum sint huiusmodi, nónne iusta sunt, & iniusta? HOSPES. Sunt, vt apparet. SOC. Audi reliqua: Oculum ego habeo dextrum, & siniſtrum, quemadmodum & alij homines? HOSP. Habeo. SOCRAT. Narem dextram, & siniſtram? HOSPES. Prorsus. SOCRA. Et manum dextram, & siniſtram? HOSPES. Sanè. SOCRATES. Postquam igitur hæc tu eadem nominans, quædam ex meis Dextra, & quædam Siniſtra esse dicis: si te rogem, Vtra ea sint: possíne dicere, hæc quidem in hac parte Dextra esse, illa verò in illa Siniſtra? HOSPES. Possim. SOCRAT. Iam & illuc eas. Postquàm hæc eadem nominans, aliqua iusta, & aliqua iniusta esse diceres, possis dicere, vtra iusta, & vtra sint iniusta? HOSP. Horum singula quæque conuenienter, & in tempore facta, mihi iusta videntur esse: contrà verò iniusta. SOCR. Rectè videntur. Horum igitur singula quæque qui facit opportunè, iusta facit: qui contrà iniusta. HOSPES. Ita res habet. SOCRAT. Ergo, qui iusta facit, iustus est: qui iniusta, iniustus. HOSP. Nemo negat. SOC. Quis igitur potest opportuno tempore Secare,

Vrere,& Extenuare? HOSPES. Medicus. SOCR. Quòd scit, an propter aliud? HOSPES. Quòd scit. SOCRATES. Quis opportunè Fodere, Arare,& Serere potest? HOSP. Agricola. SOCR. Quòd scit,an quòd nescit? HOSPES. Quòd scit. SOCRAT. In aliis quoque rebus eodem modo, qui scit, potest opportuna, & quando oportet, & suo tempore facere: qui nescit contrà? HOSPES. Potest. SOCRATES Mentiri, & Decipere, & Prodesse qui scit, potest horum singula quæque & quando oportet, & suo tempore facere? qui verò nescit, non potest. HOSPES. Vera dicis SOCRATES. Qui facit hæc opportune, nónne Iustus vocatur? HOSPES. Vocatur. SOCRATES. Facit hæc per scientiam? HOSPES. Facit. SOCRATES. [a] Iustus igitur per scientiam est iustus? HOSPES. Est. SOCRATES. Iniustus per contrarium est iniustus? HOSPES. Patet. SOCRATES. Iustus, per sapientiam iustus? HOSPES. Nimirum. SOCRATES. Et iniustus, per inscientiam iniustus? HOSPES. Sequitur. SOCRATES. Videtur ex his idipsum, quod maiores nobis sub sapientiæ nomine reliquerunt, Iustitia: id verò, quod Inscientia dicitur, Iniustitia vocari meritò posse. HOSPES. Videtur. SOCRAT. Sed homines, Inscij sunt sponte, an inuitè? HOSP. Inuitè. SOCR. Inuite igitur & Iniusti? HOSP. Apparet. SOCRAT. Iniusti autem, sunt Improbi? HOSPES. Sunt. SOC. Nónne inuitè sunt improbi, & iniusti? HOSP. Prorsus. SOC. Per iniustitiam verò iniustè agunt? HOSP. Nempe. SOC. Per id, quod inuiti faciunt? HOSP. Per idipsum. SOCR. Per ipsum quidem, quod inuiti faciunt, fieri id non potest, quod Voluntarium dicitur. HOS. Nō certè. SOC.

[a] *Cùm Iustus sit per scientiam iustus, iniustus erit per inscientiam iniustus: & cū inscientia nō fit spōtanea, iniustitia nō erit spontanea.*

SOC Verum per iniustitiam nascitur id, quod iniustè agere vocauimus. HOS. Nascitur. SOC. Iniustitiam verò id esse diximus, quod inuiti faciunt. HOS. Diximus. SOC. Inuiti igitur iniustè agunt, & iniusti sunt, & improbi. HOS. Inuiti, vt apparet. SOC. Non ergo ea in re mentitus est Poeta. HOSP. Non videtur.

DE VIRTVTE

AN TRADI DOCTRINA POSSIT. II.

SOCRATES, AMICVS.

VIRTVS tradine doctrina potest, an ea potius est, quæ non possit acquiri: sed viri natura, vel alio quodam modo boni fiunt? AM. Non habeo, Socrates, quid tibi nunc respondeam. SOCR. At hoc ipsum ita consideremus. Age, si quis vellet ea facultate bonus fieri, qua boni sunt coqui, qui sciti in primis habentur, vnde fieret? AMI. Inde videlicet, si de bonis coquis disceret. SOCR. Quid, si vellet bonus fieri medicus, ad quem profectus bonus fieret medicus? AM. Ad eorũ aliquem, qui boni sunt medici. SOCR. Si verò cuperet arte bonus esse illa, qua boni sunt Fabri? Ad fabrorum aliquem. SOCRAT. Sed, si peroptaret ea virtute bonus euadere, qua viri sunt & boni, & Sapientes, quò profectum illum oporteret discere? AM. Arbitror ad eorum aliquem, qui boni sint viri, si mo-

dò is, qui discere cupiat, ad eam virtutem perdiscendam sit idoneus: nam quò alio proficisci possit? SOC. Age, quinam viri boni in vrbe nostra fuerunt, vt expendamus, an viri huiusmodi bonos item alios faciant? AMIC. Thucydides, Themistocles, Aristides, & Pericles. SOC. Vniuscuiusque horum magistrum possumus referre? AMI. Non possumus, non enim id dicitur. SOC. Quid? discipulum possumus vel peregrinum, vel ciuem, vel liberum, vel seruum nominare, qui possit affirmare, se per eorum consuetudinem Bonúmque, & Sapientem factum? AMI. Neque hoc dicitur. SOC. Nunquid inuidi erant ita, vt nollent virtutem cæteris impertire? AMI. Fortasse. SOC. Ob scelus, quod verererentur, ne sibi alij fierent æmuli, quemadmodum Coqui, & Medici, & Fabri faciunt? Nanque ij neque vtile sibi existimant esse, si multi sibi in arte aduersarij fiant: neque commodum, si ipsi inter multos sui similes habitent. Eodémne igitur modo, & vitis bonis incómodum est, cum sui similibus habitare? AM. Fieri potest. SOC. Nónne sunt iidem Boni, & iusti? AM. Sunt. SO. Estne aliquis, cui possit vtile esse, non cum bonis, sed cum improbis versari? AMI. Non possum dicere. SOC. An igitur neque hoc potes dicere, vtrum sit bonorũ quidem nocere, sed improborum prodesse: an contrà? AMI. Contrà SOC. Asseris ne bonos iuuare, improbos verò lædere? AMI. Asséro. SOC. Estne igitur aliquis, qui lædi malit, quàm iuuari? AM. Nullus certè. SOC. Nullus ergo mauult inter nocẽteis, quàm inter vtileis viuere. AMIC. Res est, vt dicis. SOC. Nullus igitur, è vitis bonis molestè fert, alium bonum, & sui similem fieri. AM. Nullus

VT

vt ex hac ratione apparet. SOC. Audisti Themistocli Cleophantum filium fuisse? AM. Audiui. SOC. Themistocles certè, qui bonitatem nemini inuidebat, si modo bonus erat, vt verè fuit & à nobis dicitur, nunquam filiũ quàm optimum fieri per inuidiã prohibuisset. AM. Nunquam. SOCR. Propterea filium equitandi artem ita doceri voluit, vt in ea peritus, & bonus esset. Nam rectus in equũ ascendebat, ex equisque rectus iaculabatur, atque alia multa & mira faciebat. Multis etiam præterea rebus illũ instituendũ curauit, & edocendum, quæcunq; à bonis præceptoribus traduntur. Hæc nónne de natu maioribus audisti? AMI. Et quidem sæpe. SOC. Nemo igitur huius filij naturam vt malam accusare potest. AMI. Nemo quidem iustè, vt ex his, quæ tu dicis, manifestũ est. SO. Cleophantum verò ipsum Themistoclis filium in his, in quibus pater sapiens erat, audistíne vnquam ex aliquo vel iuuene, vel sene, virum & bonum & sapientẽ fuisse? AM. Nunquam. SOC. An igitur censendũ est, Themistoclem his quidem, quæ diximus, filium suum instituisse, sed Sapientia, qua sapiens erat ipse nihilo meliorem quouis vicino fieri voluisse, si Virtus acquiri potuisset? AM. Haud simile verò. SOC. Huiusmodi quidem magister virtutis fuit is, quem tu nominasti. Sed de Aristide videamus: Hic Lysimachum educauit quidem, dedítque operam, vt omnium Atheniensium pulcherrimè his omnibus, quæ sunt in magistrorum facultate, erudiretur. sed virum tamen nemine meliorem fecit. Hunc enim ego & tu non solùm vidimus, sed etiam conuenimus. AMI. Verum. SOCR. Iam verò nosti Paralum, & Xanthippum, quorum

tu mihi alterum videris amauisse, sic à Pericle altos. & institutos fuisse, vt Athenienſium nemini in arte equitādi cederēt: in Musica præterea, aliisque certandi generibus, atque adeò aliis omnibus, quę tradātur arte, vt illi nō minus, quàm cæteri essent eruditi, ipsum vehementer elaborasse: viros autem bonos an fieri noluit pater? AMI. Fortasse fācti fuissent, ō Socrates, nisi mortem iuuenes obiissent. SOC. Tu iure quidem tuis amoribus succurris: sed Pericles tamen: si virtus parabilis fuisset, ipsēque bonos potuisset facere, multò potius illos in sua ipsius virtute sapientes, quàm in Musica, & certandi studio fecisset. Sed ea comparari non potest. Nam & Thucydides duos aluit filios, Melesiam, & Stephanum, pro quibus tu non ea posses dicere, quæ pro Periclis filiis modò dixisti. Horum enim & tu alterum nosti vsque ad senectutem, alterum verò etiam vltra peruenisse. Atque hos quidē pater cùm doceri vo luit, vt bene alia scirent, tum verò in primis: vt Athenięsium omnium pulcherrimè luctarentur. Illos enim, alterū quidē Xanthiæ, alterum verò Eudoro, erudiēdos tradidit. Ipsi porrò magistri tunc omnib. in arte luctandi excellere videbantur. AMI. Nōtū est, SOC. Videlicet igitur ille vnquā, vbi multū oportebat impendere, eos, qui docerent, impendere hæc filios doceri voluisset: vbi verò nihil impensæ erat faciendum in eum, qui viros faceret bonos, hoc illos non docuisset, si quidem tradi potuisset? AMI. Non mirum dicis. SOCR. At enim Thucydides fortasse ignobilis erat, nec multos vel ex ciuibus, vel ex sociis amicos habebat. Quin erat & ampla ex familia, & plurimum cum apud ciues, tum apud Græcos alios

poterat

poterat. Quare, si hoc ipsum potuisset acquiri, inuenisset ille profectò aliquē vel ex ciuibus vel ex peregrinis qui filios fecisset bonos, si per Reip. administrationem ipsi non licuisset. Sed enim virtus Amice, acquiri non potest. AMI. Ita est fortasse. SOC. At enim si virtus acquiri non potest, an boni natura nascuntur homines? Atque hoc ipsum hac ratione contemplantes, fortasse inueniemus. Die enim Súntne nobis notæ bonorum equorum naturæ? AMI. Sunt. SOC. Súntne igitur homines, qui teneant artem, qua bonorum equorum naturas cognoscant, atque adeò intelligant, qui sint equi & corpore ad cursum, & animo fortes, quique contrà ignaui? AMI. Sunt. SOC. Quæ igitur ars illa? Quod est illi nomen? AM. Equestris. SOC. Est & circa canes ars eodem modo, qua naturas canum bonas, & malas discernant? AMI. Est. SOCR. Quæ sit illa? AMI. Canina. SOC. Sed de auro, atque argento an idem dicendum, quòd sint probatores, qui, quod melius, quódque deterius sit, speculatione iudicent? AMI. Dicendum. SOC. Quosnam igitur illos vocas? AMI. Argentarios. SOC. Hi verò magistri, qui corporibus exercendis præsunt, nónne quum corporum naturas contemplantur, cognoscunt quæ sint ad ferendos labores aptæ, & quæ contrà ineptæ: animaduertúntque & senum, & iuuenum corpora, quæ laude digna sint, futura, atque in quibus ipsis sit futurū, vt opera omnia, quæ corporis sint, optimè faciant? AMI. Sunt hæc. SOC. Vtrum igitur Respub. maiori curæ sunt equi & canes boni, aliáq; huiusmodi, an viri boni? AM. Viri boni. SOC. Nónne igitur putas, an hominū naturæ ad virtutem essent bonæ, homines ipsos

vt eas cognoscerent, omnia excogitasse? AM. Puto, & consentaneum est. SOCRAT. Habésne igitur artem aliquam dicere, quæ sit in virorum bonorum naturis ostendens, quo pacto ipsas iudicare possimus? AMIC. Non habeo. SOCRAT. Et tamen ars illa plurimi facta fuisset, & qui illam caluissent. Nobis enim iuuenes ipsos, qui futuri fuissent boni, vel pueros adhuc indicassent: quos in arce nos non aliter, atque argentum, & multò etiam diligentius custodiendos curassemus, vt nihil mali neque in pugna, neque in alio quouis periculo paterentur: sed Reipub. deponerētur, seruatores, & benefici tunc futuri, quum ad ætatem peruenissent. Sed virtus neque natura, neque disciplina videtur hominibus adesse. AMIC. Quo igitur pacto, Socrates, boni tibi fieri vidētur? Si enim neque natura, neque disciplina fiunt, quonam tandem alio modo fiant boni? SOCRAT. Reor equidem hoc ipsum non ita facilè posse declarari: siquidem suspicor huiusce rei possessionem quiddam maximè diuinum esse, & bonos fieri similiter, atque diuini Vates, & Fatidici fiunt. Illi enim neque natura, neque arte tales fiunt, sed spiritu quo diuinitus afflantur. Sic & viri boni, Rebuspubl. euentura futuráque, ex afflatu quodam diuino multò clarius & manifestius, quàm fatidici, fæpe prædicunt. Hinc & fœminæ virum huiusmodi diuinum esse dicunt. Quin & Lacedæmonij quando aliquem magnificè laudare volunt virum illum diuinum appellant: quod ipsum & Homerus, & reliqui poetæ frequenter vsurpant. Quando igitur Deus alicui Reipublic. maximè vult prodesse, viros ei bonos ingenerat: quando verò obesse, eosdem, si

qui

qui sunt ex ea tollit. Sic videtur Virtus neque disciplina, neque natura comparari: sed his diuina sorte, qui illa præditi, sunt inesse.

DEMODOCVS,

VEL,

DE CONSVLTANDO

III.

TV me quidem iubes, ô Demodoce, consilij aliquid vobis hisce de rebus afferre, de quibus consulturi conueniſtis: sed mihi in mentem venit considerare, quid concilium vestrum, eorúmque, qui se vobis consilium posse dare putant, studium, atque suffragium, quod vnusquisque vestrûm ferre cogitat possint efficere. Hoc enim quo pacto non sit ridiculum, vos, si recte & perite hisce de rebus, de quibus consulturi conueniſtis, dare consilium non licet, consulturos de rebus conuenisse, de quibus dare consilium recte nõ liceat? Illud verò etiam qui non sit absurdum, conuenisse vos consulturos, si rectè quidem, & peritè huiuscemodi de rebus dare consilium liceat, sed nulla sit scientia, ex qua rectè quisquam de his dare consilium possit? Quòd si aliqua scientia sit qua liceat in his rectè consilium dare non necesse est, & aliquos esse, qui sciant his de rebus rectè consilium dare? Quum verò sint aliqui, qui sciant de his consilium dare, de quibus vos consulitis, non necesse est, vos etiam vel scire de his consilium dare, vel nescire: vel partim quidem ex vobis

scire, partim verò nescire? Si omnes igitur scitis, quid oportet vos amplius ad consulẽdum conuenire? vnusquisque enim vestrûm ad dandum consilium est idoneus. Sin omnes contrà nescitis, quomodo consultare potestis: vel quid vtilitatis hoc consilium afferre potest vobis, qui ne deliberare quidem possitis? Sed si ex vobis partim quidem sciunt, partim verò nesciunt, iique consilio egent, si fieri vtique potest, vt vir vnus prudens det imperitis consilium, poterit & vnus vobis, qui nescitis, consilium dare. An non idem qui sciunt, dant consilium omnes? Quare vos, hoc audito, decet hinc abire. Nunc tamen hoc non facitis, sed vultis multos ex his, qui consilium dent, audire. Non enim creditis eos, qui ad dandum consilium vobis aggrediuntur, ea nosse, de quibus dant consilium. Si enim credidissetis eos, qui dant consilium, nosse, vnum vobis audire satis fuisset. Vos igitur, vt eos, qui nesciũt, audiatis conuenire, tanquam aliquid quod operæpretium sit facturi sitis, qui fieri potest, vt non sit absurdum? Atque de vestro quidem consilio sic dubito: de illorum verò, qui vobis consilium dare posse putant, studio illud mihi dubium est. Nam si, qui iisdem de rebus dent consilium, non eadem respondeant, quo pacto pulchrè omnes dare consilium possint, quum non respondeant eadem, quæ respondet is, qui rectè dat consilium? Vel quomodo ineptum non sit eorum studium, qui inducũt animum his de rebus consilium dare, quarum sunt imperiti? Nam periti nunquam sibi ita constituent, vt consilium non recte dare velint. Sin eadem contrà respondeant, quid ipsos omneis oportet consilium dare? Vnus enim ipso-

ipsorũ,qui eadẽ respondeat, sufficere poterit. Quis igitur eos non rideat, qui cupiant ea facere,quæ nihil vtilitatis afferant? Neque igitur imperitorum studium possit non esse ineptum, quum sit huiusmodi:neque prudentes vnquam talia facienda suscipiant,quum sciant vel vnum quemuis ipsorum,qui consiliũ det, vt par est,id ipsum posse præstare. Quare ego nullam rationem excogitare possum,qua studium eorum,qui se vobis consilium dare posse putant,non ridiculum esse videatur. Quod verò ad suffragium quod ferre cogitatis, pertinet, id quidnam possit, vehementer animi pendeo. Nam vtrum eos,qui sciunt,vt consilium dent,decernitis? at non plus vno,neque aliter,atque aliter eadem de re consilium dabunt:quam ob rem de his vos suffragium ferre non oportebit. An imperitos, & eos, qui non,vt oportet, consilium dant, ad dandum consilium constituetis?at hi non magis, quàm furiosi consulendi sunt. Sed si neque de peritis,neque de imperitis sententiam feretis, quósnam ab initio ad dandum consiliũ idoneos esse iudicabitis? Quid verò prorsus conuenit alios vobis consiliũ dare,siquidẽ vos hæc potestis iudicare,quid vobis suffragia possint prodesse?vel quo pacto ridiculũ non sit, vos veluti consilio egentes, nec ad id inueniendũ idoneos conuenisse: postquã verò conuenieretis,existimare sententiam vobis esse ferendam, tanquam iudicare possitis? Non enim dicendum est, vos quidem singulos rudeis fuisse, sed,postquàm vnum in locũ conueniſtis,prudenteis factos esse:neque præterea vos priuatim quidem dubitasse,verùm simulatque huc veniſtis,non amplius dubitare sed idoneos es-

se factos ad ea perspicienda, quæ vobis facienda sunt: quum de nullo hæc didiceritis, neque vos ipsi inueneritis, quod est longè omnium difficilimum. Vos enim, nisi cognoscere possitis, quæ vobis facienda sint, nunquam de eo qui vobis consilium det, an id recte faciat, iudicare poteritis. Neque præterea vnus aliquis, qui vobis det consilium, dicet, se vos, quæ vobis facienda sint, ita docturum, vt & qui malè, & qui bene vobis consilium dent, iudicare possitis: atque idipsum tam breui, & tam multos, quum præsertim hoc illo nihilo minus difficile esse videatur. Quod si nec consilium, nec qui vobis consilium dant, vos ad iudicandum idoneos efficiunt, quid vobis opus est suffragiis? vel qui potius consilium vestrum suffragiis? & suffragia studio eorum, qui vobis consilium dant, non maximè repugnant? Nam consilium vestrum habetur, perinde quasi vos ad aliquid statuendum non sitis idonei, sed aliorum consilio egeatis: suffragia verò perinde feruntur, ac si vos non modò non egeatis consilio, sed etiam iudicare, & dare aliis consilium possitis. Deinde studium eorum, qui consilium dant, adest quidem, tanquam id facere sciant: sed à vobis suffragia feruntur, tanquam nesciant. Verùm si quis vos, qui suffragia fertis, & eum, qui vobis hisce de rebus, quas suffragio decernitis, consilium dederit, ita roget: an scitis id futurum, cuius causa facere ea cogitatis, quæ decreuistis non credo vos dicturos. Quid autem, si fuerit illud, cuius causa facere hæc cogitatis, nostis hoc vtile vobis fore? Neque vos hoc dicturos, neque eum, qui vobis dat consilium, puto. Siquis præterea de vobis ita quæratur: an esse quenquam omnium mor-

mortalium existimatis, qui horum aliquod vnum sciat? Neque vos hoc concessuros arbitror. Quum igitur illa, quæ in consultationem veniunt, sint eiusmodi, vt manifesta vobis esse non possint, quúmque ij qui suffragia ferunt, atque ij, qui consilium dant, sint imperiti, iure dicetis euenire, vt & nos non credamus, & ipsos sæpe earum rerum pœniteat, de quibus consulant, & de quibus suffragium ferant, quæ præstantissimis viris accidere consentaneum non est. Illi enim sciunt, qualia sint illa, de quibus consilium dant: nec ignorant quidem ea, quorum causa consilium dãt, his, qui ab ipsis persuasi sint, certa esse, futurúmque, vt neq. ipsos, neque eos, qui persuasi sint, vnquam pœniteat. His igitur ego de rebus existimabam dignum, eos, qui prudentes sint, consilium dare, non autem de his de quibus tu me dare consilium iubes. Ex illorum enim consultatione felicitas, ex horum verò nugis infelicitas nascitur. Interfui fortè, quum homo quidam amicum reprehenderet suum, propterea quod cuidam accusatori credebat, quum defensorem nondum, sed accusatorem ipsum duntaxat audisset. Dicebat itaque rem illum indignam facere, qui condemnaret hominem, cuius neque ipse res præsens vidisset, neque ex amicis, qui vidissent, quibúsque par esset de illo referentibus credere, audisset: quũ re audita quidem vtriusque causa, accusatori ita temere crederet: iustúmque esse ab illo nõ minus defensorem quàm accusatorem audiri prius, quàm absolueret, vel condemnaret. [a] Nam qui possit aliquis vel causam bene, vel homines probè iudicare, nisi prius vtrunque litigatorem audiuerit? Collatas enim rationes,

[a] *An Iudex possit rectè iudicare non auditis duobus litigantibus.*

& causas veluti purpuram,& aurum longè potius est iudicari.Cur enim Legislator iussisset vel tempus aduersariorum vtique dari,vel iudices iurare se æqualiter vtrãque partem audituros,nisi iustius meliúsque à iudicibus causas hoc modo iudicari posse existimassent? Tu verò mihi videris ne illud quidem,quod à multis dicitur,audisse. Quídnam?inquit. *Nunquam decernas,audis nisi tu prius ambos.* Hoc sanè quidem haud ita diuulgatum fuisset,nisi bene,atque, vt conuenit,homines dictum existimassent.Do tibi igitur,inquit,id consilij,vt tu nũquam posthac tam temere homines neque cõdemnes,neque absoluas. Alter igitur absurdũ sibi videri,respondit,siquidem,vno loquente, cognosci non posset,vtrum vera,an falsa diceret,duobus verò,posset: atque si ab eo quidẽ, qui vera dicat, discere homines non possent, ab eodem verò atque altero simul, qui mentiatur doceri possent:item si vnus quidem,qui rectè veráque dicat ostendere quæ dicat, non posset:duo verò,quorum alter mentiatur, & nihil rectè dicat,id possent indicare,quod qui rectè dicat,non posset Hic,inquit,hæreo. Atque illud præterea quo tandem pacto declarabant?vtrum tacentes,an loquentes? Nam si tacentes ostendent, neque alterum, neque vtrunque opus erit audire. Sin ambo loquentes ostendent ambóque confusè(volunt enim vtrunque separatim dicere)loquentur, quónã modo fieri poterit,vt ambo simul rem manifestent?Nam si demonstrabunt ambo simul, dicéntque tunc simul,nunquam hoc fieri sinẽt. Quare est reliquum (siquidem loquens ostendent)vt dicens vterque demonstret: & quando dicet vterque, tunc & vterque commonstrabit.

strabit. Quamobrem dicet hic quidem prius, sed ille posterius : & ostendet hic quidem prius, ille verò posterius. Proinde, si vicissim vterque idem monstrabit, quid oportebit præterea secundum audire? Ab eo enim, qui prius dixerit, iam res declarata fuerit. Accedit & illud, inquit. Si monstrabunt ambo, quo pacto non & eorum alter monstrabit? Ambo enim quemadmodum monstrabunt, quorum alter monstrare non possit? Sin vterque indicabit, manifestum est eum, qui prius dicet, & prius indicaturum. Quapropter, qui illum solum audiet qui fieri poterit, vt rem non cognoscat? Hos igitur ego audiēs, addubitabam, nec quid iudicarem, habebam. Alij quidem, qui præsentes erant, affirmabant, priorem vera dicere. Quæro igitur, si quid habes, quod hisce de rebus in medium proferas vtrum liceat, vno dicente, id cognoscere, quod dicat: an opus sit altero, qui respondeat, si futurum omnino sit, vt quis nosse possit, an rectè dicat: an potius necessarium non sit ambos audire? vel tu quid censes? Paulò antè quidem alterum accusabat, quòd argentum sibi neque commodare, neq; credere voluisset. Atque ille quidem, qui accusabatur, se defendebat : alius verò quidam ex his, qui præsentes erant, accusatorem ita rogauit: Vtrum hic quidem, qui tibi non credidit, nec commodauit, peccauit. Tu verò, qui non persuasisti, vt commodaret, non peccasti. Quid enim, dixit ille, peccauit. Vter, inquit, tibi videtur peccare? Isne qui est assecutus quę petebat, an is qui non est assecutus? Qui non est assecutus, dixit. Dicisne igitur te quidem non assecutum esse id quo vti cupiebas: istum verò, qui noluit impertire, id non esse assecutum? Dico,

respondit: sed quid ego peccaui, si mihi ille nō dedit? Si quidem, inquit, ab eo tu rogabas ea, quæ minus oportebat, quid esse potest causę, cur te non putes peccasse, iustúmque qui non dederit recte fecisse? Sin, quæ oportebat petebas & ea non es assecutus, qua ratione fieri potest, vt tu nō, vel necessariò peccaris? Fortasse, dixit peccaui: sed quî ille, qui mihi non credidit non peccauit? Nónne hoc, inquit, etiam dicis, te peccaturum non fuisse, si cum illo, vt conuenit, versatus esses? Dico Nunc cum illo nō, vt conuenit, versatus es. Videor, dixit. Si tibi igitur ille non, vt conuenit, versanti, morem non gessit, quid est, quam ob rem iuste illum accusare possis? Non possum dicere. Neque quòd male vtentibus commodandum nō sit, potes dicere? Imò possum, dixit, & quidem facilè. Sed quid inquit, qui non versantur, vt cōuenit, non malè vti tibi videntur? Mihi quidem, dixit, videntur. Quid igitur peccauit ille, si tibi malè vtenti non commodauit? Nihil respondit, vt videtur. Quare igitur homines hæc inter se criminantur: & his quidem, quibus ipsi non persuaserint, quia non paruerūt, irascuntur: se verò ipsi quòd non persuaserūt, minimè accusant? Tunc alius, qui præsens erat, Quum quis, inquit, aliquo bene vtatur, eíque magno vsui sit, vel ob id se posteà dignum fore existimans, quo ille pariter vti debeat, nec tamen id cōsequatur, qui non iure is indignari possit? Is certè, inquit, quem putat ille similiter ipso vti debere, vel ipso vti bene potest, vel non potest: & si quidem non potest, quánam via bene illum putat vsurum, qui non possit? Sin potest, cur homini tali non persuasit, vel potius quid afferri potest, quam ob ré,

qui

qui talia dicunt, dicere bene videantur? Sed hoc mehercule, inquit, vituperare oportet, vt is, aliíque amici, qui vituperantem audiant, ipso deinceps melius vtantur. Melius verò vti inquit, dignum esse nónne tibi hic rectè existimare videbatur? Videbatur, dixit. Quónam igitur modo, qui audiant hominem hæc vituperantem, melius vtentur? Nullo, dixit. Quare igitur hæc aliquis vituperat? Se inuenire nó posse respondit. Quidam arguebat hominis insciti, quòd citò, & quibuslibet hominibus aliquid dicentibus crederet. Ciuibus enim, & domesticis dicẽtib. credere æquũ esse: his verò hominibus, quos neque nosset, neque prius vnquam audisset, fidem adhibere, præsertim quum sciret plurimos ex hominibus esse fallaceis, & versutos, stultitiæ signum non paruũ esse dicebat. At quidam ex his, qui aderant, dixit: Ego verò putabam te eum esse, qui censeres multò pluris faciendũ esse eum, qui quidvis celeriter, quàm qui tardè perciperet. Etenim censeo, inquit ille. Quid igitur accusas, si celeriter, & quibuslibet vera dicentibus fidem habet? At hoc, ait, ego non accuso, sed quòd citò credit falsa dicentibus. Sed si longo pòst tempore & non quibuslibet credidisset, offendisséque, non illum magis accusasses? Prorsus, inquit. An propterea quòd tardè, nec quibuslibet credidisset? Haud sanè, inquit. Non enim puto, inquit ille, adduci te posse, vt existimes hominem dignum esse, qui propter hoc accusetur: sed quod his, qui res incredibileis dicunt, credat. Its sanè, inquit. An igitur arbitraris illum quidem indignum, qui accusetur, quum tardè, nec quibúslibet credit: dignum verò, quum citò, & quibuslibet credit? Non ergo, inquit. Quid igitur illum accusas? Quòd pec-

cat prius, quàm rem perpendat, celeriter, & quibuslibet credens. Sed si tardè credidisset prius, quàm consideraret, non peccasset? Sine dubio, inquit Quin ita nihilominus peccasset. Verùm ego non quibuslibet reor esse credendum. Si tu non quibuslibet putas credi oportere, ignotis vt conuenit celeriter fidem adhibere? Nónne prius arbitratis considerandum esse, an vera dicant? Arbitror equidem, dixit. Sed si domestici sint & familiares, non oportet examinare, an vera dicant? Ego equidem, inquit, dicerem oportere. Fortasse enim, & horum alicui dicũt non credenda. Et valde quidem, inquit. Cur igitur magis æquum sit domesticis, & familiaribus, quàm quibuslibet credere? Non possum, inquit dicere. Quid si magis domesticis, quàm quibusuis est credendũ, nõne ipsos fide minus indignos, quàm quoslibet oportet iudicare? Quidni? inquit. Si igitur his quidem sint domestici illis verò ignoti, quî fiet, vt non oporteat, eosdem iisdem magis fide dignos existimare? Æqualiter enim, eadémque fide dignos esse domesticos & ignotos tibi non placet affirmare. Mihi verò, inquit, non placet. Quæ verò similiter eodémque modo ab iisdem dicuntur ij quidem credent, illi verò minimè credibilia arbitrabuntur, & neutri errabunt? Absurdum esset & hoc, inquit. Deinde, si eadem dicunt domestici, & quilibet, quo pacto, quæ dicuntur, non sint credibilia similiter, vel incredibilia similiter? Necesse est, inquit. Dicentibus igitur eadem pariter credendum est, quum dicant eadem, Probabile est, inquit. Hæc igitur illi dum diceret, dubitabam ego, nec constituere poteram, quibus credere, & quibus non credere oporteret: atque

atque vtrum fide dignis, hisque, qui scirent ea, de quibus dicerent, an domesticis, & notis credendum esset. Tu verò hisce de rebus quid censes?

SISYPHVS,

VEL,

DE DELIBERANDO.

I I I I.

SOCRATES, ET SISYPHVS.

NOS verò SISYPHE, heri te & lõgo spatio ad Stratonici ostentationẽ expectauimus, vt nobiscũ virũ sapientẽ res multas, & pulchras, verbóq;, & opere ostentãtẽ audires: & postquã arbitrati sumus te amplius non esse venturũ, ipsi virum audiuimus. SI. Adesse mehercule non potui. Nam mihi negotium quoddam fuit magis quidem necessarium, quàm vt id negligere possem. Magistratus enim nostri consultabant heri, propterea quod me sibi autorem esse coëgerunt. Nobis autem Pharsalicis lex est, quæ iubet magistratibus parere, si quem velint ipsi sibi consilium dare. SOCRAT. At honestum est cùm legi parere, tum verò in primis à ciuibus suis bonum consiliarium existimari, quemadmodum & tu vnus è Pharsalicis existimatus fuisti. Sed ô Sisyphe (ego enim apud te orationem de benè deliberaudo habere non possem, mecum reputans ad id multo otio, & longa oratione opus esse) quid De-

liberare sit, tecum velim quærere. Potésne igitur mihi, ipsum Deliberare, non dico, vel bene, vel malè, vel honestè: sed ipsum tantummodo Deliberare quid sit, dicere? an tu potius, qui tam bonus consiliarius sis, id perfacilè potes, nullóque negotio facere vsqueadeò, vt ego nimis curiosè agã, qui hac de re te rogẽ? SIS. An deliberare quid sit, est tibi ignotum? SOCR. Mihi quidem Sisyphe, si quid aliud est, quàm quod is, qui nesciat ea, quorum aliquid facere oporteat, proponit, quasi vaticinans, & impromptò temeréque pronuntians, atque adeò, quicquid ad dicendum occurrit, ad ipsũ non aliter accommodans, quàm qui Par impar ludunt, qui, quum nesciant, pariáne sint an imparia, quæ manibus comprimuntur, fortuitò tamen enuntiant, atque de his vera dicunt. Sic igitur Deliberare sæpe id esse videtur, quòd is, qui nihil eorum sciat, de quibus aliquis deliberet, casu dicit. sed assequitur tamen, vt vera proferat. Si quidem igitur, huiusmodi est, intelligo iam, deliberare quid sit: sin huiusmodi non est, haud equidem scio, quid sit. SIS. Non est id profectò, quod in mediũ afferat is, qui sciat prorsus nihil: sed id quod referat is, qui rei partem iam tum sciat, partem verò nondum scire potuerit. SOCRA. An tu per Deos immortales deliberare tale quippiam esse dicis, quale sit, si quis (videor enim & ipse mihi quasi vaticinari, quæ tua sit de Deliberando sententia) quærat, détque operã, vt inueniat, quæ sibi optima sint factu, nec tamen adhuc manifestò sciat, sed id totum alteri inesse cogitet? nónne tu sic dicis? SIS. Dico equidem. SO. Vtra quærũt homines, quę sciũt, an quæ nesciunt? SIS. Vtraque. SOC. An igitur,

&

& hoc ita dicis, homines quærere vtraque, & quæ sciunt, & quæ nesciunt, simile esse, ac si quis, qui Callistratum cognoscat, sciátque, qui sit Callistratus, nesciat tamen vbi sit, quærat non ille quidem vt inueniat, qui sit Callistratus? Itáne verò dicis esse, quærere vtraque? S I S. Dico. S O C R. Illud igitur quidem certè non quærit, vt Callistratum cognoscat, qui iã pridem illum cognouit. S I. Nõ certè. SO. Sed vbi sit ille, quærit? S I. Mihi quidẽ videtur. SO. Quin hoc ne quæsisset quidẽ, vt, vbi esset ille, inueniret, si prius scisset, sed statim inuenisset. S I. Sanè. SO. Hæc ergo, quę sciũt, nõ quærunt homines, sed illa quæ nescũt, vt apparet. Quòd si tibi Sisyphe ratio hæc litigiosa videtur esse, nec propositæ rei, sed disputationis causa dici, debes cõsiderare, an ea tibi ita, vt nũc dicitur, habere videatur. An nescis hoc in Geometria fieri solere, vt Geometræ lineã, quæ διάμετρος dicitur, ignorent nõ illi quidẽ, vt διάμετρος sit nécne (neq; enim hoc ab illis quæritur) sed quàm longa sit, & quam proportionem habeat cum lateribus arearum, quas secet? nónne hoc est quod de illa quæritur? S I. Mihi sanè quidem videtur. S O C R. Et quod ignoratur, nónne? S I S. Prorsus. SO. Quid? quadrati illius, quod κύβος appellatur, duplum non nosti ob id à Geometris quæri vt quantum sit ratione inueniri possit: ab iisdem verò minimè quæri, cubus sit nécne, quòd id certò sciant? S I. Noui. S O C. Non nosti quoque de aere Anaxagoræ, Empedoclémque, & alios omneis, qui sublimia sunt scrutati, quæsisse, vtrum sit is, infinitus, an finem habeat? S I S. Noui hoc quoque. S O C R. Sed illud non quærebant illi, vtrum aer esset nécne.

SIS. Non certè. SOCR. Iámne igitur mihi concederes, cætera omnia ita habere, vt nullius hominum sit, quæ sciat, quærere: sed ea potius, quæ nesciat? SIS. Concederem sanè. SOC. At deliberare nobis nónne simile videbatur esse, ac si quis quærat, détque operam vt inueniat optima ex his, quæ facere sibi commodum putet? SI. Videbatur. SO. De rebus verò quærere idem erat, quod Deliberare, nónne? SIS. Erat profectò. SOCR. Nobis igitur iam nunc considerandum est, quid esse quærentibus impedimẽto possit ad ea, de quibus quærunt inuenienda. SI. Ita quidem mihi faciendum videtur. SOCRA. An igitur quippiam nos aliud, quàm insciti am impedimento esse dicemus? Summo itaque studio nos, omni rudente explicato, & omni voce (quod dicitur) missa, consideremus: atque hoc in primis tu nunc iam mecum expende. An cẽ ses fieri posse, vt is homo de musica deliberet, qui Musicæ sit imperitus, neque sciat, quo pacto sibi vel cithara canendũ sit, vel aliud quippiam, quod ad musicam pertineat, faciendum? SI. Haud equidem censeo. SO. Quid de re militari, vel nautica dicis? Tũne existimas eũ, qui harum neutram nouit, posse deliberare, vtrum sibi è duobus sit faciendum, militésne regendi sint, an gubernanda nauis, quum neque milites regere, neque nauem gubernare sciat? SI. Minimè. SO. An & de aliis omnibus idem iudicas, vt, quæ quis nescit, nunquam prorsus intelligat, neque fieri vnquam possit, vt, quæ quis nescit, de his deliberet? SI. Ego quidem iudico. SOC. At quærere de his, quæ quis nesciat, diximus nónne? SISY. Diximus sanè. SOCR. Quærere quidem non est amplius idem, quod

Delibe-

Deliberare. SIS. Quî? SOCRA. Quòd Quærere quidem in his est rebus, quas aliquis nesciat: Deliberare verò non videtur homini circa illa esse posse, quæ quis nesciat: nónne ita dictum est? SI. Dictum sanè. SO. Vos igitur heri quærebatis quidem, vt inueniretis, quæ Reipub. essent optima, sed ea ipsa nesciebatis. Nã si vos scissetis, eadem non quæsissetis amplius, quemadmodum eorum, quæ scimus, nihil quærimus: nónne ita est? SI. Ita est. SO. Vtrum igitur tibi Sisyphe faciendum videtur, si quis nesciat, quærendum, an discendum? SIS. Discendum mehercule. SOCRAT. Rectè quidem tibi videtur. Sed vtrum tibi propter hoc discendum potiùs quàm quærendum videtur: quòd citius, faciliúsque inuenire aliquis possit, si ab his, qui sciunt, discat, quàm si ipse imperitus quærat: an propter aliud? SI. Non, sed propter hoc. SOCR. Cur igitur vos heri, túque, & vrbis principes non, spreto consilio deliberandi de his, quæ nesciebatis, & quærendi, quæ Reip. essent optima factu, ab aliquo eorum, qui sciunt, discebatis, quánam vos ratione, quæ Reipublicæ essent optima facere possetis: sed (vt mihi quidem videtur) totum diem hesternum commiscentes, & de his, quæ nesciebatis, ariolantes, neglecto prorsus discẽdi studio, sedebatis? Hæc tu fortasse dices à me tibi disputationis solùm causa ioco dicta fuisse, non seriò demonstrata: sed tu illud, quæso, Sisyphe, nunc diligenter attende. Si concedatur, Deliberare quiddam esse, nec verum illud esse, quod nunc dicimus, ipsum nihil aliud esse videri, quàm scientiam, coniecturam, & commentum, quamuis nomó grauius, sed id tantum, nec aliud quicquam

præterea vsurparit: an putas homines in benè deliberando, séque bonos consiliarios exhibendo alios ab aliis aliquid differre, vt in aliis disciplinis omnibus alii ab aliis differunt, Fabri à Fabris, Medici à Medicis, Tibicinésque à Tibicinibus, atque alii omnes artifices ipsi inter se sunt dissimiles: vt, inquam, iidem in iisdem artibus differunt, an tu & in deliberando putas aliquid alios ab aliis differre? SIS. Ego verò puto. SOC. Dic mihi non omnes, quíque bene, quíque malè deliberant, de futuris deliberant? SIS. Maxime. SO. Quid hîc aliud dicamus, quàm futura nondum esse? SIS. Nihil aliud. SO. Nam si essent, non amplius essent futura, sed iam essent: nónne? SIS. Næ. SO. Si igitur nullo pacto sunt, eadem ratione neque facta sunt, quum non existant. SIS. Non hercle. SOC. Si ergo nondum facta sunt, nullam adhuc naturam, quæ propria ipsorum sit, habent. SISYP. Nullam prorsus. SOC. Nónne igitur omnes bene, vel malè deliberantes de rebus deliberant, quæ neque sint, neque fuerint, neque naturam vllam habeant, quando de futuris deliberant? SIS. Videntur quidem. SO. Videturne igitur fieri posse, vt aliquis id, quod nusquam sit, vel bene, vel malè consequatur? SIS. Qua ratione hoc dicis? SOC. Ego tibi exponam quod volo dicere, tu diligentiam adhibe. Ex multis sagittariis quo pacto cognoscas, quis sit peritus, quísue contrà imperitus? Atque hoc quidem haud difficile cognitu videtur esse. Fortasse enim iubeas illos σκοπὸν sagittis petere, nónne? SIS. Sanè quidem. SOCRA. Tu quidem igitur eum, qui sæpius ita sagittas mittat, vt rectè collineet, victorem decernas. SIS. Decernã profectò. SO.

Verùm

Verùm, si σκοπὸς nullus sit propositus in quē iugittas dirigant, sed vnusquisque, quò velit, iaciat, quónam tu modo possis cognoscere, qui bene vel malè iaculetur? SISY. Nullo. SOC. Ita quoque deliberantes vel bene, vel male, si nesciant, de quo deliberēt, discernere nescires. SI. Verum. SO. Verum certè: nam si de rebus futuris deliberant deliberantes, nónne de his quæ non sunt, deliberant? SI. Prorsus. SO. At fieri non potest, vt aliquis id, quod nusquam sit, assequatur. Nam qua ratione tibi aliquis, quod nusquam sit consequi posse videatur? SIS. Nulla. SOC. Postquàm igitur fieri non potest, vt quis, quod non sit, assequatur, nullus erit amplius, qui de his, quæ non sunt, deliberet: Fortuna enim in his, quæ non sunt, numeratur: nónne ita res habet? SIS. Mihi quidem videtur habere. SOCR. Nullus itaque, qui futura non consequatur, potest esse neque bonus, neque malus consiliarius. SIS. Non videtur. SOC. Quin neque alius alio melior consiliarius, neque peior esse poterit, nisi vel felicius id, quod non est, assequatur, vel ab eo infelicius aberret. SISY. Non poterit. SOC. Ad quid igitur respiciunt homines, quum quosdam homines bonos & malos consiliarios vocant? An hoc tibi Sisyphe dignum videtur esse, de quo etiam atque etiam cogitemus?

ERYXIAS,

VEL,

DE DIVITIIS,

V.

ALITER,

ERASISTRATVS, SOCRATES.

QVVM forte ergo. & Eryxias Stiriæus in porticu Iouis Liberatoris deambularemus, ad nos Critias, & Erasistratus Pheacus Erasistrati fratris filius venerunt: quorum Erasistratus, qui tunc recens ex Sicilia, illisque locis erat, propius accedens, dixit, Salue, ô Socrates. Et tu, inquam ego, salue: ecquid noui nobis ex Sicilia affers? an habes pulchri aliquid, quod nobis referas? Maximè: sed vultis, inquit, sedeamus? Adhuc enim sum de via fessus, heri Megaris profectus. Ita fiat, si videtur. Quid igitur, inquit, primum ex his, quæ illic sunt, vultis audire? vtrum quæ Siculi exerceant, an quo pacto illi erga Remp. nostram sint affecti? Nam mihi illi erga nos non aliter esse affecti videntur, quàm sint vespæ: quæ si leuiter irritatæ prouocentur, iuntinnictæ, donec eas aliquis aggressus funditus extinguat. Sic igitur & Syracusani sunt affecti. Nisi enim aliquis bellum & quidē ingens gesturus, eò cum maxima classe fuerit profectus, nunquam ciuitas illa in nostram ditionē, ac potestatem est ventura: sed potius paruis hisce classibus irritabitur ita, vt nobis

quàm

quàm molestissima sit futura. Nunc verò illi ad nos legatos miserunt, eo quidem (vt mihi videtur) consilio, vt nostram ciuitatem decipiant. Interea, dum nos ita colloqueremur, ipsi Syracusanorum legati casu aduenerunt. Quare nobis Erasistratus vnum illorum ostendens, dixit: Ille, ô Socrates, Siculorum omnium, & Italorum est ditissimus. Quî verò, inquit, non sit is ditissimus, cui sit ager ita amplus, vt multum possit, si velit, arare: ísque talis, qualis alius in tota Græcia non ita facilè reperiri posset: cuíque alia, quæ ad diuitias pertineut, sint sepaeatim, mancipia, equi, aurum, & argentum? Hunc ego videns eò adductum iam esse, vt plura de hominis opibus dicturus videretur, ita rogaui: Quid Erasistrate? Homo ille qualis tandem esse, in Sicilia videtur? Siculorum, inquit, omnium, & Italorum tantò nequissimus videtur esse, & est, quantò est & ditissimus: vsque adeò, vt si quẽ Siculorum roges, quémnam nequissimum, & ditissimum esse censeat: nemo alium, atque illum esse dicat. Hunc ego arbitratus non paruis de rebus verba facere, sed de his, quæ maximè videntur, virtute, & diuitiis, quæsiui, Vtrùm existimaret ditiorem esse hominẽ, cui duo sint argenti talenta, an cui sit ager, qui duobus talentis æstimetur. Cui sit ager, inquit existimo. Hac igitur, inquam ego, ratione, si cui sint pallia, vel stragulæ vestes, vel alia quæ pluris sint, quàm quæ illi sunt peregrino, sit & hic ditior. Ista quoque est assensus. Sed si tibi, inquam, aliquis horum daret optionem, vtrum velles? Quod plurimi est, inquit. Vtro te modo credens ditiorem fore? Hoc. Nunc vtique nobis, vt quisque, quæ plurimi sunt,

possidet, ita ditissimus habendus videtur. Videtur, inquit. Sani igitur, inquã ego, ægris sunt ditiores: siquidem sanitas pluris est, quàm sint ægri pecuniæ. Nullus est enim, qui non malit, parum quid argenti possidens, rectè valere, quàm Regis magni pecunias habens, ægrotare: manifestò videlicet indicans, sanitatem sibi pluris æstimari. Neque enim præponeret, nisi maiores esse illam pretij, quàm pecunias existimaret. Non sanè quidem. Si verò constet aliud quippiam esse, quod pluris sit, quàm sanitas, isne, qui id ipsum possideat, sit ditissimus? Sit sanè. Sed si iam nunc aliquis huc accedens, nos roget: ô Socrates, Eryxia, & Erasistrate, potestis mihi dicere, quid sit homini plurimi? an id est, cuius possessor optimè deliberet, qua ratione commodissimè & sua ipsius, & amicorum negotia conficiat? quid hoc esse dicemus? Mihi quidem, ô Socrates homini felicitas esse plurimi videtur. Nec malè quidem, inquam ego: sed eósne hominum felicissimos possumus existimare, qui quàm optimè faciant? Possumus, meo quidem iudicio. Nónne igitur illi optimè faciunt, qui minimum & in seipsis, & in alios homines peccant? quíque plurima rectè gerunt? Maximè quidem. Qui mala igitur, & bona sciunt, & quæ facienda, & quæ non facienda sunt, nónne ij possunt res rectissimè gerere: & minimũ peccare? Hæc quoque concessit. Nunc omnino iam nobis iidem videntur esse & sapientissimi viri, & qui optimè faciunt, & felicissimi, & ditissimi, si quidem sapientia esse plurimi videtur. Esto, inquit, excipiens Erasistratus: sed quæ vtilitas homini sit, ô Socrates, si Nestore quidem sit sapientior?

tior? quæ verò ad viuendum sunt necessaria, non habeat, cibos potus, & vestes, & si quid aliud est huiusmodi? Quid hîc sapientia prodesse possit? vel quonam tale pacto sit ditissimus, quem nihil mendicitate prohibeat, cuique nihil eorum, quæ sunt necessaria, suppeditetur? Hic magnum quid dicere videbatur: Sed, inquam, ego, nunquid is, qui sapientiam teneat, si horum sit indigens, hoc quod dicis, patiatur: si quis verò Pulytionis domum possideat, atque domus auri, & argenti sit plena, is rei nullius indigeat? At illum, inquit, nihil vetat quàm primum ita quidem disponere, vt pro his, quæ possideat, vel ea ipsa, quibus ad victum sit opus, habeat vel nummos, quibus eadem sibi possit comparare, atque adeò statim rebus omnibus abundare. Ita sit, inquam, si quidem contingat, vt sint homines, qui malint domum huiusmodi, quàm sapientiam illius habere: verùm si sint ij, qui pluris viri sapientiam, & quæ ab ea proficiscuntur, faciant, næ multò ille cõmodius poterit disponere, si cuius rei indigebit ob id, volet ipsam, & eius opera vendere: aut domus quidẽ vsus cùm multus est, & necessarius, tum cõmoda, quæ ad vitã pertinent, homini magna sunt, si in tali domo potius, quàm in parua, & vili casa habitet: sapientiæ verò vsus [haud ita magni faciendus, & parui referat, vtrum sapiens an imperitus sit quispiam in rebus maximis] quòd eam rem homines non modò nolint emere, sed etiam contemnant: cupressum verò, quæ domui sit ornamento, & pentelicos lapides multi quasi egentes & optent, & libenter emant. Si quis igitur sit peritus gubernator, neque medicinam, vel aliam

quampiam huiusmodi artem bene, & pulchrè possit pertractare, hic nulla ex his rebus, quæ maximè in diuitiis habentur, non erit pretiosior, vendibiliórque. Qui verò possit bene & ipse de se, & de altero deliberare, & constituere, quónam pacto optima faciat, hoc ipsum quum volet, vendere non poterit? Excipiens autem Eryxias, &, tanquam si iniuria affectus fuisset, iratus aspiciens: Tu, inquit ô Socrates, si te verum dicere oporteat, te Callia Hipponici filio ditiorem esse diceres. Siquidem te nulla in re è maximis te imperitiorem, sed sapientiorem esse confitearis, ob id tamen nihilò es ditior. Fortasse inquam ego, existimans hosce sermones, quos nunc conterimus, iocosos esse, quòd non verè putes ita, vt dicuntur habere: sed potius talis quibusdam persimileis esse, quos qui ferat, facile possit colluſores ita vincere, vt illi amplius non habeant, quid ad eos obiicere possint. Fortasse, inquam, & tu de diuitibus idem censes rem quidem ita, vt dicitur, non habere, sed sermones quosdam huiusce modi esse nihilò magis veros, quàm falsos, quos qui dicat homo, aduersarios ita circunscribat, vt persuadeat nobis, qui sint sapientissimi, eosdem etiam ditissimos esse, atque idipsum, quum mentiatur ipse, & illi vera dicat. Quin nihil fortè mirũ sit, hoc persimile esse, ac si duo de literis disputent, atq; alter quidem, S, alter verò, A, primam in Socrate literam esse contendat: vtrius sermo plus rationis habeat? eiúsne, qui A, dicat, an illius, qui S, principium esse velit? Tum verò ridens simul, & erubescens Eryxias, & eos, qui aderant perinde quasi ipse his, quæ dicta fuerant, non interfuisset, circun piciens: Ego, inquit, ô Socrates, non

tes, non arbitrabar oportere inter nos sermones eos haberi, quos qui dicat, neque sibiipse prodesse, neq; cuiquã ex his, qui præsẽtes sint, persuadere possit. Cui enim mortaliũ vnquam qui modò sapiat, persuaderi possit, qui sapientissimi sint, eosdem ditissimos esse? sed eos potius, quibus, quando de acquirendis diuitiis disserimus, ostendi possit, vnde id honestè fiat, & vtrum sit bonum, an malum. Sit sanè, inquam ego, vt dicis. Nos igitur posthac cautius agemus. Et mehercule tu benefacis, qui nos mones. Sed tu ipse, qui nouum inducis sermonem, quique ceoses ea, quæ prius dicta sunt, nihil ad rem pertinere, cur ad dicendum non aggrederis. Vtrum acquirere diuitias bonum, an malum esse videatur. Mihi quidem, inquit, acquirere diuitias esse bonum videtur. Volentem illum adhuc nescio quid dicere, ita Critias interpellans interrogauit: Dic mihi Eryxia, tũne diuitias acquirere esse bonum existimas? Insaniam profectò, inquit, si aliter existimẽ: quin opinor neminem esse, qui non idem affirmet. Opinor ego quoque inquit alter, neminem esse, quem inducere non possim, vt mecum sentiat, quibusdam hominibus malũ esse, diuitias acquirere. Quòd si bonũ prorsus esset, nunquã profectò malum esse aliquib nostrũ manifestò appareret. Tũc ego illis dixi. Si quidem vos de hoc dissentiretis, vter vestrũm de studio equitandi veriora diceret, hoc est, quónã pacto quis optimè equitet, atque ego huiusce rei peritus essem, rogarem vos, vt dissentioni finem imponeretis. Puderet enim me, nisi præsens pro mea virili vos à contentione prohiberem: vel si de alia quapiã re contendẽtes, inimici ex amicis facti

essetis abituri, nisi in eadem re consentireris. Nunc verò quū vos ea de re contendatis, qua rota in vita vti sit necesse, magnique referat, vtrum res ea vt vtilis, an vt inutilis curanda sit atque hæc non parua illa quidem, sed omnium maxima Græcis esse videantur: quippe quum patres hoc primùm filiis mandent suis, vt, quum primùm ad eam ætatē peruenerint, qua sibi intelligere videantur, iā tum circunspiciant, vnde diuites fieri possint: propterea quòd si quid habes, viges: sin nihil, iaces: quum hæc, inquam, tam valde expetantur, vos verò cætera quidem consentientes, hac de re tam magna disserepetis, præterea que de acquirendis diuitiis dissentiatis, nec vos quidem, vtrum acquirere diuitias nigrū sit, an album: nec vtrū leue sit, an graue, sed vtrū malum sit an bonū, & quidem ita, vt inimicitias inter vos susceperuri videamini, si perseueretis de malis, & bonis contendere, atque id ipsum, quum & amicissimi, & affines sitis. Ego igitur, quantum est in me, non negligerem, nec vos inter vos discordes esse permitterem, si ita possem dicere, quomodo res habet, vt vos à dissensione reuocarem. Nunc verò, quando id ego ipse præstare non possum, vestrúmque vterque putat se posse alterum inducere vt consentiat, paratus sum, quantum possim opitulari vt tandem inter vos quo pacto res habet, conueniat. Tu igitur, inquam, Critia aggredere, vt es professus facere, vt consentiamus. At libenter, inquit, hunc ego Eryxiam, quemadmodum cœpi, interrogarem; An ipsi homines iusti, & iniusti esse videātur. Videntur sanè, inquit, & quidem valdè. Quid autem iniustè agere? vtrum esse tibi maluo, an

an bonum videtur? Malum. Homo, qui proximorum vxores argento corrumpat, & stupret, atque idipsum contra mores ciuitatis, & leges, iniusténe tibi agere, an non videtur? Iniustè agere. Homo igitur, inquit, iniustus, & cupidus, si diues sit, & argentum possit impendere, facilè peccat: sin diues non sit, nec habeat vnde impendat, haud ita facilè potest, quæ cupit, perficere, ob idque minus peccat. Vnde fit, vt magis expediat homini non esse diuitem, si quidem minus efficiet, quæ cupit, quum præsertim flagitiosa cupiat. Ægrotare præterea vtrùm malum, an bonum esse diceres? Malum. Quid? videntúrne homines quidam esse intemperantes? Videntur. Si melius igitur si huic huiusmodi homini valetudinis causa cibo, & potu, cæterísq; rebus, qui suaues putantur, abstinere, atque hic propter intemperantiam non possit, vtibus omnino sit huic non esse, vnde hæc suppeditentur, quàm magnam rerum necessariarum abundantiã esse: sic enim ipsi nulla sit facultas peccandi, neque si maximè velit. Sic igitur bene, & pulchrè differere Critias videbatur. Quare Eryxias, nisi qui præsentes erant, esset veritus, nulla re prohiberi potuisset: quin surgens Critiam verberaret, adeò se magna quadam re priuatum existimabat, postquàm manifestò deprehendit, se prius de acquirendis diuitiis non rectè sensisse. Verùm ego, quum Eryxiam ita esse affectum cognouissem, cauens, ne maior aliqua obiurgatio, & contentio fieret: Hunc, inquam, sermonẽ Prodicus Ceus vir sapiens, quum paulò ante in Lyceo haberet, his qui aderãt, ita visus est nugari, vt nemo illorum induci potuerit, vt vera

illum dicere crederet. Quin accessit ad eum quidam admodum adolescens, & facetus, qui, quum propè sedisset, cœpit illum deridere, & illudere, & mox etiam excitare, volens ab eo rationem eorum quæ dicebat, accipere. Qua quidem in re multò plus laudis ille, quàm Prodicus, ab auditoribus est consecutus. An eum nobis sermonem, inquit, Eraſistratus, possis referre? Possim equidem, si memoria repetam. Iam res ita, vt arbitror, fuit. Illum adolescens interrogauit: quónam tandem modo, diuitias acquirere malum esse putaret, & bonum. Tunc ille respondens eodem, quo tu nunc modo, dixit, Honestis quidem viris, & bonis, hisque, qui vbi nummis vti oporteat, sciunt, bonum. improbis verò, & his qui nesciunt vti, malum. Res autem, inquit, etiam aliæ se sic habent. Quales enim sunt, qui vtuntur, tales etiam res ipsis sint, necesse est. Præclarè verò, inquit, mihi Archilochus illud videtur cecinisse.

* ἐρύματα. *sed fort. leg.* ἐρείσματα, *i.* πρόσφυγματα, *et interpret.* *Ita sentiunt habent velut munimina.*

prout se habent res in quas incidunt.

Nunc prorsus, inquit adolescens, si quis me sapientem ea sapientia faciat, qua viri boni sapientes sunt, necesse sit, vt ille mihi eodem tempore alias etiam res bonas tradat, in quibus tamen nihil habuerit negotij: propterea quòd ita me ex insipiente sapientē fecerit, vt si quis me nunc Grammaticū faceret, necesse esset, vt ille me simul res grammaticas doceret, & si musicam, musicas: atque etiam si quis me bonum fecerit, res mihi bonas vnà compararit, necesse est. In his quidem non cōsentiebat Prodicus, sed superiora illa affirmabat. Quare dixit ille: Vtrum tibi, quemadmodum facere

facere domum, hominis est opus, sic facere res bonas esse videtur: an necesse est qualia quæque ab initio sint, talia perpetuò manere? Sed Prodicus calidè (vt mihi videtur) suspicatus quò sibi sermo casurus esset, ne coram omnibus, qui intererant, refutatus videretur (nam si solus ipse id pateretur, nihil putasset) multum abesse respõdit, vt hoc sit hominis opus. Nam vtrum, inquit, tibi virtus tradi doctrina posse, an esse innata hominibus videtur? Doctrina tradi. Nónne igitur, inquit, is tibi stultus esse videatur, qui Diis supplicans, putet se Grammaticum, vel Musicum fieri posse, vel aliam quampiam scientiam adipisci, quum necesse sit vel ab alio discentem, vel per se inuenientem acquirere? Assensit adolescens, ac mox inquit, Tu Prodice, quando Diis, vt tibi bene agere liceat, vtque tibi bona sint, supplicas, tunc nihil aliud petis, quàm vt honestus, bonúsque fias, si quidem res honestis viris, & bonis sunt bonæ, improbis verò malæ. Quare, si quidem virtus acquiri potest, nihil aliud videris orare, quàm vt quæ nescias, docearis. Tunc ego dixi Prodico, videri ipsum non paruum facinus committere, si hac in re offenderet, si, quæ petimus, à Diis statim & illico fieri nobis putaret. Nam etsi, inquam sæpe in vrbem festinanter veniens, vota facis, & à Diis, vt tibi bona dent, petis, haud nosti tamen, an illi, quæ tu petis, dare possint: quemadmodum, si ad Grammatici ianuam proficiscens, roges, vt tibi Grammaticam scientiam tradat, quum nihil in ea re prius elaboraris, sed velis, illam statim discens, posse, quæ sunt Grammatici, præstare. Hæc quum dixissem, Prodicus in adolescentem est inuectus,

vt illum vlciſceretur, eadem quæ tu nunc demonſtrans, atque ægrè ferens, vanum videri, quod dixerat Diis ſupplicandum eſſe. Atque interea gymnaſio præfectus accedens, è gymnaſio illum abire iuſſit, tanquam ea, quæ non eſſent adoleſcentibus commoda, & ſi non commoda, incommoda videlicet, diſputaret. Hæc iam tibi ea cauſa percurri, vt cognoſcas quemadmodum homines erga Philoſophiam ſint animati ſiquidem Prodicus hæc dicens, his, qui aderant, ita viſus eſt inſanire, vt ex gymnaſio ſit eiectus. Tu verò contrà nunc ita bene videris diſputare, vt non ſolùm his præſentes ſunt, perſuadeas, ſed aduerſarium etiam tuum inducas, vt tecum ſentiat. Vt in foro, ſi duo homines eadem de re teſtimonium dicant, quorum alter honeſtus, & probus, alter verò improbus eſſe videatur, haud ſanè quidem iudices teſtimonio improbi moueantur, ſed quiduis potius & contrarium faciant: quod ſi is qui honeſtus, & probus videtur, hæc dicat eſſe etiam veriſſima, credant. Eo igitur fortaſsè modo, qui præſentes fuerunt, erga te & Prodicum ſunt affecti: atque illum quidem ſophiſten, & nimium ſibi arrogantem, te verò politicon, & virum magni faciendum exiſtimarunt. Vnde poſteà putant, non qualis ſit oratio, ſed quales ſint, qui eam dicunt, ſpectari oportere. Et ſi, inquit Eraſiſtratus, cauillaris, ô Socrates, mihi tamen Critias aliquid dicere videtur. Haud mehercle, inquam ego, cauillor. Sed cur vos vſq; ad hæc bene, & pulchrè diſſerendo perueniſtis, & reliqua ſermonis non perfeciſtis? Nam mihi videtur aliquid vobis adhuc ſupereſſe conſiderandum. Poſtquàm enim conceſſum eſt, diuitias

tias acquirere quibusdam bonum esse, quibusdam verò malum, reliquum est, vt, quid ipsum sit, consideretur. Nisi enim hoc primum nouerit is, nunquam de eo, vtrum malum sit, an bonum, consentire poteritis. Ego verò, quantū quidem possim, paratus sum tem vobiscum simul expendere. Quamobrem dicat is nobis, qui diuitias acquirere esse bonum existimat, quomodo id ipsum habeat. At ego, inquit, ô Socrates, hac de re nihil inauditum, nihil cæteris hominibus nouum proferam. Pecunias enim multas possidere, hoc esse diuitias acquirere, atque adeò diuitem esse dico: nec puto Critiam eum esse, qui diuitias acquirere aliud esse arbitretur. Ex hac quidem ratione, inquā ego, restat adhuc, vt animaduertatur, quales sint pecuniæ, ne paulò pòst iterum hac de re dissentiatis. Nam vobis quàm primùm diuersæ videbuntur, quum nummo huiusmodi Carthāginenses vtātur. [a] In pellicula nescio quid est ligatum, idq; tantum, quanta est vel maximi stateris amplitudo: id verò, quod illigatum est, nemo præter eos, qui faciūt, nouit eo deinde ita signato pro numismate vtuntur: & qui plurimos ex his nūmos habeat, hic plurimas etiā pecunias habere, & esse ditissimus videtur. Sed si quis apud nos plurimos huiuscemodi nummos possideat, nihilò magis sit diues, quàm si multos calculos ex his, qui sunt in montib. habeat. Lacedæmonij verò nūmo ex eo ferro, quod inutile sit, vtūtur: & qui magnum pondus huiusmodi ferri possideat, is esse dines videtur, quę res alibi nullius sit pretij. In Æthiopia autem lapidibus insculpris vtuntur, quibus nulla in re vir Laconicus vti posset. Verùm apud Scythas, qui Nomades dicuntur,

[a] *Varium apud diuersos populos numisma: ac proinde varium est iudicium apud singulos, qui sint diuites.*

si quis Pulitionis habeat domum, nihilo deterior esse videatur, quàm si apud nos Lycabettum possideat. Hinc planum fit, horum singula inter opes non esse numeranda, siquidem constat quosdam ex his, qui possideant, nihilò propter hoc ditiores esse. Verùm, inquam, horum singula quibusdam quidem sunt pecuniæ, & ij, qui hæc tenent, diuites: quibusdam verò neque pecuniæ, neque ij, qui possident, propter hoc ditiores: vt neque honesta, neque turpia sunt omnibus eadem, sed aliis alia. Quòd si velimus inquirere, quid sit tandem, quamobrem Scythis domus, quæ nobis pretiosæ sunt, inter diuitias non censeantur, & nobis contrà viliùs æstimentur vel pelles, quæ Carthaginiensibus sunt pecuniæ, vel ferrum, quo pro nummo Lacedæmonij vtuntur, nónne ita facilè, & statim inuenire possimus? Si quis Athenis eorum lapidum, qui sunt in foro, quibúsque nullam ad rem vtimur, mille pondo possideat, an is propter hoc re vlla ditior esse censeatur? non mihi quidem videtur. Sed si lapidis Lycnitæ mille pondo haberet, eum vel ditissimum esse diceremus. Prorsus. Propter hoc vtique, inquã, quòd hic vtilis, illi verò nobis inutiles sint. Sanè. Nã Scythis quoque ob id domus inter opes non habentur, quòd nulla illis in domo sit vtilitas. Nec sanè quidem vir Scytha pluris domum pulcherrimam, vestem ex caprinis pellibus, quæ σαύρα dicitur, æstimaret: quippe quòd in hac sibi multum, in illa nihil vtilitatis inesse putet. Nec nos quidem Carthaginensem nummum in pecuniis reponimus. Neque enim nos illo, vt argento, ea, quibus indigemus, importare aut exportare possumus. Quare nobis inutilis

sit,

sit, necesse est. Simile vero. Res quidem igitur, quæcunque nobis vsui sunt pecuniæ sunt dicendæ, ad vsus vitæ necessarios comparatæ: quæcunq; verò contra vsui non sunt, haud sanè pecuniæ sunt vocandæ. Quî fieri hoc potest, ô Socrates? inquit Eryxias excipiens: Nónne interdum nos disputatione, & offensione. multísque aliis huiusmodi rebus inter nos vtimur: an hæ quoque (nam manifestò vsui esse videntur) sunt nobis pecuniæ? Neque igitur, inquam, hac ratione nobis declaratũ est, quæ propriè sint pecuniæ. Quod enim necesse sit, eas vsui esse, si futuræ sint pecuniæ, hoc ex omnibus propemodũ concessum: sed quæ res ex his rebus, quib. vtimur, pecuniæ sint, quando non sunt omnes, nondum satis dictum. Quare age iam id primum videamus. An igitur facilius inueniri poterit, quod quærimus, si rursus ita persequamur, perquiramúsq; quid sit illud, ad quod pecuniis vtimur, & ad quid inuenta sit pecuniarũ possessio, vt Medicinæ ad morbos depellendos inuentæ? Sic enim fortasse nobis res facilius manifesta fiet. Postquàm igitur apparet necessarium esse, res quidem omnes, quæ pecuniæ sint, eas etiã vsui esse, rerũ verò, quæ vsui sunt, genus esse quoddam res eas, quas pecunias appellamus: videtur reliquum esse, vt perspiciamus, quanam potissimum in re vsui sunt pecuniæ. Omnes enim res, quibus ad aliquod opus vtimur, æquè sunt vsui, vt omnia quæ habent animam, sunt animalia, sed animalium quoddã genus Hominem vocamus. Si quis iam nos roget, Quánam re à nobis remota, neque Medicina, neque illius instrumentis indigeremus: possimus dicere, Si morbi è corporibus

Pecuniæ quid.

Genus hîc pro specie.

remouerentur, & nunquam gignerentur omnino: vel si gignerentur quidem, sed statim tamen abirent. Est enim Medicina, vt videtur, scientia, quæ nobis ad depellendos morbos est vsui. Sin iterum nos roget. Quare nobis ablata, pecuniis non egeremus, an possimus dicere? Quòd si dicere non possumus, rursus ita consideremus: Age, si possit homo sine cibo, & potu ita viuere, vt nunquam esuriat, neque sitiat, interdum ne vel his ipsis, vel argento, vel alia quapiam re indigeat, vt eos sibi comparet? Haud mihi sanè videtur. Idem igitur, inquam, & in aliis rebus fieret, si ad corporis curam his rebus non egeremus, quibus nunc egentes sumus, & calore & frigore interdum, aliisque rebus, quibus corpus, quum gignatur egens, egeat necesse est. Nam quæ vocantur pecuniæ, non essent nobis vsui, si prorsus homo nullius earum rerum indigeret, quarum causa pecunias, habere cupimus, vt corporis cupiditatibus, & necessitatibus ea, quorum frequenter indigemus, suppeditare possimus. Sin eget homo, his vtique pecuniarum possessio est vsui ad corporis curam, qui sunt egentes. Verùm si hoc è medio, vt dicimus, pelleretur, pecuniis non egeremus, atque etiam fortasse nõ essent omnino pecuniæ. Apparet. Apparet quoque, vt videtur, res, quæ ad idem negotium sint vtiles, eas nobis pecunias esse. At hæc illum ratiuncula vehementer perturbauit. Quare ego: Quid? num dicere possumus, fieri posse, vt eadem res ad eãdem actionem vtilis modò, modò sit inutilis? Non ego, inquit, dicerem: sed si rei alicuius ad eandem actionem indigemus ea mihi vtilis videtur: si verò non indigemus, inutilis. Si quidem igitur, inquam,

sine

ſine igne poſſemus æneam ſtatuam facere, nihil ignis ad eam faciendam indigeremus: & ſi nihil indigeremus, neque is eſſet vtilis: atque eadem ratio de aliis quoque rebus dici poteſt. Conſtat. Nihil igitur eorum ſine quibus aliquid fieri poteſt, ad id vtile eſſe nobis videtur. Nihil. Si nos igitur ſine argento, & auro, aliiſque huiuſmodi rebus, quibus ipſis ad corporis curam non ita, vt cibo, potu, veſtibus, ſtragulis, & domibus vtimur, poſſemus corporis cupiditates, & neceſſitates ita ſedare, vt nullius rei amplius indigerent, neque argentum nobis, neque aurum, neque aliæ res huiuſmodi, quod ad hoc pertinet, pecuniæ viderentur, ſi quidem hoc ſine his fieri poſſet. Non viderentur. Hæc vtique inquam, ſi non ſint vſui, pecuniæ nobis videri non poſſunt: ſed illa pecuniæ ſint neceſſe eſt, quibus ea, quę ſunt vſui, poſſumus comparare. Nunquam, inquit, ô Socrates, adduci poſſem vt crederem, aurum, & argentum, atque alia id genus nobis pecunias non eſſe: illud quidem certè valde perſuaſum habeo, quæ nobis inutilia ſint, ea nec pecunias: contrà que, quæ ſint vtilia, in his pecuniis, quæ maximè profint, numerari oportere, at hoc mihi nunquam patiar perſuaderi, hæc, quæ modò diximus, non eſſe ad vitæ vſus nobis vtilia, ſi quidem his ea, quę ſunt ad viuendum neceſſaria, comparamus. Age iam, quid hiſce de rebus dicemus? Súntne homines, qui Muſicam vel literas doceant, vel aliam quampiam ſcientiam tradant, quíque ex his rebus mercedem exigentes, ſibi ea, quæ ſunt ad vitam neceſſaria, parent? Sunt. Nónne homines ipſi ſcientia ſibi res neceſſarias comparant, his illam ſimiliter, atque nos aurum & argentum,

permutantes? Ita censeo. Siquidem igitur hoc ipso ea sibi parant, quibus ad vitam vtantur, & hoc ipsum ad vitam vtile sit, necesse est. Nam & argentum ea causa esse vtile diximus, quòd eo res ad vitam necessarias comparare possimus. Diximus. Quandoquidem igitur scientiæ ipsę vtiles nobis ad hoc videntur, quòd propter eandem causam, propter quam aurum, & argentum, pecuniæ sint, manifestum est, qui eas teneant, eos quoque ditiores esse: etsi paulò antè eos ditissimos esse non ita facilè permittebamus. Quin ex eo, quod nunc cõcessum est, necesse est sequi, vt qui scientia magis sunt præditi, interdum quoque sint ditiores. Nam si quis nos roget, an cuilibet homini equum esse vtilem putemus: Túne id, an hoc potius dicas, his quidem, qui sciant, quo pacto equo vti oporteat, vtilem esse, his verò, qui nesciãt, inutilem? Hoc dicam. Eadem quoque, inquam, ratione dicas, Medicinam non cuilibet homini, sed illi vtilem esse qui norit quomodo ea vti oporteat. Dicam. Nónne idem quoque de rebus aliis & quidem omnibus dicendum videtur? Verùm. Aurum, & argẽtum, atque aliud quæ pecuniæ videntur esse, nónne illi soli sint vtilia, qui sciat, vt his sit vtendum? Sint. At paulò antè nónne viri honesti, vt boni esse videbatur, cognoscere, vbi, & quo pacto horum singulis sit vtendum? Videatur. Honestis igitur viris, & bonis atque adeò his solis hæc vtilia sint necesse est, si quidem prorsus his scienter vtendum est. [a] Quòd si his solis vtilia sunt, his quoque solis esse pecuniæ videantur, oportebit: Idcircò, vt videtur, eum, qui sit artis equitandi imperitus, sed possideat equos ob id sibi inutiles, si quis ipsum eius artis peritum fa-

[a] *Viri boni & sapientes soli diuites, quia norunt opib. vti vbi oportet, & quantum oportet.*

faciat, faciat quoque simul & ditiorem: si quidem ea, quæ prius erant inutilia, ipsi vtilia faciat. Scientiam enim aliquam homini tradens, ipsum simul & diuitem facit. Videor mihi tamen iurare posse, de Critia ipsum nullo pacto adduci, vt rationes hasce veras esse credat. Iures inquit licet: nam insaniem prorsus, si vera hæc esse crederem. Sed tu quamobrem rationem illam non absoluisti: aurum & argentum, atque alia id genus, quamuis videantur, pecunias tamen non esse, vt ego sermones hosce audiens, & quos tu nunc percurris multò magis admirer? Dixi igitur ego. Videris mihi Critia, me audiens non secus, quàm quum recitatores, qui versus Homeri canunt, audis, gaudio affici, quando nulla tibi horum rationum videtur esse vera. Age tamen, talia, aurum dico, & argentum, & reliqua consideremus. Hæc ne tu architectis vtilia esse ad ædificandam domum diceres? Dicerem profectò. Vtrum igitur hæc dicemus vtilia esse, quibus illi ad domus ædificationem vtuntur, lapides, lateres, ligna & si quid aliud est huiusmodi: an instrumenta etiam, quibus illi domum ædificent, quibúsque hæc, ligna, lapides & horum præterea instrumenta parent? Hæc quidem, inquit, omnia mihi ad illa videntur esse vtilia. Nónne igitur inquam ego, & in aliis artificiis vtilia sunt non solùm hæc, quibus ad vnumquodque opus vtimur, sed illa etiam quibus hæc comparamus, & sine quibus hæc fieri non possunt? Sunt sanè quidem. Nónne rursus illa quoque, quibus hæc, & si quid superius est, & quibus præterea illa & multò etiam superiora paramus: vt hæc omnia in infinitum quendam numerum cadentia, ad ipsorum ar-

tificium vtilia videri neceſſe ſit? Nihil inquit, & hæc ita habere prohibet. Quid? Si homini adſint cibi, potus, veſtes, & alia, quibus ad corpus vtatur, an indigeat auro, vel argento, vel alio aliquo ex his, quibus illa, quæ iam illi adſint acquiruntur? Mihi quidem non videtur. Iam conſtat nobis hominem interdum nullo ex his ad corporis neceſſitatem indigere? Conſtat. Siquidem igitur hæc inutilia ad idem opus appareant, nónne ſit neceſſe contrà nunquàm vtilia videri? Eſt enim ſuppoſitum, fieri non poſſe, vt eadem ad idem opus modò vtilia, modò ſint inutilia. Atqui inquit, hæc tibi, & mihi conſtet ita ratio, ſi quidem eadem ad idem aliquando ſint vtilia, nunquã contrà accidere poſſe, vt ſint inutilia. nunc autem præterea aliquas malarum rerum actiones, aliquas verò bonarum eſſe dicerem. An igitur fieri poteſt, vt res mala ad alicuius rei bonæ actionem ſit vtilis? Fieri non poteſt, vt mihi videtur. Res verò bonas nónne haſce dicimus eſſe, quas homo per virtutem facit? Dicimus. An fieri poteſt, vt homo diſcat aliquid horum quæ ſermone traduntur, ſi prorſus auditu, vel alio quopiam cenſu ſit priuatus? Haud hercle mihi videtur. Nónne igitur apparet auditum nobis ad virtutem vtilem eſſe, ſiquidem virtus auditu acquiritur, eóque nos ad diſciplinas vtimur? Apparet. Si Medicina poteſt ægrotum morbo liberare, an interdum nobis & Medicina vtilis ad virtutem videatur, ſi quidem auditus ſæpe per Medicinam recuperatur? Nihil prohibet. An præterea, ſi & Medicinam pecuniis acquiramus, nobis & pecuniæ vtiles ad virtutem videantur? Videantur. An idem quoque de eo dicendum eſt, quo pecu-

niis

nias acquirimus? De omnibus his idem est prorsus dicendum. An igitur homo tibi videtur ex rebus malisque, & turpibus argentū sibi comparare, quo Medicinæ scientiam adipiscatur, quóue possit, quum prius non posset, audire: illo verò ipso ad virtutem, vel ad alia quædam huiusmodi vti posse? Mihi sanè quidem videtur. Non igitur res mala ad virtutem sit vtilis? Non sit. Quòd vtique necesse non sit ea, per quæ vtilia ad singula acquirimus, & ipsa ad illa eadem vtilia esse. Res enim malæ interdum ad aliquid boni sic vtiles esse viderentur. Sed in hoc etiam magis deprehendentur. Nam si hæc ad singula vtilia sunt, sine quibus illa non fiant, nisi prius hæc adsint, age, vide, quid huiuscemodi de rebus dicas. An heri posse dicas, vt insscitia ad scientiam sit vtilis, vel morbus ad sanitatem, vel vitiositas ad virtutem? Haud equidem dicam. At hoc tamen nos affirmamus, illi scientiam inesse nō posse, cui prius insscitia non affuerit: nec sanitatem cui morbus: neque virtutem, cui vitiositas. Ita est, inquit, vt mihi videtur. Nónne sequi necessariò videtur, vt ea, sine quibus aliquid fieri non possit, & ipsa ad id vtilia sint? Nobis enim insscitia ad scientiam, & morbus ad sanitatem & vitiositas ad virtutem vtilis ita videri possit. His ille rationibus nullam prorsus fidem habebat, si non hæc omnia vtilia essent. Verum egō cognoscens ei persuadere idem esse, ac lapidem, quod dicitur, elixare, sed hosce, inquam, sermones mittamus, postquam nec consentire, nec affirmare possumus, vtrum hæc vtilia, & pecuniæ sint néne. De illo verò quid dicemus? Vtrum feliciorem, & potentiorem existimamus hominem

esse, si quàm plurimis ad vestitum, & victum rebus necessariis, an si quàm minimis, & quàm pauciſſimis indigeat? Hoc verò fortasse sic optimè spectari possit: si quis hominem in ipso homine contemplans, considerat, vter status sit potior, quando is ægrotat, an quando valet. Ad hoc, inquit, multa contemplatione non eget. Fortasse enim, inquam ego, quiuis homo id, quod in promptu est, intelligat, hominis valentis statum longè meliorem esse, quàm ægrotantis. Sed vtrum pluribus, & magis variis rebus egemus, quando ægrotamus, an quando valemus? Quando nos ipsi nobis ipsis peius sumus affecti, nónne tunc in nobis cupiditates, & indigentiæ, quod ad corporis voluptates attinet, & vehementiores sunt, & plures? Sunt. Idem quoque, si duo sint, est dicendum. Vt enim homo vnus ipse se ipso tunc melius habere videtur, quando minimis rebus indiget: sic quoque fiet, si duo sint homines, atque hic quidem pauca nec vehementer cupiat, neque his multum egeat: ille verò multa & valde desideret, eorúmque indigeat: qualia sunt illa, quæ exercent aleatores, vinolenti, & helluones, quæ quidem omnia nihil aliud sunt, quàm cupiditates. Nihil Cupiditates porrò omnes nihil aliud sunt, quàm rerum quarundam indigentiæ. Homines igitur, qui plurimis ex his sunt affecti, in peiori statu sunt, quàm qui nullis, vel quàm pauciſſimis affecti sunt. Sanè quidem. Huiuscemodi igitur homines esse vel valde malos existimo, & quantò magis sunt huiusmodi, tantò peiores. Nónne igitur nobis videtur, fieri non posse, vt hæc nobis ad hoc sint vtilia nisi & nos his ad hoc indigeamus? Ita censeo. Necessarium est vtique, si qui-

si quidem nobis ad corporis curam in his, quibus opus est, vtilia sint futura, & nos his ad hoc simul indigere. Mihi sanè videtur. Nónne igitur eum, qui plurima ad hoc sint vtilia, & ipsum plurimis indigere constat, si quidem necesse est omnibus his, quæ vtilia sunt, indigere? Constat, vt ego iudico. Necessarium quoque ex hac ratione esse constat, eos quibus multæ sint pecuniæ, & ipsos ad corporis curam multis rebus necessariis indigere. Nam quæ sunt ad hoc vtilia, esse pecunias nobis apparuit. Quare necesse est, vt nobis ditissimi, quando plurimis rebus egeant, pessimè affecti esse videantur.

DEFINITIONES.

VI.

AEternitas est, quæ per omne tempus antè fuit, nec in præsentia finitur. Deus, animal immortale ad beatè viuendum seipso contentum: vis sempiterna, naturæ boni causa. Ortus, motio ad eam naturam, quæ γένεσις dicitur: naturę adeptio: adsit esse, profectio. Sol, cælestis ignis, qui solùm ab ortu vsque ad occasum idem videri potest: animal æternum, & animatum: astrum maximum de die lucens. Tempus solis motus: mensura cœlestis conuersionis. Dies, solis ab oriente ad occidentem iter. Lux, id quod nocti est contrarium. Aurora, diei principium: prima lux à sole proficiscens. Meridies, tempus, in quo corporum vmbræ sunt minimæ. Occasus, diei finis. Nox tenebræ, diei contrariæ: so-

lis priuatio. Fortuna ex incerto ad incertum transitus,& felicis actionis fortuita causa. Senectus,animati defectio à tempore facta. Spiritus,aeris circum terram motus. Aer,elementum,cuius omnes motus in loco facti,secundū naturam sunt. Cælum,corpus omnia,quæ sensu percipiuntur,præter ipsum aerem summū, complectens. Animus,id quod seipsum mouet:causa motus vitalis animalium. Potentia, id quod per sese facit. Aspectus,habitus corpora discernens. Os,medulla calore concreta. Elementum, id quod componit, & composita dissoluit. Virtus affectio animi, vel optimus mortalis animalis habitus sponte sua laudabilis:habitus, quem qui tenet, bonus dicitur. Communitas, legum iusta dispositio, quam quodcunque est adeptum, si modò sit optimè affectum,honestum appellatur: habitus bonas legum lationes efficiens. Prudentia, vis, quæ per se homini felicitatem comparat: scientia rerum bonarum,& malarum:scientia, quę dat felicitatem,habitus, quo iudicamus, quid faciendum sit,& quid fugiendum. Iustitia,animi in seipso concordia & in ipsius animi partibus inter se, & secum ordinis conseruatio: habitus suam cuique tribuens dignitatem:habitus,quem qui consecutus est,eligit, facitque libenter ea,quæ iusta sibi videntur:habitus in vita legi parens:æquitas communicans: habitus rectis legibus obediens. Temperantia,animi moderatio ad eas cupiditates, & voluptates,quæ in ipso natura fiunt, moderandas accommodata:congruens modus, & rectus animi ordo ad naturales voluptatis, & dolores sedandos:concentus animi quidam, & consensus ad imperandum, & parendum: actio sua

sponte

sponte naturę congruenter agens: ordo rectus animi: animi quasi sermo de rebus honestis, & turpibus ratiocinans: habitus, quo qui præditus est, eligit, quæ sunt eligenda, & cauet quæ sunt cauenda. Fortitudo, habitus animi, qui nullo metu moueri potest: magnanimitas bellica: rerum bellicarum scientia: constantia, & firmitas animi in his rebus, quæ formidolosæ, grauésque sunt, obeundis: fidentia prudentiæ obtēperans: præstans animi robur in mortis expectatione: habitus rectas cogitationes in periculis conseruans: robur periculo par: robur constanter ad virtutem tendens: tranquillitas animi in his rebus, quæ graues, horribiléque iure videntur: incertarum opinionum de rebus aduersis liberatio, & belli experientia: habitus stabilis legi parens. Constantia vis dolorem sustinens: rectæ rationis comes: vis inuicta eius, quod recta cogitatione comprehensum est. Beatitudo, perfectio possessionis bonorum: habitus, quem qui habent, ipsi sibi ipsis imperant. Æquitas, rerum iustarum, & vtilium diminutio: in commerciis moderatio: ordo rectus animi ratione vtentis ad honesta, & turpia. Tolerantia, perpessio malorum propter honestatem: habitus perferendi labores honestatis causa. Confidentia, nullius mali expectatio: firmitas in malo præsenti. Indolentia, habitus, qui prohibet, ne nos in mœrores delabamur. Studium laborandi, habitus id, quod prius faciendum sumpseris, perficiés: perpessio voluntaria: habitus laborem nunquam reprehendens. Pudor, audaciæ cessio voluntaria, iustè ei, quod optimum videtur, locum dans, optimi quod voluntarium est apprehensio: iustæ reprehensionis vitatio. Libertas, vitæ principatus: summa in seipso

cuiuslibet rei potestas: in vnoquoque sita potestas viuendi, vt velit: libera facultas opibus vsus & possessione fruendi. Liberalitas, habitus ad pecuniam quærendam vt oportet: acceſſio, vel possessio diuitiarum iusta. Mansuetudo, sedatio motus, qui ab ira solet excitari: temperatio animi moderata. Venustas, cessio voluntaria ad id, quod optimum videtur. modestia in corporis motu. Felicitas, bonum ex omnibus bonis compositum: vis ad bene viuendum se ipsa contenta: profectio à virtute profecta: auxilium animalis per se satis idoneum: Magnificentia, amplitudo à grauissima mentis agitatione, & propositione profecta. Solertia, bona indoles animi, quam qui habet, solers est ad id omne, quod opus sit, excogitandum: acumen mentis. Probitas, morum cum beneficentia integritas: morum ardens, studium. Honestas, habitus, quem qui habet cupidè & libenter, quæ honesta sunt, facit. Magnitudo animi, vsus in his, quæ accidunt, ciuilis: magnificentia animi cum ratione. Humanitas, morum habitus ad hominis amicitiam valdè propensus: habitus in homines beneficia conferens. Pietas, iustitia erga Deos: virtus Deos colens: voluntaria religionis Deorũ susceptio: recta cultus Deorum scientia: bonũ, quod sua ipsius causa appetitur. Securitas, habitus nos à timore prohibens. Vacuitas perturbationum, habitus id agens ne nos in perturbationes incidamus. Pax, hostilium contentionum quies. Desidia, otium animi: impetus animi vacuitas. Solertia, habitus, quem qui habet, idoneus est ad proprium finem coniectura consequendum. Amicitia, de rebus honestis, & iustis voluntatũm consensio: electio

vitæ

vitæ eiusdem considerata: de eligendo, & faciendo opinionum consensus: voluntatum ad vitæ communitatem cum benevolentia coniunctio: dandi, & accipiendi beneficij communitas. Generositas, generosi moris virtus: animi ad rationes, & actiones facilis inductio. Electio, recta comprobatio. Benevolentia, electio: complexus hominem cum homine copulans. Cognatio, eiusdem generis cõmunio. Concordia rerum omnium, quæ verè sint, communitas: sententiarum, & opinionum quasi concentus. Comitas, demonstratio perfecta. Ciuilis scientia, rerum honestarum, & vtilium scientia: scientia iustitiam in ciuitate constituens. Sodalitas, amicitia inter æquales consuetudine conciliata. Consilium bonum, vis cogitationis innata. Fides, opinio recta, rem ita, vt ipsi videtur, habere: certa veri comprehensio. Veritas, habitus, qui in affirmatione, & negatione versatur: rerum verarũ scientia. Voluntas, desiderium recta cum ratione: appetitio rationi cõsentanea, appetitio naturalis cum ratione. Consilij datio, admonitio ante actionem, alteri præscribens, quo modo agere oporteat. Occasio, temporis præscriptio, in quo pati, vel agere oporteat. Cautio, mali declinatio: cura conseruandi sui. Ordo, actionis rerum omnium, quæ inter se connectuntur, similitudo: communitatis proportio: rerũ omnium, quæ inter se comparantur, causa: proportio ad discendum accommodata. Attentio, animi ad perdiscendum contentio. Indoles bona, discendi celeritas: procreatio naturæ bonæ: virtus naturalis. Docilitas, indoles animi ad discendi celeritatem. Iudicium, euentus rei, de qua ambigebatur, ratus. Lex, de

rebus iustis, vel iniustis disceptatio. Legum recta institutio, in legibus honestis obtemperatio. Lætitia, ex temperantis operibus, gaudium. Honor, bonorum, quæ in virtutis actionibus dantur, donatio: dignitas ex virtute cõparata: grauitatis species: autoritatis conseruatio. Alacritas, voluntatis ad agendum propensæ significatio. Gratia, beneficentia voluntaria: officij boni in tempore remuneratio. Concordia imperantium, & parentium opinio, imperandum, & parendum esse. Respublica, multitudinis hominum communitas seipsa ad bene viuendum contenta: cõmunitas multitudinis legibus constituta. Prouidentia, ad quædam futura præparatio. Consilium, de rebus futuris, vt expedit consideratio. Victoria, vis in certamine superans. Perspicientia, facultas eius, quod cogitatur, assequendi. Donum, gratiæ commercium. Maturitas, ad rem vtilem temporis occasio: tempus ad aliquid boni cõficiendum simul adiuuans. Memoria, affectio animi veritatem, quæ in ipso est, custodiens. Consideratio, cogitationis contentio. Intelligentia, scientiæ principium. Castimonia, viciorum, quæ Deos offendunt, cautio: cultus Deorum cura naturalis. Vaticinatio, scientia sine demonstratione, quid agendum sit, antè significans. Diuinatio, scientia id, quoad adest, & quod euenturum est animali mortali perspiciens: Sapientia, scientia non supposita: rerum diuinarum scientia: scientia rerum causam cõtemplans. Philosophia, scientiæ rerum diuinarum appetitio: veritatis quo pacto veritas sit, contemplatio: cura animi cum recta ratione. Scientia, animi perceptio, quæ ratione refelli non potest: vis aliquid, aliquáve

ita

ita suscipiens, vt nullo modo possit dimittere: ratio vera in cogitatione immutabilis. Opinio, suspicio, quæ ratione confutari potest: ratiocinandi impetus: cogitatio per rationem in falsum, & verum incidens. Sensus, animi impulsio: mentis motus: animi nuntius per corpus ad extremas hominum partes proficiscēs, à quo vis animi rationis expers, cognitionis particeps per corpus efficitur. Habitus, affectio animi, qua, quales simus, dicimur. Vox, fluxio à cogitatione per os egrediens. Sermo, vox, quæ scribi potest, & vnamquamque rem explicat: dictio ex nominibus, & verbis sine cantu composita. Nomen, dictio simplex, quæ cùm id, quod de rei essentia dicitur, tum omne, quod non per se dicitur, significat. Dictio, vox hominis, quæ scribi potest, & signum quoddam commune sine cantu rem declarās. Syllaba, humanæ vocis articulus, qui scribi potest. Definitio, ratio ex differentia, & genere composita. Indicium, rei latentis demonstratio. Demonstratio, ratio, quæ argumentando colligit veritatem: ratio ex rebus antè perceptis aliquid demonstrans. Elementum, vocis vox simplex: causa aliis vocibus vt voces sint. Vtile, id, quod causa est, vt commodo aliquo afficiamur: causa boni. Conducens, id, quod ad bonum ducit. Honestum, bonum. Bonum, causa, vt ea, quæ sunt, seruentur: causa rei omnis, quæ spectat ad ipsum, à quo proficiscuntur omnia quæ sunt eligenda. Temperantia, animi moderatio. Iustum, legis institutum iusticiam exercens. Voluntarium, quod seipsum insinuat. quod per se eligitur cogitatione perfectum. Liberum, quod in seipsum dominatur. Mediocre, quod est inter superlationem, &

defectionem medium, & quod in arte satis est. Mediocritas, superlationis, & defectionis medium. Palma, virtutis præmium: id, quod sua ipsius causa est optabile Immortalitas, natura, animata, & perpetua mansio. Sanctitas, Dei cultus: res Deo grata. Dies festus, tempus sacrum, secūdum leges indictum. Homo, animal sine pennis, bipes, vngues latos habens, quod solum rerum scientiam, quæ ratione traditur, apprehendit. Sacrificium, donum ad rem sacram Deo dicatum. Votum, petitio, qua petunt homines à diis bona, vel quæ bona vidētur. Rex, is, qui liber à reddēda ratione secundum leges imperat: ciuilis institutionis ptinceps. Magistratus, cura totius: potestas: legis procuratio. Legumlator, effector legum, quibus Remp. administrare oporteat. Lex, scitum multitudinis ciuile ad nullum tempus definitum. Argumentum, principium nō perfectè demonstrans: orationis collectio summatim facta. Decretum, edictum ciuile ad aliquod tempus definitum. Politicus, Reip. constituendæ petitus. Ciuitas, domicilium multitudinis hominum, qui communibus decretis vtantur: multitudo hominum, qui sub eadem sint lege. Ciuitatis virtus, optimæ Reip. constitutio. Bellica virtus, belli gerendi scientia. Belli societas, belli communitas. Salus, securi status comparatio. Tyrannus, dominus ciuitatem ad suum ipsius arbitrium gubernans. Sophista, qui iuuenes diuites, & glorioſos mercedis causa quasi venatur, & captat. Diuitiæ, possessio ad bene viuendum moderata: pecuniarum, quæ simul ad bene viuendum spectent, copia. Depositum, res cum fide data. Purgatio, rerum pessimarum ab optimis secretio.

Vincere,

Vincere, contẽdendo superare. Bonus homo, talis, qui bene de hominibus mereatur. Temperans, qui moderatas cupiditates habet. Continens, qui partes animi rectæ cogitationi aduersantes vincit. Honestus, qui perfectè est bonus: qui suam ipsius virtutem habet. Subtristis meditatio, est cogitatio cum mœrore, sine ratione, aut sermone. Difficultas discẽdi, ad percipiendam disciplinam tarditas. Dominium est iustus principatus à reddẽda ratione liber. Philosophiæ cõtemptus, habitus, quem qui habet, rationem odit. Timor, animi in mali expectatione conturbatio. Iracundia, appetitio sine cognitione vehemens, & violentia: significatio ordinis in animo perturbati. Conturbatio, in mali expectatione timor. Adulatio est conuersatio ad voluptatẽ sine eo quod optimum est: habitus ad voluptatẽ colloquẽdi mediocritatem superans. Ira, iracundiæ ad vlciscendum cohortatio. Iniuria, iniustitia ad ignominiam ferens. Intemperantia, habitus præter rationem violentus, ad ea quæ iucunda videntur, trahens. Pigritia, principij laborũ fuga. Ignauia, causa primam rei alicuius appetionem faciendæ reprimens. Disputatio, amicorum in sermone dissensio. Maturitas, tempus, in quo vnaquæque res ad patiendum, vel faciẽdum, est idonea. Iniustitia, habitus leges despiciens. Indigentia, bonorum defectio. Verecundia, in expectatione ignominiæ metus. Arrogantia, habitus bonum, vel bona, quæ nõ sint, arrogans. Peccatum, actio præter rectam rationem. Inuidentia, ægritudo ex amicorum bonis, quæ vel sint, vel olim futura sint. Impudentia, habitus animi ignominiam lucri causa ferens. Audacia, confidentiæ ad timores, ad

quos opus non est, abundantia. Ambitio, habitus animi ad omnem sumptum propensus, & sine cognitione liberalis. Malum natiuum, vitium in natura, & peccatum naturale: morbus in natura insitus. Spes, boni expectatio. Insania, habitus veram perceptionem eorum pens. Loquacitas, inconsiderata sermonis intemperantia. Contrarietas, rerum, quæ sub idem genus secundum aliquam differentiam cadunt, maxima distantia. Res non voluntaria, res, quæ præter cogitationem perficitur. Institutio, vis animum curans. Eruditio, disciplinæ traditio. Legumlatio, scientia ciuitatem firmam constituens. Admonitio, sermo cum obiurgatione ex animo factus: sermo peccati auertendi causa institutus. Auxiliũ, mali præsentis, vel imminentis propulsatio. Castigatio, animi in delicto, quod committitur, curatio. Potentia, in actione, vel in sermone præstantia: habitus, quem qui habet, potens est: vis hominem naturaliter seruans, vel tutum efficiens.

INDEX

INDEX RERVM PRÆCI-PVARVM QVÆ IN HOC secundo volumine continentur.

A

Ἀβουλία pag 59.
Achilles amasius Patrocli 351
Accusator, si quintam partem suffragiorum non acceperat, mille drachmis multabatur Athenis 525
Actio quæ ipsa in sese nec bona, nec mala est, sed propter modum agendi bona vel mala est 353
Adulatores, detestandum hominum genus alunt opes tã priuatorum quàm principũ 704
Ἀὴρ unde 46
Affectus hominis duo regunt, innata cupiditas, & opinio recta boni, quæ extrinsecus aduenit 433
Agamedes & Trophonius 769
Ἀγηρός 48
εἰδῶ unde 46
ἐλεγδ τὸν 58
Ἀλήθεια 60
Amabile pulchrum est 388
Amantis erga amarum incõstans & infidus est amor 437
non Amanti potiùs, quàm amanti gratificandum 424 421
Amasiũ veri & casti amatores sibi simile morib. quoad possunt maximè eligunt 453
Amator Amasii sui amorem virtutib. excoli, & imbui nõ libenter patitur 434
Amator, corporis fortunarum, reliquorũque externorum bonorum amasii sui detrimẽtum quærit 435
quomodo Amatores erga Amasios & contra affecti esse debeant, varia diuersorum populorum leges 354
Amatoribus turpe morem gerere ibid.
Amatoriis periuriis dij dant veniam 356
Amato adolescenti nulla ex adulteriore amante voluptas 436
Amicitia vulgaris & criminalis 723

Amicitia vera virtute conciliata, magnus thesaurus 724
Amicus, quàm excellens & eximia possessio 694
Amicorum non auri penuria pereuntes inducuntur à Poetis Tyranni 694
Amicus est similis similì 185
Amor, seu ἔρως proprie quid 434
Amor illud appetit cuius amor est, & eo indiget 379
Amor est appetitio partus in pulchro tam secundum animam, quam secundum corpus 390
Amor nec pulcher, nec bonus est 381
Amoris laudes 373. *& in Phædro* à pag. 439
Amor deorum antiquissimus 351
Amor Pori & Paupertatis filius 386
Amor bonus vel malus esse potest 357
Amorem puerorum, quomodo intelligi velit Plato 454
inter honestum & obscœnum puerorum amorem discrimen 458
Amor est medius inter turpe & pulchrum 383
Amor quidam honestus, quidam turpis & obscœnus 353
Amor honestus puberum quis sit 356
Amor non est Deus, sed dæmon duntaxat 383
Amor est pulchri 388
Amor noster fertur etiam ad immortalitatem 391
Amor qui vulgò dicitur est species quædam amoris universaliter accepti 389
Amoris proprium obiectum est bonum 390
omnis bonorum felicitatisque appetitio maximus est cuique Amor 389
Amoris vituperatio 379
quibus in animis Amor sedē habeat 373
ἀναγκαῖον 61
Analogia Geometrica 124
Anaxagoras in assignandis in genere rerum causis & principiis ponit Mentem omnia ornantem & disponentem 621 *in assignandis verò particularibus rerum naturalium causis materia vi plurimùm utitur, & materiæ ipsius externa conformatione, hoc est figura externa* 622
Anaxagoræ opinio de Mente Universi 33
Anaxagoræa mixtio rerum omnium 124
Anaxagoras solitus erat dicere Solem

reSolem esse lapidem ignitũ 511
Anaxagoræ dictum, Omnia esse simul 585
Ἀνδρία, fortitudo, quid 50
Ἀνὴρ 50
Anima naturæ diuinæ, immortalis, intelligibilis, uniformis, indissolubilis similis est, ac proinde indissolubilis & immortalis 596
Animæ forma sub quadam imagine describitur 444
an Anima sit harmonia explicatur in Phædone, à pagina 604
Anima ante ortum nostrum extitit 791
Animæ immortalitas quibus argumentis probetur in Phædone, vide a pagina 582. & 772.
ad Animæ immortalitatem asserendam, demonstratio Platonica in Phædro 443
Animæ cognitio necessaria oratori 476
Animæ alationem nutrit & fouet diuinæ pulchritudinis, sapientiæ & bonitatis participatio 441
Animæ quis verus ornatus 179
Animæ in corpora animalium quomodo & unde veniant 444
ad Animam puram & castã seruandam, quibus potissimum rationibus hortetur Socr. in Phædon. 635
de Animarum circa descensum in corpora humana varia sortitione 447. 448. 449.
Animarum postquam è corporibus excesserunt diuersi status 597. & seq.
Animam contrarium vitæ, nempe mortem nunquam admittere posse, quo argumẽto probet Socr. 633
Animarum iudicium post mortem 773
Animabus unde decidant alæ, quibus amissis ipsæ in corpora descendunt 445
Anima libidinibus & cupiditatibus seruiens dolio pertuso similis 161
Animantium erga natos charitas 391
Animi purgatio quid sit 577
Animi legitima ordinatio quæ sit 176
Animo ægroto suũ arbitrium non est relinquendum 177
Apollinis nomen, unde 59
Ἀπορία 52
de Archelao Perdiccæ filio 131
Ἄρπης unde 42
Arithmetica & λογιστικὴ seu

cõputandi ars quomodo differant 106
Ars & experientia quomodo differant 123
Artes generi humano ad vitam necessarias, à Diis inuentæ & hominibus traditæ 679
Ἄρτεμις. Diana vnde dicta 41
Ἄρρεν 50
Aspasia mulier in arte dicendi magistra 656
Athenienſis Reip. forma fuit democratia temperata 660
Athenienſes, indigenæ 658
Athenienſem Athenis laudare, facilè est 656
Athenienſium antiquiſſima bella 661
Athenienſes quotannis nauẽ Delum mittebant in honorẽ Apollinis: & cur 564
Athenarum naualia & mœnia partim Themiſtocli partim Pericli consilio constructa 112
apud Athenienſes conseruabat populärem ſtatum generis aqualitas 660
Athenienſium bellum in Sicilia 665
ab Athenienſibus rex Perſarum opem & ſubſidium aliquando imploranit 668
Athenienſium aduerſus Lacedæmonios bella diuerſa, quibus de cauſis ſuſcepta 668
ab Athenienſibus Lacedæmonij victi 665
belli aduerſus Athenienſes à rege Perſarum poſt ſatis longam & diuturnam pacem reparati cauſa quæ 668
Athenienſes Græcorum fortiſſimi, in prælijs pro communi ſalute Græciæ commiſſis 665
Athenienſium aduerſus cæteros Græcos bella, & eorum cauſæ 664
in Athenienſes cæterorũ Græcorum odium & inuidia 666
Athenienſium genus non mixtum 669
Athenienſium expeditiones nauales in Cyprum & Aegyptum Græciam iugo Perſarum liberarunt 664
Athenis ſumma cura publicè gerebatur parentum, liberorum & cognatorum eorum qui pro patria in bello occubuerant 671
Athenienſium victoria in Oenophyta 664
Ἀθηνᾶ vnde 41
Αὐθάδεια & τὸ ἀγέσχεν oppoſita 709
quodnã Auxilium ſibi quiſque potiſſi-

potissimum praestare debeat 200

B

Βλαβερὸν 55
vir Bonus à malo ladi non potest 517
viro Bono vel viuo vel mortuo nihil mali accidere potest 532
Boni, beati, improbi, miseri 131
Bonum finis est omnium actionum humanarum 170
βυλὴ 59

C

κακία 52
κακὸν 53
καλὸν ibid.
κακὸς 58
Calliope Musa quibus studiis praesit 462
Carceris custodia erat Athenis penes XI viros 527
inter Causas omnes nulla firmior est causa formalis, hoc est idea ipsa quae saepiùs concurrit cum fine & eo quod optimum est 619
κεφαλαῖον 54
Cimon & Themistocles ostracismo relegati 193
Ciuis boni, & ciuilis viri officium ibid.
sui Cognitionis omnes caeteris postpositis dare operam conuenit 423
in Cognitione rerum quinque considerantur 735
Cognitionem perfectam rerum non possimus quandiu sumus in hac vita consequi 577
Conceptio & generatio est opus diuinum & immortale in homine mortali 390
Conclusio, quae ex praemissis necessariò sequitur, ferreis & adamantinis vincta est vinculis 182
Consilium quibus dandum sit 719
Contrarium ex contrario fieri probatur 582. 583. 584
Contrariorum vno ita participant quaedam subiecta, vt alterum nunquam admittant 630
Contraria non sunt simul in eodem subiecto 165
Corpus & eorum quae ad corpus pertinent sollicitudines multùm interturbant contemplationem 576

D

Daemones aut Dij, aut deorum filij 513
Daemonum natura qualis, & quae ipsorum munia 383
δαιμόνιος quis dicitur 386

Darius Persarum imperium legibus stabiliuit 721
Definitionis necessitas in omni disputatione 432
Definitio & diuisio necessaria ad veram rei multiplicis notitiam comparandã 467
definitionis & diuisionis vsus 469.470.476
Deliberatio grauis est ea, quæ de vita rectè instituenda suscipitur 171
Demonstratio longè differt à probabilibus & verisimilibus duntaxat rationibus 614
Δημήτηρ, *i. Ceres, vnde sic dicta* 38
de Dei natura nihil potest homo cognoscere 34
Deus immortale animal 445
Deus omnium causa finalis, efficiens & exemplaru 698
Deus rerũ omnium quæ sunt, & quæ erunt imperator & naturæ pater 712
inter Deos & homines communis est societas 181
Δεὺς 58
Dialecticus is est, qui scit interrogare & respondere 20
Dialecticus optimus iudex rectæ impositionis nominum 21
Dialectica vsus 485
Dialectica exercitatione & cõtẽplatione rerum naturalium omnes artes indigent 471
Dialecticæ probationes à Rhetoricis quomodo differant 132
Dialectice redargui, quid sit 133
διαλογισμὸν 49
Dion qualis futurus fuisset, si diutius illi expulso tyranno rerum potiri contigisset 726
Dion expellitur à Dionysio 719
Dionysius contempsit præcepta sapientiæ quæ ex Platone audiuit 739
Dionysius in vrbem vnam vniuersam Siciliam congregauit 721
Dionysius iunior Platonem amore complectitur 718
Dionysius senior periit, quòd nullum amicum filium sibi comparare nouisset 710
Dionysius iunior fertur à nonnullis philosophica quædam scripsisse de rebus diuinis 734
Dionysius iunior inconstans & sibi nunquã consentiens 722
Dionysius iunior licet pulso Dione Platonem retinet 719
non statim ob falsam disputationem omnis disputatio reiicienda 610
Dissentire à se ipso turpe 146

Diuina quomodo cognoscantur 734 quibus vtile sit ipsa proponere ibid.
Diuinitas voluptatis & doloris expers 702
rerum Diuinarum veram scientiam scriptis non posse tradi putat Plato 735
Diuinatio magica conceditur hominibus per dæmones 386
Diuisiones generum in species quomodo fieri debeant 470

E

Ἐχαίστ ν 59
Ἔτιαυτος, i. annus. 46
in Epistolis cur hæc salutatio τὸ ἀπρᾶττειν, quàm illa τὸ χαίρειν apponenda 701
Εὐθυμία 58
Erato quibus studiis præsit 462
Ἐφεκτικοὶ, qui 612
Ἑρμῆς, i. Mercurius vnde sic dictus 43
Ἑστία, i. Vesta nomen vnde 34
Euenus Parius Sophista 501. 569
Ἀφροσυνη 58
Euthydemi sententia, Omnia omnibus esse similiter ac semper 16
Experientia artes peperit 102

F

Fax populi qualis sit in Rep. 771
Falsum dici non posse, Sophistarum fuit vulgatum dictum 71
vera Fortitudo non est in eo qui mortem metuit 579
Furor poeticus quis 445
Furoris diuini, quarta species philosophi propria 449
Furor bonus, quis 441

G

γαῖα, vnde 46
Genus pro Idea vsurpatum 450
Geometrica æqualitas 181
Gloria & immortalis nominis causa omnia præclara fiũt à præstantibus natura 393
γνώμη 48
Gorgias se ad quamcunque interrogationem responsurum professus est 101
Græci multa vocabula à Barbaris acceperunt 45
γυνὴ, vnde 50

H

Harmonia quædam proprietates 614. & 615
Heraclitii opinio de perpetuo fluxu & motu rerũ omnium

55 eadem opinio refutata. 84. & 85
Heraclitidictum: Vnum sibi ipsi repugnans consentire 361
Hermogenis sententia, Nomina rebus imposita esse ex pacto & instituto hominum 13
Herodicus medicus frater Gorgiæ 102
de Hominum prima conformatione in orbicularem figuram & eiusdem postea diuisione 365
Homo anima sua, & animal immortale est 767
Hominu curam gerit Deus, & Dei possessio est homo 570
Hominum impietati, iniustitiæ & voluptatibus inseruientium miseria quanta 725

I

Ideas quid existimarit esse Plato 246
Idea & perfecta rei cuiusque essentia forma, seu circa quã veritas consistit solo intellectu percipitur 575
Idea est illud quo obsignatur rei essentia 589
Ideas Plato collocat in loco supercælesti 445
si non sint Ideæ, nulla est cognitio 85
Idea participatione vnum quodque est illud quod est 625
Idea contrarij nunquam participat idea sui contrarij, sed vnum & idem subiectũ participare potest cõtrarius, quanquam non simul 628
Idea, pro causa formali 619
Ignorantia summum vitium 387
Ἰμερος, vnde 58
Immortalitatis animæ signum quod boni viri dant in primis operam vt bene audiant post mortem 696
Immortalitatis animæ & pœnarum quæ à nocentibus apud inferos luuntur opinio, ad antiquos & sacros sermones refertur 725
Immortalitatem mortalis natura appetit 391
Imperare sibi ipsi quid sit 159
apud Inferos iudices qui 511
apud Inferos quomodo iudicium exerceatur de animabus 201. 644
Ingluuies & gulositas quid 433
Iniuriam inferre vtius ãlatum sit quam pati 136, iniuriam inferre malorum maximũ 129
qui Iniuria illata pœnas non dat, is maximè miser est 134. 139. 139. 140

Iniustitia malorum summum 140
Iniustum neminem sponte esse, quo argumẽto probetur 782
duæ Interrogationes vt vna propositæ 125
Inuidia multos viros illustres perdidit 513
Ἰὼ vnde 43
de Isocrate admodum adolescente iudiciũ Socratis 448.
Iucundum & bonum an vnũ & idem sint 164 166.169
Iudicialis & legalis circa quid versentur, & quomodo differant 123
Iudicis est haud graue aliquid condonare reo: sed secundum leges iudicare 524
Iusti & iniusti, turpis & honesti discrimen tollentium voces 159
absque Iustitia & temperantia nihil prosunt, sed maximè nocent ciuitatibus, cætera ornamenta belli vel pacis 196
de Iusto varia opiniones 49

L

Latona vnde 40
Leges ciuitatis quicunque probauit, is debet perire 747
Legibus non hominibus ciuitates subiicere oportet 724
Legem vim afferre naturæ Pindari authoritate probatur 149
Leges publicas ciuitatis confringere, an est priuati 545
Leges quales esse debeãt Respub. bene constitutæ 753
de Legu & Naturæ iure opinio Sophistarum 147
vt nimia Seruitus, ita etiam nimia libertas mala est 752
Libido quid 433
Luxus, otium, voluptates immodicæ pessundant ciuitates 715
Lycurgi consilium vehementer laudatur à Platone in temperanda regia potestate apud Spartanos 782

M

Summum Malum non est pati, sed inferre iniuriam 517
Μαντικὴ, & οἰωνιστικὴ, quæ artes quomodo differant, & vnde sic appellatæ 442
ad Marathonẽ commissi prælij commendatio 662
in Mathematicis figuris vno exiguo falso posito principio multa falsa sibi inuicem cõsonantia sequuntur 80
Medicina quid sit 360
Mentis oculus tunc incipit acutè cernere, quum desinit

corporis oculi 407
τῶν μεταμψύχωσιν, quibus rationibus conetur adstruere Socrates 582
μῦθοι unde 45
Miltiades propè in barathrũ dejectus 193
nihil miserius est homine cui cupiditates & voluptates imperant 161
Mortem effugere interdum nõ difficile est, sed effugere pravitatem difficile est 529
Mortem non esse malam quibus rationibus probet Socr. 531
Mors est solutio animæ à corpore 573
Mortem optare, & oblatam accipere an debeant philosophi 570.571
Mortem timere, & putare animos morte interire, sunt contraria 772
Mortem sibi consciscere nemo debet, & cur 570
Mors neque ad vivientes, neq; ad defunctos pertinet 771
si Morte sensus omnis adimitur, non est formidãda mors 767
Mortem commentari vera est philosophia 573.578.579
Mortem timere non est sapientis 515
Mundus unde dictus 181
Musarum nomen, unde 40
Mutatio assidua est in corpore & anima animantium 392

N

Natura neque inter mortuos est, neque inter vivos 770
Nudè loquuntur qui exempla non adferunt 466
νόμος 48
Nomen rerum substantias docendi discernendique instrumentum 18
Nomina imponere rebus non est cuiusvis, sed legislatoris 18
de recta primorum Nominum ratione 62
de recta Nominum impositione vide Cratylum
Nomen debet rei essentiam imitari & exprimere 64
Nomina rebus imposita sunt ut nos res ipsas docerent 79
Nomẽ est velut imago rei 75

O

Oculorum vis acerrima ad pulchri speciem apprehendendam 450
οἶκος 59
ὂν & ὄντα 60
ὄνομα ibid.
ὠφέλιμον 55
Opinio recta, quid 381
Opinionibus dum taxat extrinsecus tincti, instar eorum qui sub Sole vruntur & co-

lorantur, opponuntur veris sapientiæ amatoribus 733
ἄρες, unde 46
Oratio quæ vera est, & quæ falsa 14
Orationis pars minima est nomen ibid.
Oratio tota est tanquam animal quoddam, debet enim habere caput, brachia, manus, pedes, & cætera omnia membra sua 468
ea Oratione, quæ suis moribus est consentanea, omnes delectantur 188
an Oratori necessarium sit, nequaquam verè iusta, sed apparentia iusta duntaxat discere 463
Orator excellens fit ad naturam accedente doctrina & exercitatione 471
Oratori an probabilia & verisimilia duntaxat consectanda 479
in Oratore requiritur perspicacitas ingenij, ad apte rebus subiectis accommodanda præcepta 478
Oratorum potentia in ciuitatibus nulla est, nisi ea ad bonum ciuium utantur 125
Orpheus à mulieribus lacerat⁹ 351

P

παῦ, unde 43
Patriæ quantum quisque debeat 756
Patria parentibus anteponẽda 546
pro Patria in bello occumbere præclarum 655
Patriæ laboranti nunquam per vim remedium adsciret vir sapiens 720
inter Patrem & liberos, inter dominum & seruum non est ius ex æquo 545
Pericles sub extremum vitæ tempus peculatus est damnatus ab Athenienſibus 392
Persarum imperium à quibus constitutum & amplificatũ 661
Persarum expeditio prima in Græciam 662
Persuasio duplex, una cum scientia, altera sine scientia 111
φερσέφαττα, i. Proserpina, unde 58
Philolaũ audiuit Socrates 569
Philosophia vera, quæ 757
Philosophia opportunè & moderatè susceptа utilis est, aliàs noxia 149
Philosophiæ studium iuuenes decet, viros autẽ dedecet 550
Philosophiã si adiscernit iustũ ab iniusto tam in publica quam in priuata vita 715
Philosophiæ verè studiosus qua

ratione verè explorari possit 752
quinam philosophantur 387
quum Philosophi principes erunt, aut principes erũt Philosophi beata erit Resp. 715
verus Philosophus animum à corporis societate & commercio, quoad maximè potest, segregat 574
Phœnices & Opici 751
de prælio ad Plateas 663
Platone iuuene, quis status Athenis 713
Platonem quid à Repub. capessenda deterruerit 714
Plato annos 40. natus Syracusas primùm venit 713
Plato petit à Dionysio, vt prior ipsum honoret, & cur 698
quæ Platoni contigerunt in prima ipsius nauigatione ad Dionysium iuniorem 703. & quæ in secunda 704
Plato quomodo acceptus fuerit à Dionysio primo suo aduentu in Siciliam 697
Platonis prima profectio Syracusas 717. eius secundæ profectionis causa 718. 719. quo in statu Plato inuenerit res circa Dionem & Dionysium 719
Plato quomodo dimissus fuerit è Sicilia à Dionysio 746
Platonis tertius aduentus in Siciliam 732
Plato profitetur se nec scripsisse, nec scripturum esse quidquam de diuinis 734
Plato nihil sub suo nomine scripsit, sed omnia Socrati tribuit 700
Plato vnde 37
Poësis tragicorum ad voluptatem comparata est 174
in Poëtarum fabulis & figmẽtis explicandis, quàm inane sit hærere 412
Poëtas non ex scientia aut sapientia acquisita, sed afflatu numinis facere quæ rectè facerent putauit Socr. 505
Poëta circa fabulas versatur 568
πόλις 58
ποιεῖσθαι, vnde 36
quæ magna Potentia sit 130
Precationis veræ qualis quidẽ ab homine Ethnico fieri potuit, exemplar 488
circa Principia in omnibus scientiis multa cautio & cõsideratio adhibenda 80
Prodici 50 drachmarum demonstratio 15
Propositio immediata: Omnis homo felix esse vult 388
φρόνησις 47
Protagoræ sententia vera est, Non est inter homines prudentius

Acentior alius alio 17
Pulchritudinis veræ vnde sit amor in mente Philosophi 443
ex Pulchritudinis corporeæ aspectu, quomodo in mente philosophi accendatur amor veræ pulchritudinis 451
Pulchri Ideaperfecta Deus 396
Pulchrum definitur interdum voluptate & bono 137
ex horum Pulchrorum sensibilium inspectione deueniẽdum adV niuersalem quandam Pulchri scientiam 396
πῦρ, ignis 45

R

Ratiocinatione sola amotis sensibus verum cognoscitur 575
Redargui, magni beneficij loco habendum 131
Regia potestas temperata non est improbanda 754
Reip. vnaquæque forma propriam vocem habet 710
Reip. administrandæ munera incommoda 770
Reminisci quid 586
ad Remp. nemo debet accedere, qui non præditus sit scientia homines meliores efficiendi 189.191
Referre iniuriam ei, qui primus intulit, iniustũ est 543
Rhetorica an sit ars 464
Rhetorica an sit ars, an verò experientia duntaxat 120
Rhetoricæ subiectum quodnã 104. & 105
Rhetorices vsu & efficacia, & quodnam maximum eius opus 108.112
Rhetorica persuasionis effectrix, & cuius 108 109.110. 111
Rhetoricæ artis quis sit verus vsus 144 181
Rhetoricæ artis vera dispositio 477 quomodo ars Rhetorica tradenda 478
Rhetorica arte quum quis abutitur, vitium, id est, non artis, sed abutentis 115
Rhetorica an in iudicijs duntaxat, & publicis deliberationibus locum habeat 464
Rhetoricæ præcepta ab antiquis ante Platonem traditæ an sint pars artis illius, an verò quædam artem antecedentia 471
an Rhetorica egeat duntaxat cognitione eius quod apparet, an etiam eius quod verè est 465

S

de prælio ad Salaminem & Artemisium 652
inter Sapientiam & Iguerã

tiam media est recta opinio 382
Sapientia est maximum quod homini possit contingere bonum 536
Sapientiæ cognomen soli Deo conuenit, Philosophi appellatio magis hominē decet 487
Sapiens verè solus Deus 506
Sapientes cum potentibus natura quadam vi coniunguntur & consociantur 695
Scientia in homine quomodo fiat secundum opinionem Platonis 449
quomodo vera vniuscuiusque rei Scientia, qualis in humanam mentem cadere potest, comparetur 738
Scientia de aliqua re animo comprehensa longè præstat scripto 484
Scientia sine iustitia non est sapientia, sed calliditas 671
qui rem verè Scit, is simul verum & falsum circa rem illam nouit 738
Scire nostrum nihil aliud est quàm reminisci 585. & seq.
Σκολιὸν, quodnam carminis genus 107
quo fine Scripta possint mandari ingenij inuenta 484
Scripta memoriæ & sapientiæ obsunt 482
Scripta non possunt rationem eorum, quæ continent reddere, & seipsa defendere 483
Scripta an quasi naturam & essentiam rerum exprimere possint, debeant in lucem edi 738
Scripta mandare aliquid, an vitio vertendum 460
de recta Scripta mandandæ orationis ratione 481
Seditiones domesticæ & ciuiles quibus consiliis & factis ab iis qui rerum gubernacula occuparunt compesci possunt 728
Σελήνη, i. luna, vnde 44
Senes bis pueri 769
Sensus animo sunt impedimēto quominùs verè verum cernat 574
in Sicilia qua occasione erecta fuerit tyrannis 750
Sileni Alcibiadis 402
Similitudo deceptionis artifex in rerum cognitione 469
Simmias Thebanus 440 & 537
Simonides Hieronis & Pausaniæ familiaris fuit 696
Socrates Sileno & Satyris similis 411
Socrates, laborum, frigoris, & inediæ patientissimus 408
Socrates rarò lotus & calceatis pedibus incedebat 345
Socrates in prælijs strenuus 40
Socrates quibus prælijs interfuerit 514

Socratis amores erga pulchros casti fuerunt teste Alcibiade 404
Socrates vigilando, potando & disputando indefatigabilis 413
Socrates nullam mercedem exigere solitus fuit ab iis quos docebat 518.521
Socrates incomparabilis 411
Socratis mira ad persuadendum vis 403
Socrates cur sapientissimus omnium mortalium declaratus testimonio Apollinis Pythij 503
Socrates cur vulgò sapiens existimatus 505
Socrates sapiùs vita discrimẽ adiit pro iusto pugnans 520
Socrates, vt sessor equo Atheniensi præpositus fuit à Deo, vt illos calcaribus continuò pungeret, & sollicitaret ad virtutem 518
Socrates Ion, foris deformis, intus mirè pulcher 404
Socratica ironia 348.768
Socrates simulans se amare, pro amatore amatus euadebat 412
Socratis damonium 519
Socratis accusatores qui 507 & quæ accusationis capita 508. & sequentib.
Socrates noluit flectere misericordiam iudicum 525
Socrates cur noluerit mortem deprecari 528
Socrates in carcere hymnum in Apollinem composuit, & carmine reddidit fabulas Æsopi, cùm antea poeticam nunquam attigisset 567
Socrates non est peregrinatus 547
publici in Socratem odij quæ causa 506
Socrates pauco suffragiorum numero abfuit ab absolutione 525
Socrates fuit longum tempus in carcere inter iudicium & mortem 564
eorum quæ Socrati circa obitum contigerunt, narratio 646
in Solem deficientem intuentes quid patiantur 625
Sophistæ nunquam sibi constant, sed modò hoc, modò illud dicunt 159
Sophistæ sunt ridiculi, qui mercedem exigunt ab iis quos virtutem se docere profitẽtur 196.198
Sophistarum insectatio 768
Sophistæ & Rhetores interdũ miscentur & confunduntur 124
Sophisticæ tergiuersationis impedientis conclusionem elenchi, exemplum 157
σοφία, sapientia

ἀκολασία, intemperantia, vnde 48
Speciei rei similis est numero 74
ea in statione in qua à Deo collocati sumus manēdū 515
Stesichori palinodia 440
Studium illud quisque laudat, in quo aliquid præstare potest 150
Stulti accepto incommodo sapiunt 412
Syllogistica conclusiones necessitas ex concessu pēdēs 144
συμφορὰ 54
σωφροσύνη 48

T

ad Tanagram prælium 664
Temperantia quid 433
Temperantia & iustitia, ciuilia & domestica omnia gubernantur 394
vera Temperantia & fortitudo non est in eo qui mortem metuit 570
τὸ μὲν τερπνὸν 58
Terpsichore Musa, quibus studiis præsit 462
de Terra situ variæ opiniones 623
Terræ forma rotunda, & quo modo sustineatur 637
Teucri vnde dicta 36
τέχνη, id est, ars 51
Thamus rex Aegypti 482
in Theatro summum pretium pendi solitum, vt quis spectatum admitteretur, erat drachma 511
Thearion pistor 195
Thebæ Aegyptiæ 482
Theuth dæmon apud Ægyptios, cui auis Ibis sacra 482
θῆλυ 51
Thyrsigeri multi, Bacchi vero pauci, prouerb. 180
Tragici quoties in angustias redacta est fabula, ad machinas confugiunt, & deos inducunt 66
Triginta virûm imperium fuit Athenis tempore Socratis 520. 713. 714
Tyrannis quid 129
Tyrannorum preces necessitati permixtæ 718

V

Verisimilia non potest quispiam asserre, nisi cognita rei natura 480
Verisimilis tractationis exemplum 480
qui Vera dicit, is est peritus dicendi 497
Vinum est veridicum, prou. 406
Vipera morsus non indicat vulnus, nisi in qui pariter morsi sunt 406
ad Virtutis scientiam comparandam duo necessaria sunt

sunt, docilitas & memoria, tum cognatio quædam animi cum ea re quæ docetur 737

ei qui Virtutis est expers nulla nec cum Deo, nec cum hominibus societas intercedit 181

Virtutes sine prudentia sunt umbræ quædam virtutum & commutationes voluptatum cum voluptatibus 580

propria virtute debet quisque innotescere 671

Vita nostra est peregrinatio quædam 766

Vita non simpliciter & quæuis, sed optima & quidem Dei arbitrio optanda 185. & 187

Vitæ miseria & calamitates quæ & quantæ 768.770

Vitæ aut mortis non magnam debet habere rationem vir sapiens, sed hoc duntaxat curare, vt iusta agat, & ea quæ sunt virtutis opera 514

an ex Vocabulis certa rei cognitio habeatur 85

Voluntas est finis, electio eorũ quæ ad finem pertinent 126

Voluptates corporeæ seruiles, quia eas ferè semper antecedit dolor 461

Voluptas dolorem perpetuò sequitur, & contra voluptatem dolor 187

Voluptatibus & doloribus indulgendo, quod maximum malum consequantur homines 600

Vulgi opinio an sit negligẽda 537-541

Z

ζημιῶσις 16

ζυγὸς ibid.

Errata quædam quæ in annot. occurrent, sic emendato.

Pag. 84. *in annot. motu.* p. 110. *in annot. nisi.* p. 124. *marg. Sophistæ.* & p. 181. *in annot. Ei qui.* p. 192. *in annot. quam professi fuerint.* p. 193. *in annot. in barathrum de-* p. 365. *in annot. deest partic. de.* p. 471. *in annot. pro illæ.* p 476. *in annot. pro oratio, lege, oratori.* p. 526. *taneo, in annot.* p. 587. *in annot. pro sui lege cui.* p. 590. *not pro vir lege viri. pro signi, signum.* p. 725. *in annot. Anima, &.* p. 735. *in annot. pro quæque lege quinque.* p. 767. *in annot. deest initio partic. Si.*



434

5.594